

LEXICON TOPOGRAPHICUM SICULUM IN QUO SICILIAE URBES, OPIDA, CUM...

Vito Maria Amico





LEXICON
TOPOGRAPHICUM SICULUM
MAZARÆ VALLIS.

LEXICON TOPOGRAPHICUM SICULUM,

In quo Siciliæ Urbes, Opida, cum diruta, tum extantia, Montes, Flumina, Portus, adjacentes Insulæ, ac singula Loca describuntur, illustrantur.

STUDIO, ET LABORE


S.T.D.D. VITI M. AMICO ET STATELLA

ORDINIS S. BENEDICTI,


Regii Siciliæ Historiographi, dudum in Patrio Catanensi Lyceo Civilis Historiæ Professoris, ac publicæ Bibliothecæ Primarii Custodis.

TOMUS SECUNDUS

Pars Prima.




CATANÆ M. DCC. LIX.
In Ætneorum Academiæ Typographio
Apud D. Joachim Pulejum.
SUPERIORUM FACULTATE.



LEXICON

TOPOGRAPHICUM SICULUM

MAZARÆ VALLIS.

RBS Vetus Mazara, quum contra Africam posita, Sarracenis rerum potentibus frequens, & celebrior evasisset, ampliorem Siciliæ provinciam denominavit, Northmannorumque ævo, ac aliis sub Principibus jure non excidit suo. Abluunt Vallem hanc tribus ex lateribus Tyrrhenum mare in Boream, Sardoum Occidentem versus, Lybicum, sive Africum circa Meridiem, Occasumque æstivalem; ad latus vero mediterraneum in Ortum illi adjacent Neti, & Demanæ Valles, a quibus Himera fluvius meridionalis & aquilonaris *Mazarensem* discernit; hoc scilicet ordine: Ab exiguo fonte sub Nebrode colle, vulgo *Madonia* rivus unus in austrum prolabitur, alter vero in aquilonem tendit. Hic Politium, nobile opidum ad sini-

ftram relinquens, aliis & copiosis adauctus aquis, nomine, & re Magnus evadit; Himeræ vetustissimæ urbis dirutis mœnibus, sive illorum reliquiis ad ortum ablutis, prope Bonfornelli turrim sibi ostium aperit, & Tyrrheno pelago adjungitur. Jam rivus alius in oppositas delatus plagas, ad Artisini montis radices, varios excipiens fluvios, & ex his salis sapore infectos nonnullos, quem idcirco contrahit, inter angustas Caputarsi rupes sub ponte magnifico dilabens, ad Rupem Roccastrictam cursum peragit, agrisque demum Leocatensibus affusus, mari Libyco sub Leocatæ orientalia menia sese admiscet. Ex hoc autem ostio Vallis maritima sic definiuntur.

Ab Leocatæ promontorio apertum littus ad Agrigenti Emporium excurrit, cui recens moles portus adheret, ab eaque ad caput Album non absimilis protenditur ora. Ad id olim caput Heraclea Minoa stabat, & pone Platanis amnis in mari mergitur. Leniter inde sinuosum Saccam excipit, eique proximum S. Marci caput, unde ad priscæ Selinuntis monumenta procurvum quoque littus spectatur, Belicis ostio insigne. Mazzara succedit cum porto, seu lacu maritimo, a cujus vicino Feti, sive Fœderis capite occiduum littus initia sumit. Huic celeberrimum Lilybæum succedit, ex tribus præcipuis insulæ promontoriis unum, Bocum vulgo, & illi inhærens Marsala urbi, portusque Austriæ, magnis hodie molibus oppletus. Habet subsequens ora S. Pantaleonis, ubi vetus Motya stetit, Burronis, aliasque minores insulas objacentes; Nec Procul S. Theodori Caput, unde Drepanum & ad ejus portum navigatio instituitur. Contra hanc plagam in alto pelago celebres Ægades insulæ: Maritima, Ægusa, & Forbantia, Maretimus, Levansus, &

Fa-

Favognana vulgari vocabulo, jacent, ac supra Drepanum Eryx mons subrigitur. Ab hujus portu ad S. Viti Caput, veteribus Ægitallum tenditur, quod est Segestani amplissimi sinus occidentale, & borealis lateris initium. Scamander ad intimum littus se exonerat; oppositumque Caput Rama ad ortum accedit, quod illud Ursæ excipit. Sinum porro hunc ab Emporio, opidoque cognomine Castelli Maris Siculi appellant. Sinus alter brevior ab Ursa ad Caput Galli, in quo insula Fęminarum; & ora ex Gallo ad Montis Peregrini, olim Erctę radices, Panormitani amœnissimi agri prospectum aperiunt. Moles subinde, portus ejusdem urbis Metropolis, quæ magnificentissimis superbiens ędificiis, cum primis Italię conferri, paucisque secunda in Europa computari merito posse sine assentatione affirmo. Illius sinum Zaffaranæ Caput, sive ingens scopulus sub Gerbino colle excipit; hinc ad Thermas usque Himerenses, & ab hac urbe ad Himeræ Septentrionalis ostium, reliquum Vallis Mazaræ littus ferme arenosum promontoriolis aliquot distinctum procurrit. Id quippe ostium Himeræ, seu Magni Fluminis regionis est nostræ extremum ad Boream. Ab Leocata igitur pass: m. xcv. Mazaram usque, a qua ad Ægitallum xlvii. inde ad Caput Galli l. & ad Himeræ ostium xl. computantur. Ab hoc ostio ad Artesinum insulæ umbilicum xxx. atque ad Leocatam xl. designant Fazellus, & novissimus insulæ Dimensor Comes de Schmettau, quamvis in Mappa Scutter, medius ferme Artisinus collocetur.

Finibus descriptis, jam quæ Vallis passim decora, ac dotes sint, brevissime prosequar. Metropoli urbe, & Regni Capite, Proregis idcirco, & Consularium totius insulæ sede illa gloriatur; bini Archiepiscopa-

tus,

tus, totidemque Episcopatuum cathedræ non vulgare ornamentum eidem conciliant; Regias Civitates quindecim, & opida supra centum enumerat; Fluminibus Belici vel maxime, & Platani; Montibus, & Eryce cum primis; Nemoribus; Balneis saluberrimis, ac lacubus piscosis celebratur. Agri fęlicitas insignis, fructuum copia uberrima; messes largissimæ; pingues vindemiæ; pascua gratissima. Sex hinc Emporiis omnis generis frugum refertis instructa, in exteras provincias divitias effundit suas, populisque nedum indigenis, sed externis etiam consulit. Mazaræ Vallis in ultimo publico censu de anno MDCCXIII. focos 99-191. Panormo excepta, animas 368701. exhibuit; Panormi autem 102106. cives enumerantur; sed novissima descriptio longe copiosiores cum lares, tum incolas adnotavit; hęc autem in Regiis libris exarata, lucem nondum aspexit; quos autem animarum census ego profero singulis in locis, & novissimos compello; ex privatis Parochiarum libris accepi.



ABICA



BICA Casale in Drepanitano territorio, aliter *Labica*, quod anno MCCCXX. juris erat Guillelmi de Linquido, *Joannucius* Guillelmi filius *Guarnerio Vigintimillio* donavit, rem confirmante Friderico III. anno MCCCLX. De eo in *Capibrevio*, & , in Censu Friderici II.

ABORANGIUS Ager. Vide *Borangius*.

ACCIA Vicus hodie in agro cognomine passus M. X. circiter ab urbe Panormo in hybernum ortum a maris littore haud procul, iter denique habentibus Panormum ab Demana Valle occurrens, & cauponam, sive hospitatoriam exhibens tabernam. Ibi Blasii Spucches, ejusque heredum amœnissimum suburbanum, qui dum primariis in Sicilia fungeretur muniis, homines congregavit, & parochiam construxit Sancto Josepho dicatam. Succedunt ad eamdem parochiam spectantia elegans & magnificum Principis Valguarneræ Suburbanum, nec non illud Ducis Andegavensis, quod ultimam expectat manum, & minoris notæ alia.

ACELLUS Arx olim ad Ægitallum promontorium ex Diodor. lib. 24. Junius in castra ad Lilybæum abiit. *Is noctu Erycem adortus occupavit; & Ægitallum communivit, quem nunc Acellum vocant*; DCCC. *militibus præsidio relictis. At Carthalo, ubi loca circa Erycem jam teneri ab hoste rescivit, noctu manum militum navibus illuc deportat, præsidiumque Ægitalli adortus loco potitur; factusque superior, alios interimit, alios ad Erycem fugat. Castellum dehinc tria armatorum millia custodiebant*. Ex hoc non levi præsidiarii militis numero *Agellum* arcem ingentis ambi-

tus fuisse opinor. De eo, ubi de promontorio *Ægitallo*.

ACITHIUS Amnis Ptolemæo ex veteribus memoratus; quod *Atys* fuerit, cujus Plinius meminit, hodie *Carabis*, Cluverius opinatur; reliqui ex recentioribus *Birgim* in eo recognoscunt. At enim Ptolemæus habet: *Selinuntis fluminis ostium*, *Acithii amnis ostium*, *Lilybæum opidum & promontorium*. Qui certe situs, neque Aty, seu *Carabi*, qui inter Thermas & Selinuntem sese mari adjungit; neque *Birgi* inter Lilybæum, & Drepanum fauces aperienti, convenit; nisi apud Geographum in Siciliæ locis designandis variis erroribus adsuetissimum, irrepsisse errorem dixeris; aliis enim fluminibus hac in ora vetusta sunt nomina, *Birgi* non aliud quam illud *Acithii* passim appingitur. Oritur ex duplici fonte sex p. m. a Salemi, S. Georgii nempe, & Mangiadaino. Consule *Birgis*.

ACRAGAS Fluvius, & Urbs. Vide *Agragas*, & *Agrigentum*.

ACRISTIA Opidum in editis rupibus hodie desertum ab Juliana, & Clusa haud procul. Fazellus superiori sua ætate deletum dicit, ex cujus reliquiis recens Opidum Burgium auctum. *Cristiæ* castrum ex Regiis libris anno MCCCXX. *Franciscus Vigintimilliis* tenebat; sequentis vero sæculi anno VIII. juris erat heredum *Nicolai de Peralta*, Clusæ, Julianæ, & Bivonæ Comitis. An vetus *Scirthea* fuerit, de qua suo loco, Cluverius subdubitat. *Haud ita procul a Triocalo, versus septentriones, opidum desertum, vulgari vocabulo Acristia, quod & vicinitate, & nominis quadam similitudine videtur esse antiqua illa Scirthea*. Idem circa *Acristiam* stetisse olim Crastum Sicanicam urbem opinatur.

ACUTUS Mons, *Cacius*, & vulgi voce *Mons Cucinus*,

das, Sarracenis *Cuta*. Ad occiduam Panormitani agri regionem pyramidis instar sese subrigens, ad cujus verticem dulcis, & frigidæ aquæ fons; circa latera vero cryptæ amplæ & profundæ; ad radices denique satis extensas fructiferæ arbores & oleę succrescunt. *Cucio* utrinque adjuncti minores colles duo, & ipsi etiam acuminati.

ADERNITIS Vallis Mazaræ olim casale, cujus erat Dominus sub Friderico II. sæculo XIV. *Franciscus Mangiavacca* Messanensis Miles.

ADRAGNUM Sarracenorum Casale haud procul a Sambuca, mox Christianis cultum, & Montisregalis Monasterio a Guillelmo II. cum aliis concessum. *Concedimus & donamus* verba Regii diplomatis sunt, Panormi MCLXXXV. *ipsi Ecclesiæ Casalia hæc, quę dicuntur Juliana, Comichi, Adragnum, Lasicuca, & Senure, cum omnibus justis tenimentis, & pertinentiis suis, & cum Cappellis eorum*. Monregalensis Archiepiscopi beneficio ad sæculi dynastas pervenit; hinc *Eleonora* Joannis Infantis filia tenuit, ejusque heres *Antonius de Luna*. Consule *Sambuca*. Cluverius *Adronem* Diodoro memoratum, in hoc terrarum tractu *Adragno* locum cessisse tradit. Fazellus desertum, ruinisque solis & nomine superstes *Adragnum* dixit.

ADRONUS Vicus antiquissimus inter Segestam & Macellam, munitus tamen, & ab Romanis non expugnatus. *Adronem vicum*, inquit lib. XXIII. Diodorus, *& Macellam per multos dies, quum oppugnassent Romani, re infecta abivere*.

ADRIANUM Nemus inter Pritium & Bivonam venationi aptissimum. In eo olim Guillelmus II. Siciliæ Rex aprum interfecit, votoque concepto, Monasterium ædificandum curavit, quod S. Joannis de Eremi-

tis *Panormi* unitum voluit. Pirrus celeste ibi ostentum factum Guillelmo scribit.

ÆGADES Insulæ Phorbantia, Ægusa, & Hiera, hodie *Levensus*, *Marctimus*, & *Favignana*, contra Drepanum & Lilybæum Siciliæ objacent. Putat Cluverius Hieram *Marctimum*, *Favignanam* Ægusam, Phorbantiamque *Levansum* esse. Addit Plinio lib. 3. cap. 8. Bucinnam insulam memorari, & Hiero leson; primamque Ptolemæi *Phorbantiam* putat, alteram, uti ex nomine patet, Hieram. Dausquius & Cellarius Ægathes dicendas mordicus substinent, vel a capris sylvestribus, vel denique ab rupibus, asperisque scopulis, quorum ingens copia apud Hieram & Phorbantiam, adeout nonnisi a Nautis locorum peritis adiri possint. Livius cætero Florus, Mela, Silius, & Stephanus *Ægates*, ultima syllaba non adspirata, passim vocant, uti idem Dausquius advertit, qui vocabulum *Ægades* Eustathio usurpatum nihilominus non improbat. Contra Cluverius utramque dictionem *Ægates* & *Ægathes* Nonii, & Fraculphi authoritate veluti vitiatas improbat. Polybius *Ægusas* nominat. Id vero vocabuli, quamvis unius tantum insulæ, uti vidimus, sit proprium, reliquis etiam appingitur.

Celebres sunt Ægades ob cladem Carthaginiensibus sub Annone Duce ab Romana classe, Catulo Lutatio Consule Præfecto, illatam. Centum quippe viginti naves illi amiserunt, quarum L. fluctibus absortæ; LXX. vero cum captivis X millibus in victoris potestatem devenere. Bello hinc Punico primo tunc finis impositus. De his denique locutum Virgilium Pompejus Sabinus affirmat: *Saxa vocant Itali mediis in fluctibus aras*. Verum aliæ omnino creduntur Aræ seu saxa, ubi fœdera utriusque gentis icta sunt. Quo enim pacto Sa-

ra, seu scopuli dici possunt *Ægades*, quum amplæ sint insulæ, uti ostendam. Aliæ prorsus inter Siciliam & Sardiniam *Aræ mediis in fluctibus* dicuntur. Cluverius Sabinum secutus errori & ipse patuit. Suis in locis de singulis verba faciam.

ÆGESTA. Vide *Segesta*. Ibi de *Ægestano* Emporio, hodie *Castello ad mare*, ac de Aquis *Ægestanis*.

ÆGIMURI Scopuli, seu parvæ Insulæ aliter *Aræ*, de quibus infra.

ÆGITALLUM Promontorium, *Ægitharsum* Ptolemæo; Caput *S. Viti* Fazello, Caput *S. Theodori* Cluverio. *Acellum* quoque appellatum Diodorus testatur, de quo jam verba feci. Caput S. Viti sub Eryce ad Septentriones inter Drepanum, & Segestanum Emporium, vulgo *Castellum ad mare*, quod in mari prominens altisque rupibus constans, vere promontorium dicitur, celebrius in hoc Siciliæ latere, omnino antiquis obscurum, atque innominatum nemo sibi persuaserit, hinc *Ægitharsus* Ptolemæi, & Diodori *Ægitallus* satis congrue Fazello creditur. Contra S. Theodori sub Eryce quidem in occiduas oras, planum, depressumque omnino excurrit. Cluverii aliunde rationes de *Ægitharso* ad S. Theodorum, alibi in Notis ad Fazellum expunxi. Ptolemæus itaque inter Lilybæum, & Drepanum *Ægitharsum* constituens, emendandus. Consule *S. Viti Caput*, *Ægitalli* quoque meminit Zonaras lib. 2. ubi Arcem fuisse enarrat, de qua Diodorus. Vide *Acellus*. Veteris habitationis ingentes reliquias, [vulgus *Conterranam* vocat], & Arcis olim ingentis, qualis *Acellus*, hodie videmus.

ÆGUSA hodie *Favognana*, de qua inferius.

AGATHERIA Fluvius. *Flumina duo* inquit Aretius, *prope Thermas Panormum versus collocant: Agatheriam*

sberiam unum hodie nomine, & Tercsiam alterum, quem fontem Trebiæ esse opinor. Igitur *Agatheria* est Aretio Thermarum amnis, de quo suo loco. *Agatheria* Siciliæ fluminis prope Thermas meminit etiam Boccacius. Id hodie vocabulum amisit.

AGRAGAS Fluvius, a quo celebris proxima urbs appellata, hodie *S. Biagii*, atque olim *Dragus* etiam dictus.

AGRIGENTUM totius insulæ post Syracusas, urbs olim nobilis, Græcis ΑΚΡΑΓΑΣ. Siculis *Girgente*, compluribus memoratur scriptoribus cum poetis, tum historicis. De illius ortu Thucydides lib. 6. *Gelam Antiphemus e Rhodo, & Entimus e Creta ducentes colonos, communi opera condiderunt anno* XLV. *postquam Syracusæ conditæ. Anno vero* CVIII. *a sua urbis primordio Gelenses Agragantem condiderunt, a flumine denominantes urbem.* Gela Olympiadis XXII. anno III. originem cognovit ante Christum Dominum DCXC. *Agrigentum* hinc Olympiade XLIX. ante Christum DLXXXII. fundatum censet Cluverius; Dodvellus vero anno I. Olympiadis L. Quod a flumine nomen acceperit Ælianus etiam variæ Histor: lib: II. c. 33. affirmat, & Pindarus in Olym: Ode II. *Habitaculum fluvii urbem* appellat, idest, quod ejusdem esset nominis cum *Agragante* fluvio. Polybius vero ex Fazello a soli fertilitate etymum deducit. Gelensis porro coloniæ authores Aristonem, & Pistilum dicunt. Describit illã Polybius lib. 9. hoc pacto: *Agrigentum propter firmitatem munitionum urbis pulchritudinem, & operum magnificentiam plerisque præstat civitatibus. Etenim quum sit urbs a mari condita stadia* XVIII. *omnia abunde suppeditat commoda, quæ solet mare afferre. Ambitus vero ipsius cum natura, tum arte egregie est munitus; inædificatus quippe*

ejus

ejus murus est in vertice rupis, nativi, praeruptique soli, & quod suapte ingenio loci, quod arte, & industria hominum praerupti. Cingitur praeterea e fluminibus: ad australe nempe latus amnis fluit ejusdem cum urbe nominis; occidenti soli, & Africo oppositam partem alluit, qui nominatur Hypsa. Quod ortum solis urbis respicit arx imminet, quae ab exteriore parte voragine alta, atque inaccesso circumdatur; intra vero muros venientes ab urbe uno aditu admittit. In summo vertice Minervae aedes visitur, Jovis Atabyrii ..... Olympii quoque Jovis templum, & si cultus non accessit, magnitudine tamen incepti operis, & amplitudine nulli ex Graecia operibus est secundum. Haec Polybius.

Sed ejusdem templi descriptio ex Diodori lib. 13. elucet. *Olympii Jovis templo, quum jam prope esset, ut tectum induceretur, bellum impedimento fuit. Ab eo autem deinceps tempore, exciso oppido, nunquam postea colophonem aedificiis imponere Agrigentini potuerunt. Fanum id pedum cccxl. longitudine porrectum est, ad lx. vero pedes latitudo patet, & ad cxx. pedes altitudo, fundamentis tamen exceptis attollitur. Maximum hoc omnium est, quae per insulam habentur, & magnitudine substructionum cum caeteris quoque comparari meretur.* Pergit hinc historicus templi partes singulas designare, quod scilicet una cum parietibus columnae assurgerent rotundae extrinsecus, sed quadratae intus forma, *quarum ambitus ab externa parte xx. pedes habuerunt, tanta strigum amplitudine, ut corpus humanum inserere se apte posset, internus vero pedes xii. contineret.* Porticus, subdit, amplitudine stupendas esse, in quarum parte orientali Gigantum conflictus, caelatura, magnitudine, & elegantia operis excellens visebatur; ad occasum Trojae expugnatio efficta erat, ubi heroes

sin-

singuli affabre ad habitus sui formam elaborati celebrabantur. Magnificentissimi hujus ędificii rudera supersunt adhuc ab incolis Gigantum Palatium appellata, & graphice descripta habes in prȩclaro *De antiquitatibus Siculis* opere, Josepho Pancratio Clerico Regul: authore; ubi alia quoque veteris *Agrigenti* monumenta, accuratissimus scriptor complexus est, videlicet Cereris, & Proserpinę templum, de quo Fazellus, sacris hodie Christianis dicatum sub S. Blasii nomine; Jovis Poliei in arce, Polieno in Stratagem: memoratum; Junonis Laciniȩ, ubi teste Plinio eximia Zeusis tabula; Jovis Atabyrii, & Minervę, quorum Polybius, uti vidimus, meminit; Herculis, in quo ejusdem ex ære fuso simulacrum ex Tullio; Concordiæ, & Pudicitię ex eodem Fazello; Æsculapii, unde pulcherrimum Apollinis signum Verres abstulit; Vulcani, a quo Vulcanius tumulus, apud Solinum celebre; Castoris, & Pollucis ex Pindaro, Piscinam xx. cubitis profundam pass. in latum, & longum patentem a Diodoro descriptam. Aquęductus Feacios a Feace Artificum Præfecto appellatos; Theatrum eminentissimum, quod Julius Frontinus celebravit, Theronis denique sepulchrum. Ex quibus, & aliis illud verum esse comperimus, quod *Cluverius* testatur: *Hodie* inquiens, *templorum veterum ingentes, hic atque permultę reperiuntur reliquiæ, maxime ab ea urbis hodiernæ parte, quæ ortum solis hyberni spectat ... atque adeo nullas per omnem insulam antiquitates reperisse me hisce comparandas fateor*; De Camico porro arce olim *Agrigenti*, deque fluviis ad eamdem urbem spectantibus a Polybio memoratis suo loco. Interim qualis sit in prȩsentiarum urbs eadem explicabo.

Occupat recens *Agrigentum* supremam eam col-

lis partem, ubi olim vetusta arx stabat, in *Camico* appellata, occasum, meridiemque, & proximum respiciens mare; concludit hinc munimentum illud natura, & arte factum, de quo Polybius loquitur, ac tota idcirco declivis est situs. In tumulo princeps Ecclesia, Episcopali cathedra nobilis, S. Gerlando ejus post exactos Sarracenos primo Pontifici ab anno MCCCI. sacra, quem singularem cives Patronum colunt; Adhæret huic Episcopale palatium amplum ac decentissimum, nec inde procul arx surgit editiori in loco ad ortum, olim munitissima a Gualterio Gerlandi successore, uti ferunt, contra Sarracenorum incursus extructa. Templum ipsum maximum idem S. Pontifex ex quadrato lapide jussit, ac sexto completum anno Deiparæ Virgini, & S. Jacobo Apostolo dicatum tunc voluit. Bertuldus de Labro subinde anno MCCCV. consecravit; Franciscus Gisulfo Episcopus magnis impensis instauratum, in meliorem formam redegit, alter denique Franciscus Rhini fronte elegantissima ad occasum vergente ornavit. Ibi hodie Collegium est Canonicum XX. constatum primariis Alumnis, Beneficiariis XXX, & Mansionariis XXVI. Sed inter illos *Decanus*, *Cantor*, *Archidiaconus*, & *Thesaurarius* eminent; quorum singuli pinguibus gaudent præbendis, redditusque ex Diœcesis decimis percipiunt. Jam vetus Claromontanorum domus, quam celebrat Fazellus, eamque opiduli speciem præbere dicit, ad paucos dissidet passus. In ea Clericorum *Seminarium* Cæsar Marullus primum MDLXXV. constituit, quod Vincentius subinde Bonincontrus, Episcopus & ipse MDCVII. ampliavit, successoresque certatim augere curarent, uti inter cætera totius insulæ Ephebea præcipuum passim credatur. Succedit civicum Prætorium non inelegans prope forum; reliquæ nobilium ædes ornatæ,

natæ, sed veteris ævi pene omnes vestigia retinent. Inter sacras distinguuntur Parochiæ S. Michaelis, & S. Petri, quę suos habent Curiones, ac tertia S. Crucis in Suburbio, sub Cathedralis Ecclesiæ degens jure. Hujus autem Magister Capellanus ex secundariis Canonicis unus est alternatim, ac per annum munere fungitur; sed & minores, seu filiales Ecclesiæ cum laicorum Sodalitiis VII. enumerantur, in quibus omnibus decens cultus minime desideratur.

Monasticas porro familias complures *Agrigentum* fovit cum extra, tum intra mœnia. Benedictini enim in S. Mariæ Bonamuronis excepti sunt ad primum lapidem circa littus, qui subinde MCCXXVIII. Ugonis Episcopi authoritate, & *Friderici* Cęsaris decreto, intra ad ędes Sarraceni sub Theodosio Abbate migrarunt. Altera Cistercienſium colonia ad Phalaridis vetus Palatium, ejusdem Pontificis donatione anno MCCXIX. Peregrino S. Marię de Adriano Priore agente, deducta est. Utrumque locum Minores Capuccini, & Observantes postea occuparunt, uti mox dicam. Canonici Regulares S. Georgii de Alga templum quoque de Monte Serrato pass. M. V. ab urbe hodierna incoluerunt, quod olim superstitiosum Vulcani fanum in colle Vulcanio, omnium admiratione dignissimum erat, non longe a fonte, ubi oleū supernatat. Ex eo illi circa MDCXXVI. recessere; sed in obsequium Deiparæ, & Virginis Rosaliæ ædes publico ære aucta est, hodieque illius e marmore signum affabre exculptum summa frequentia, ac pietate colitur. Carmeli Eremitis ex Asia, B. Angelo duce, trajicientibus, primus in Sicilia locus *Agrigenti* attributus dicitur in *Rabatello*, seu parvo suburbio, quem novis ędificiis gens Claromontana subinde nobilitavit. Eodem in suburbio Fridericus Claromontanus,

tanus, ejusque fratres anno MCCCXV. S. Dominici ascetis cœnobium ędificarunt, quod hodie intra pomęrium circa forum, nedum fabricis, sed regulari observantia, & eximia alumnorum doctrina splendet. Horum enim duo in Collegio SS. Augustini & Thomæ ab Episcopo Francisco Raymirez prope Seminarium instituto, Sacris Canonibus, & morum Theologia tradendis incumbunt. Anno Decimi quarti sæculi VIII. Claromontani rursus, Manfredusque cum primis ędes suas magnas Conventualibus Minoritanis ad civitatis mœnia, in ortum, censusque congruos designavit, Ecclesiam construxit, gentilitias adhuc tesseras præferentem, in quam ęvo omni præcipui ex nobilibus se inferri a morte mandarunt, idque illorum stemmata sepulchris appicta testantur. Structura porro Cœnobium paucis in Sicilia decedit. Minores quoque Observantes in veteri Phalaridis palatio sub S. Nicolai nomine, unde Cistercienses recessere, quod pass. M. abest, ac ruinas ostentat ingentes, coaluerut. Author Matthęus de *Agrigento*, vir pietate clarus, qui Alphonsi Regis auspiciis tertium in Sicilia statuit, & IV. mox S. Viti Mart. titulo ad D. pass. fūdavit, quę a Bonaventura Sciascia Reformatis ejusdem ordinis MDCXXX. evocatis, attributa. Tertius S. Francisci ordo, Hieronymo Rizzo ejusdem alumno agente, in Deiparæ de Consolatione ad forum an: MDXXIII. suā fixit sedem. Capuccinis vetus S. Marię Bonamoronis cessit, in quo Deiparæ Virginis imago in pariete depicta prodigiis clara sollemni festiva pompa, & nundinis die VIII. Sept: recurrente celebratur. Verum ex hoc, sæculi elapsi anno XCVII. in aliam opportuniorem regionem sub monte Athenæo ad austrum, cupressis, alsisque consitam arboribus, fratres demigrantes, nova Ecclesia, quam Franciscus Raymirez consecravit,

novoque instituto Conventu, eò Virginis iconem transtulere. Jam Minimi Paulenses S. Crucis nosocomium MDXXX. juxta primariam urbis portam de Naro appellatam, qua ad proximum mare civibus est iter, occuparunt in Rabatello. Id cœnobium magnificum, ac populi pietate frequens dixit Pirrus. S. Augustini Eremitę, rem promovente nobili Setaiola familia MDLXXXIV. prope S. Sebastiani Ecclesiam intra mœnia ad austrum decens asceterium habuere. Mercenarios ad ædem S. Mariæ de Misericordia prodigiis, & fidelium veneratione dudum celeberrimę in *Rabatello*, anno eodem exceptos Antonius Lombardus Episcopus variis affecit beneficiis. Eosdem Reformatos in S. Jacobi olim parochiali extra muros anno MDCXX. ab Episcopo Vincentio Bonincontro fundatos memorat Pirrus; sed ex duobus hodie hoc secundum superest, & in eadem S. Jacobi Ecclesia circa austrum fulget. Oratorium denique S. Philippi Nerii anno MDCLVI. Antonii Antinoris pii Sacerdotis opera, in pervetusta, sed exigua S. Joseph Ecclesia erectum, ea in ampliorem formam redacta, viget hodie splendidum haud procul a foro.

Ex Sanctimonialium claustris insignius est Monasterium, *Grande* nuncupatum, Cistercienfis instituti, in S. Spiritus ęde a Fazello, & Pirro Claromontanis adscriptum; At ab Invegio Marchisię Præsulię Manfredi Claromontani Motycæ Comitis matris opus jure vulgatum, uti fundationis carta MCCXCIX. mense Augusto exarata satis declarat. Subdebantur initio Cœnobii Casęmaris Abbati, nunc ad Episcopum illarum cura spectat, egregiisque ædificiis occiduam *Agrigenti* plagam exornant. Alterum, quod *Parvum* dicunt, S. Mariæ de Auxilio titulum refert, ac sub S. Claræ regula ab anno MD.... conditum laudatus Pirrus testatur. Ejus est satis

ele-

elegans Ecclesia, Claustra in urbis centro magnifica. Sub Tertio Minorum ordine postremum S. Vincentii hodie nomine venit, quod ad Deiparæ de Commendata Ecclesiam olim Didacus Haedo Epis. anno MCCLXXVII. constituit, & in aptiorem locum Bonincontrus sequenti sæculo transtulit. Non omiserim ex S. Gregorii Papę Epistolis S. Stephani Monialium Parthenonem innotescere, qui ab urbe pass. II. dissitus ex fama, & vestigiis ibi stetit, ubi S. Marci hodie vetus Ecclesia exurgit. Mulieres ad meliorem frugem conversas excipit S. Annę Gynęceum ejusdē Episcopi Bonincontri jussu fundatum, cui puellarum virginum claustrum adhęret. Egenis ægrisque fovendis Hospitalis domus patet amplissima; Sub S. Joannis de Deo quoque nomine aliud viget pro puellis ad austrum conclave; nec non B. Mariæ pro eodem sequiori sexu Collegium S. Rosalię titulum servat. Mons denique Pietatis, uti vocant, satis dives ad illicita extirpanda fœnora in S. Cęcilię, Episcopis accurantibus extat. Militares Equites Theutonici cum suo Præceptore dudum S. Marię Magdalenæ Ecclesiam tenuere, quam bonis auctam Mansioni de Panormo Joannes Claromontanus anno MCCCXXXIV. subdidit. At sequenti sęculo, Messanensi Ordinis Jerosolymitani Prioratui Bernardi de Caprera donatione, Martino Rege confirmante, addicitur. Est hodie S. Joannis Baptistæ nomine Commenda, in qua solemne S. Mariæ Magdalenæ festum celebratur.

Ex mœnibus, & turribus per intervalla assurgentibus major potiorque perdurat pars. Portæ precipuæ tres patent, quarum una ad occasum a Ponte, altera in ortum a proxima Naro civitate; tertia ad aquilonem a Mazara denominatur. Pons a qua occidua porta, magnificus, & unius fornicis supra Agragantem, seu Dragum flu-

vium

vium subrigitur. Amplum, & frequentissimum adhæret mœnibus suburbium circa eamdem cœli plagam. Ad maris littus nostris diebus ingenti sumptu, Laurentio Joenio Episcopo æs suppeditante, moles portus constructa, ubi & celebre frumenti Emporium assurgit. Publicis hisce operibus urbs ornata jure Siculis in Regiis libris *Magnificæ* titulum præfert; Gigantes in scuto ostentat arcem humeris substinentes, & Comarchiæ caput audit. Præfectus indigenæ militiæ *Agrigentinus* ex circumpositis opidis collectos pedites DCCII. Equites CXLVI. sub signis educebat. Armorum Dux a Rege delegatus supremas agit partes cum in civilibus, tum in bellicis rebus; Magistratus Decurionibus IV. & Syndico, nec non Maleficiorum Quæstore coalescit; Hic suos habet in lege peritos socios, qui de capitalibus non judicant; illi in publico Regni consilio V. proferunt votum. Lares sæculo XVI. complectebatur 2450. animas 11792. sequenti focos 2398. incolas 9125. sed ex Pirro 2262. lares, cives 8882. Decurrentis sæculi anno XIII. lares 2844., incolas 11372. novissime 15070. Episcopus in Comitiis Ecclesiasticos inter proceres VI. occupat locum, & Panormitano subiicitur Metropolitæ. Amplã juris dicendi facultatem etiam in urbe possidet, moderaturque res sacras in Regiis civitatibus sex, opidisque hodie circiter L. quæ Fazelli ætate erant ex majoribus XXV. Sextus & quadragesimus a S. Libertino primis Ecclesiæ sæculis pontifice hodiernus computatur Andreas Lucchesius patria Messanensis, nobilitate, doctrina, morumque gravitate paucis secundus. Sed a S. Gerlando post Sarracenos exactos est trigesimus quintus.

Situ cum novi, tum veteris *Agrigenti* indicato, jam hic nonnulla cursim delibare de illius varia fortuna fert animus. Levia habuisse *Agrigentum* principia.

pia, & prisci affirmant scriptores, & coniici ex eo facile poterit, quod Gela, unde colonia deducta, ortu suo vix sæculo præcesserat, paucosque idcirco emisisse poterit opinari. Doricis porro legibus, si Thucydidi est fides, imbutum fundatores voluere. *Agrigentinos* hinc Dores Lucianus fuisse perhibet; Strabo autem Jonicos evulgat lib. 6. Quum autem illorum ager bonorum copia exuberaret, uti Diodorus scribit, & opposita Africa nondum plantis consita, pluribus indigeret, uberrimam fructuum copiam venundatum Carthaginem inde asportabant, cultoresque *Agrigentini* territorii ex permutatione opes immensas lucrabantur. Factum hinc, uti allecta vicinorũ multitudo, mutatis sedibus, eò quasi ad commune horreum conveniret. Tanta subinde frequentia incolarum numerus crevit, sic ut ambitu x. pass. m. bis centum millia ex Diodoro urbs contineret; (Errat Fazellus octingentis millibus habitatam dicens, ex Laertio, qui ad LXXX. millia cives enumerat) pagisque & municipiis vallata, celebri ad littus emporio instructa, *Magna* ab Empedocle cive, *Vasta* a Plinio, omnium pene Græcarum urbium opulentissima a Diodoro appellari meruerit. Processu ævi in Phalaridis tyrannidem, cujus est nomen ob sævitiam notissimum, *Agrigentum* incidit, annisque octo & viginti servitutem servivit. Ab eo nihilominus, & mœnibus vallatũ, & variis fœliciter gestis expeditionibus celebrius redditum; Stesichori denique, & Pithagoræ, quos ad se aliquando vocavit, nobilitatum fuisse constat. Phalaride occiso, *Agrigenti* tyrannos Alcamenem & Alcandrum Heraclides inducit, nec dissentit Dodvellus, quibus deletis, non diu post Thero patriæ dominatum invasit, vir sane optimus, multisque contra Pœnos victoriis illustris, quem Thrasideus filius, vecors, crudelisque

iisque excepit, brevi hinc ejectus a civibus fuit, unde optata demum libertas illis affulsit; pace enim cũ Syracusanis composita, Reipublicę statum *Agrigentini* instaurare, sociisque civitatibus consulere deinceps curarunt. Bellum subinde eosdem inter populos Olympiadis LXXXIII. anno III. quod nostris male cessit, diuturnum non fuit. Quod Atheniensibus faverint Frontinus perperam vulgavit in Stratagem. Fœderatę illis aliquot Siciliæ urbes fuere, nec inter illas *Agrigentũ* enumeratur; & si suppetias Syracusanis expetentibus prçfracte *Agrigentini* negaverint. A Pœnis longa obsidione vexata urbs, tandemque expugnata, ac fœdè direpta, adeout nec ipsa Deorum templa integrum aliquod præseferrent, Timoleontis opera, deductis ex Achaja colonis, dispersisque civibus in patriam revocatis, instaurata revixit, uti Plutarchus est author. Diodorus tamen jam ante Dionysiana tempora *Agrigentinis* civibus, ut ad sua redirent, concessum, clarissimè lib. 13. testatur. Timoleon idcirco deducta colonia muris que restitutis, incolis reliquis adhuc dispersis in lateribus firmatis, Agrigenti instaurator dici potuit.

Tam celeri porro fęlicique incremento paucos intra annos denuo coaluit, uti Olympiade CXIV. Syracusanis tunc maxime potentibus fortiter obstiterit, quibuscum sub Agathocle Tyranno signa etiam conferre non dubitavit. Quum enim hic suos nedum, sed & finitimos populos vexaret, Messenios, & Geloos in societatem Agrigentini vocantes, accito e Lacedæmone Acrocato, qui copiis præesset, bellum non instrenuè susceperunt. Verum Amilcaris Carthaginiensis interpositione reconciliatis tunc animis, pax quidem componitur; sed Agathocle in Africa adversus Pœnos dimicante, opportunam nostri occasionem nacti insulæ populos

pulos sibi adjungendi, resque Siculas pro arbritrio moderandi collecto exercitu, duce Genodoto, Gelam, Camerinam, Heracleam, Echetlam, Erbessum, aliasque ad se pertraxere, hostium agros popularunt. At hæc prosperitas diuturna profecto non fuit, a Leptine siquidem supremo Syracusanæ militiæ duce non semel superati, finibus suis contenti aliquando quieverunt ad Agathoclis usque mortem. Post quam exurgentibus per Siciliam plerisque tyrannis, Phintias *Agrigentum* sibi subdidit, cum Iceta Syracusano manus sub Hybla Heræa conseruit, Gela excisa, traductos ex ea cives in nova urbe a se appellata constituit, Carthaginenses auxiliares vocavit. Phintia deturbato, Pyrrho Epiri Regi ab aliis Siculis in principem adscito cum primis adhæsit, quo etiam abeunte, in Hieronis partes *Agrigentum* concessit, eique fœderatum contra Campanos Messanæ incolas armis contendit, Pœnosque intra mœnia demum admisit. Primo hinc bello Punico, quum omni commeatu, copiisque, veluti præcipuam arcem adversus Romanos, urbem Carthaginienses munitam opposuissent, Consulari exercitu, durissima obsidione, arctata, victoribus illa tandem cessit, direptaque in prædam data est. Secundo bello post classis Romanæ ad Pachynum naufragium rursus a Pœnis invaditur, mœnibus excisis devastatur; mox Gallorum rapinis, qui sub illis stipendia merebantur, exponitur. Ab Levino tandem Consule recepta, penitus eversa, ac deserta relinquitur. Tito Manlio Siciliæ Prætore non multo post ex Senatus consulto, colonia e pluribus vicinis opidis collecta, veteribusque civibus domum redire compulsis, frequentari passim ibi cœpit, ubi prisca arx fuit, in Camico appellata. Per id tempus, ne a colonis recenter deductis veteres cives vexarentur,

Scipio tertio Bello Punico lege sanxit, ut plures illi non essent, quam hi postremi, uti Cicero in Verr: iv. Nuntios cetero ad Romanos subinde misisse *Agrigentinos*, & propriis Sacertotibus usos, veteres lapides produnt.

Christianis temporibus, veluti una ex præcipuis insulæ civitatibus, Episcopalis sedes *Agrigentum* constitui, ac S. Libertino commissum, hujus glorioso sanguine pro Christi fide effuso consecrari meruit. Ejus apud acta S. Felicis Tiburis in Africa Episcopi est mentio; hic enim *Agrigenti* exceptus, dum Romam navigaret, ibi dicitur. Alios subinde habuit pastores sanctitate conspicuos, quos Pirrus commendat, ad S. Hermogenem sæculo ix. ineunte Episcopum, ante Sarracenorum tyrannidem ultimum. Sarracenis enim cum primis anno DCCCXXV. *Agrigentinos* se dedisse scribunt. Ex historia Sarracenico-Sicula illud adnotatum comperimus: anno circiter CMXX. contra Afros insurrexisse Sarracenos Siculos, ac præcipue *Agrigentinos*; erat enim *Agrigentum* indigenarum tunc multitudine frequens; Salemi Amiræ exercitum fudisse, ipsamque Panormum adortos, Græcos in auxilium evocasse, quumque dira fames subinde insulares premeret, hic illac *Agrigentinis dispersis*, Amiram illorum urbem sibi vindicasse, quæ tandem in Rogerii Comitis potestatem anno MLXXXVI. venit. Tyrannico porro barbarorum jugo annis CCLX. oppressum *Agrigentum* ingemuit, quadrimestri obsidione arctatum Comiti se dedit, qui Tamicti uxorem ac filios in fidem receptos, adeo honeste tractavit, ut ex benignitate ad se pellexerit, & tota cum familia Christi sacris imbuerit. Pontificia dignitate, eodem agente Comite, mox revocata, Gerlandus primus Episcopus inauguratur, qui religioni amplificandæ nedum totus incubuit, sed urbis ornatui, & muni-

munimini promovendo indefessam navavit operam. Inter Gerlandi successores Gentilis emicuit, & Bartholomæus, qui primis Regiæ aulæ muniis perfuncti *Agrigentinæ* Ecclesiæ præclare consuluerunt. Sub Andegavensibus Conrado Capicio, qui Corradini partes sequebatur, nostri adhæsere, mox Caroli fasces metu subacti agnoverunt. Tunc gens Claromontana *Agrigenti* sedem statuit ex Pirro, urbem excitatis magnificentissimis operibus nobilitavit, perstititque ad Martini Regis usque tempora. Memorat Fazellus sollemnes Henrici Rubei Comitis cum Friderici Claromontani filia celebratas ingenti pompa, & procerum frequentia nuptias. Post Andreæ Claromontis fatum, qui se veluti *Agrigenti* dominum gerebat, Guillelmus Raymundus Montecatenus, urbis quoque jura sibi usurpavit, cui Matthæus filius successit. At enim illis ab eodem Martino deficientibus, *Demanialibus* deinceps civitatibus accensum *Agrigentum* remansit. Divisa hinc insula tunc temporis in Valles IV, secunda ab *Agrigento* nomen habuit. Anno nihilominus MDCXL-VIII. ad Regium ærarium levandum viginti supra centum aureorum millia *Agrigentinus* Episcopus Franciscus Trahina obtulit, urbemque, quam venum exposuerant, ea summa, plaudentibus civibus, redemit. Cautum idcirco deinceps, ne ab immediata Regis potestate usquam illa distraheretur.

Agrigentini egregii cives veteres memorantur: Empedocles genere nobilissimus, Philosophus non modo celeberrimus, sed Medicus, Poeta, Historicus & Orator egregius, cujus in omnium ore fama, nomenque personat. Scripsit de Rerum natura, ac de aliis rebus, prosa, & versu. Acron, aliis Creon, Xenone ingenuo satis viro natus, Empedoclis civis sui

in Philosophicis studiis socius, Athenis publice Rhetoricam professus est, & Empiricę Medicinę parens dici meruit. Vixit ante Hippocratem. Male Acron & Creon diversi a nostris Fazello & Pirro inducuntur, uti adnotavit Mongitore. Empedocles alter primi ex sorore, vel ex filio nepos, vir præcipuus & in Olympicis victor, Philosophus pariter insignis, & Poeta. Polus Gorgiæ Leontini auditor, eloquentia plurimum valuit, & Philosophus emicuit; secundus idcirco ab Empedocle jure habitus, æque & ille patriam illustravit. Metellus doctrina clarus, & musices peritissimus, a quo Armonicam hausit Plato scientiam. Archinus poeta, qui ex tragędiis ęditis non vulgare nomen conquisivit. Circinus Tragœdus poeta ex Suida, sed Comicus ex Laertio, Syracusis cum Eschine apud Dionysium minorem vixit, ab CLX. scriptis tragędiis clarissimus. Dimolchus Epicarmi discipulus, aut filius, atque ex Æliano Antegonitta, nonnullis inter Syracusanos relatus, Comica poesi illustris XIV. fabularum author. Moschus Gorgię auditor ex Silvagio. Philinus Historicus, armis ęque ac literis addictus, Annibalis castra secutus, bellum scripsit inter Carthaginienses & Romanos propter Siciliam gestum, claruitque Olymp: CXL. Sophocles demum ex Tullio in Verrem 5. disertissimus. Sed & eximios protulit *Agrigentum* etiam pugiles, ducesque Teronem, de quo dixi; Xenocratem illius fratrem in Phytiis curru victorem, cui Pindarus duas dicavit odes; Exenetum, quem ex Olympia cum palma redeuntem quadrigis eburneis trecentis, equis albis adjunctis, effusi cives excepere; Antisthenem cognomento Rhodum, splendidissimum, ingentisque animi virum; Gelliam omnium æque ditissimum, ac modestissimum, ob exhibitam hospitalitatem celeberrimum;

Phi-

Phintiam denique, cujus memini, aliosque in Historiis passim commendatos.

Fæliciori ævo post susceptam scilicet Christi Domini fidem, longe illustriores aluit. Quorum præcipui sanctitatis, aut virtutis fama, sacrisque infulis clari floruerunt S. Gregorius I. Episcopus, cujus in S. Agrippinæ actis est metio. Templum illi sacrum *de Rupis* appellatum, ubi olim Æsculapii fanum, hodie visitur. S. Potamio, qui sub Agapito Sum: Pont: *Agrigentinam* rexit Ecclesiam; S. Gregorius II. Potamionis discipulus, & in Episcopatu successor ordinis S. Basilii, miris a Deo prodigiis illustratus; Duo alii Gregorii III. & VI Liberius, Fælix, Ausonius, Theodosius, ac S. demum Hermogenes, omnes ante Sarracenorum irruptionem patriæ Pastores præclarissimi; post quam eamdem moderati sunt Ecclesiam Bertuldus de Labro, & B. Matthæus de Gimmara primus ordinis sui de Observantia in Sicilia propagator, S. Bernardini Senensis socius, & Regi Alphonso ob vitæ integritatem charissimus. Nicolaus præterea ex Minoritis etiam, Siculæ provinciæ Rector, mox Emonensis Præsul, tandemque Panormitanus Archiepiscopus, Petrus Roganus ex Prędicatoribus Mazariensis; Matthæus Episcopus Cretensis, Martino I. Regi acceptus; Lucas Zarzana Minoritanus Cephaledii; & Joannes de Monteaperto genere nobilissimus, cujus in Mazarensis Ecclesiæ notitia, quam ille optime rexit, eximia gesta Pirrus testata reliquit. Hi omnes *Agrigentum* gentile municipium recognoscunt; quibus idē Pirrus accenset Nicolaum Valla ordinis Minorum, Episcopum Medaurensem in Africę partibus titularem, de quo inferius, & Guillelmum e S. Dominici familia, doctrina, & pietate commendatum, de rebus Fidei in Sicilia anno circiter MCCCXIII. Quæsitorem.

torem. Jam moribus, & vitæ perfectione conspicui *Agrigentini* etiam cives fuere B. Eudosia Pœnitens, cujus in S. Gregorii ii. vita est mentio, quæ circa vi. sæculi exitum Romæ sancto fine quievit in S. Cæciliæ Cœnobio tumulata. Ven: Maria Crucifixa a Conceptione, Isabella Thomasia in sæculo dicta, ab ipsa pueritia perfectum quid attigisse visa, Palmæ S. Benedicti regulam professa, divinis charismatibus, heroicisque virtutibus imbuta, sæculo elapso exeunte piissime de hac vita sublata; Bonaventura *Sciascia* ex Minoribus Observantibus Laicus ad arctiorem Reformatorum regulam summo zelo *Siculos* aliquot cœnobitas traduxit, plerisque Monasteriis præclare consuluit. De eo jam supra dixi. Joannes de Alagona ejusdem ordinis ferventissimus Dei præco, virtutum omnium exemplis, & miraculis claruit. Matthæus item ætatis vix annorum xx. prefectissimos quosque optimis moribus superavit, pieque obiit mdcviii. Ex minoribus Capuccinis celebrantur Sebastianus sacerdos, præcipuus divini verbi prędicator, vitę puritate conspicuus, & Ludovicus quoque sacerdos virtute abstinentiæ, jugi orationis exercitio, & altissimæ paupertatis amore commendatus, ambo sui obitus die pręsignata e vivis migrarunt lxxx. & lxxvii. sæculi xvi. anno. De his Pirrus, Cajetanus, & Aprilis, atque Ordinum Annales.

Ex Scriptoribus laudant S. Gregorium Episcopum, de quo egi, ab aliquot concionibus *de Fidei Dogmatibus, de Jejuniis cinerariis* Antiochię, & Constantinopoli editis, Sacrarumque literarum interprętatione, uti apud Cajetanum & Mongitorem. Nicolaum Valla ex Conventualibus S. Francisci, Episcopum in Africa, insignis eruditionis virum, Poetam, Oratorem eloquentissimum. Plura edidit ab eodem Mongitore

Jon-

longo catalogo enumerata. Fridericum de Carrecto nobilem Agrigentinum *De expulsione Ugonis, ac de bello a Carolo V. ad Africam gesto* eruditissimè scripsit. Novissime in Collectione Opusculorum Catanæ vulgata has habes elucubrationes. Martinum Personam Carmelitam Poetam suo ævo eximium. Floruit sæculo xv. Carolum Carusum Juris Consultum ab operibus typis commissis satis commendatum, cujus filius Josephus orbi etiam literario innotuit. Marium Dianam ordinis S. Dominici doctissimum. *Ideam Jurium Interioris Fori* in lucem emisit. Josephum Blondum Societatis Jesu, scientia, & pietate præditum, primariis in Sicilia muniis cum gloria non vulgari perfunctum. Franciscum Petronium ex Minoribus Reformatis, qui de Genealogia S. Annę & Joachim opus eruditissimum composuit; Dominicum Palameoghi Theologum, Ecclesiastem, & Poetam egregiū, S. Francisci Conventualem, cujus ingenii foetus suse Mongitore expendit. Ex eodem in Sicula Bibliotheca cum laude recensentur Augustinus Lazara, Franciscus Antonius Bardi, & Franciscus de Carrecto Poetæ non inglorii; Conradinus de Puteo Juris Cons: Franciscus Cavallus Medicus; Joannes Baptista Carvana Orator disertissimus; Fridericus Agrigentinus, Jorlandus Mascardus, Ludovicus Matrascia & Petrus Attardus Theologus & Juris Canonici professor celeberrimus. Ex Pirro denique Andreas Scaloso, & Bartholomæus Daidone docti eruditique Magistri Minoritani & Siculæ Provinciæ Moderatores commendantur.

Inscripti lapides nulli extant apud Gualterium, qui tante urbi respondeant; quod omnino miramur. Retulit Fazellus, idemque Gualterius unum in basi, quę nunc posita in foro hæc habet. *Concordiae Agrigentinorum*

tinorum

tinorum sacrum Respublica Lilybitanorum dedicantibus M. Haterio Candido Procos. L. Cornelio Marcello Q. Pr. Pr. Numismata aureum unum cum cancro, & aquila piscem unque ferente; Argentea xv. cancro, & aquila, unum cum Jovis figura, & capite insignito, ac decimum septimum cum quadriga & binis columbis dasypedem unque dilaniantibus; Ex ęre complura, iisdem fere figuris, & numinum diversorum Cereris, Martis, Herculis capitibus, tripode, victoria, &c. signata Philippus Paruta exhibet cum epigraphe ΑΚΡΑΓΑΝΤΙΝΩΝ.

Agri *Agrigentini* ubertas ex eo facile dignosci poterit, quod ejus in littore celebre frumenti emporium dudum constitutum, & portus molem ibi construi, ingenti auri summa profusa, sit novissime curatum ad ejusdem agri divitias extra insulam navibus evehendas, mercibusque inde comportatis incolarum commodis prospiciendum. Crevisse hinc sub ipsis initiis olim urbem ipsam, atque ad fastigium usque divitiarum, ac populi adeo immensam multitudinem pervenisse, passim veteres affirmant, uti supra indicavi, quod in proxime oppositam Africæ oram fructuum copiam *Agrigentini* transmitterent, ac lucra idcirco maxima rerum commutatione assequerentur; Nulla igitur re indigent coloni, cunctis affluunt vitæ usui necessariis, & ad delicias etiam largiter illis omnia exuberant. Memorantur cætero Antiquis Scriptoribus apud Cluverium in hoc ipso agro fontes, in quibus oleum supernatat. *Gignitur* ait Diascorides lib. 1. cap. 100. *in agrigentino agro Siciliæ bitumen liquidum fontibus innatans, quo ad lucernas utuntur olei vice.* Plinius lib. 35. cap. 15. *Gignitur & pingue, liquorisque oleacei in Sicilia Agrigentino fonte inficiens rivum. Incolæ id arundinum*

pen-

penniculis colligunt citissime sic adharescens. Utuntur eo ad lucernarum lumina olei vice; item ad scabiem jumentorum. Solinus cap. 11. idem oleum *unguentum medicum contra armentarios morbos* appellat. Fazellus denique eodem oleo ad diversa morborum genera curanda Agrigentinos uti, memorat. Strabo autem lib. 6. circa Agrigentum tradit lacum esse *gustu quidem marino; at natura plane diverso; nam & natandi inscii non submerguntur, sed lignorum in morem supernatant*, Sed lacus hic hodie nullus agnoscitur. Idem Solinus limosas scaturigines Agrigentinum agrum habere tradit. *Bissana nunc* locus appellatur, de quo inferius. Plinius lib. 31. cap. 7. de sale etiam Agrigentino loquitur. Consule *Barangius*.

AGRILLA Fons in nemore Adriano, cujus meminit Guillelmi Regis diploma anno MCLVII. *In loco, qui dicitur Adrianus, juxta fontem, qui dicitur Agrilla, Ecclesiam fundavimus,... & sic fundatam submittimus Monasterio S. Joannis Eremitarum Panormi*. Vide *Adrianum Nemus*.

ALBA, *Albana* & *Allaba* fluvius, vulgo *Macasolus*, & *Maybasolus*. Oritur ex fontibus sub S. Stephano de Bivona, & Rosarum monte, cui Resesius amnis medio pene cursu adjungitur, subindeque in mare Libycum sese evomit inter Isburi, & Halyci fluminum ostia, quæ Calatabellotta, & Platani vulgi voce dicuntur. Fazellus *Maybasolum* pro Isburo vulgavit, cui Cluverius refragatur; Diodorus enim lib. XXXVI. ait Licinium Nervam Romanorum in Sicilia Prætorem transgressum *Albam* flumen, defectores Servos in monte Capriano metatos præteriisse, atque Heracleam devectum, contemptui a Servis fuisse habitum. Caprianus mons Resesius hodie appellatus, is est, sub quo ad oc-

casum *Maybesolas* excurrit, quem *Album* Diodorus dicit. *Alba* certe nomen Fazello excidit, qui Eclogas, ubi libri XXXVI. fragmenta sunt, non vidit; idcirco cum Isburo confundit apud Ptolemæum memorato. *Alba* cætero in Antonini Itinerario *Allava* & *Aliaba* nuncupatur. Sunt quippe ab *Allava* ad Thermas Selinuntias, seu ad Aquas XII. pass. M. totidemque a *Maybesolo* ad Saccam numerantur, ubi Selinuntinæ aquæ. Sed & *Allava* Fazello quoque haud innotuit; iter enim Antonini illi obscurum fuisse satis constat.

ALBIRA Castrum & Casale hodie Pendum. Vide *Sala Donna Albira*.

ALBUM Promontorium protenditur inter Halyci, seu Platani fluminis ostium, & Siculianæ opidi littus in latere insulæ meridionali. Prope olim erat Machara, subinde Minoa, demumque Heraclea; de quibus infra; nec absunt ejusdem Heracleæ ingentis aquæductus rudera. Turris specula asperis ejusdem promontorii rupibus imposita, e longinquo apparet. Hinc vallis *Malipassus* cum dulcis aquæ rivulo, & *Bovis marini* crypta succedit, aliæque subinde rupes, & Turris *Marinata*, de quibus alibi.

ALCAMUS Opidum in primis nobile sub monte *Bonifato* ad VII. circiter pass. M. ab ora maritima lateris septentrionalis, de quo Aretius: *Quis Alcamum condiderit, nisi velimus ab Alcamo Thrace, qui ut Dares Frigius scripsit, Priamo auxilio venerat, conditum, Incertum omnino est*. Ex Monumentis vero Sarraceni-co-Siculis satis clarum explanatumque est: Adalcamum, seu ex Fazello Halcamum ingenti suorum classe ex Africa DCCCXXVIII. solvisse, & in Siciliam delatum aliquot ad insulæ septentrionalem oram loca occupasse, qui ut situm haberet munitissimum, unde a Siculis aliquando

se

se tueri posset, in excelso, & undique praeciso monte, cui nomen *Bonifatium*, opidum arcemque condidit, proprio illi indito nomine, quod postea Fridericus II. Rex ad montis radices transtulit MCCCXXXII., ut ejus constat privilegio, Mense Augusto Julianae signato; Martinus vero arcem vetusti opidi disjecit, cujus nonnulla hodie vestigia supersunt. Sed haec ipsa rudera Aretius perperam *Acestae* urbis vetustissimae reliquias credit. *Mons Bonifaci*, inquit, *Calatafimi opido imminet. In vertice urbis dirutae, quae an sit Aceste; Acestienses siquidem populos Cajus Plinius citat, dicere quis possit?* Non inficior Cluverium ejus esse mentis, ut Logarici ruinas, opidi in Antonini Itinerario memorati, disjectos in *Bonifato* monte lapides credat; attamen ab Alcamo veteris sub Saracenis conditi, has omnino diversas esse oportet. Porro quod Alcamus Thrax, cujus ex Darete meminit Aretius, in Siciliam venerit, nemo ex scriptoribus vulgavit. Sedet igitur hodie sub monte *Alcamus* in solo leviter declivi, vergitque ad septentriones & occasum, cujus una pars moenibus vallatur, altera, quae subinde crevit, aperta est & laxior. Quatuor illa habet latera inaequalia: in austrino arx est quadratis turribus munita, & binae portae, earumque una castello proxima, cujus sortitur nomen, latus, hybernum respiciens ortum, totidem habet; septentrionale portam Panormi ostentat prae caeteris excultam, ex qua ad arcem recta & ampla sternitur via. In latere occidentali demum tres aperiuntur, & media a Drepano appellatur, cui longa, recta, & latior via cursus respondet, hinc ducens ad oppositae plagae portam, illinc per reliquam opidi recentioris excurrens regionem, quae duplo major murato opido, lateri eidem adhaeret. Inter muratum, apertumque opidum larga intercedit area,

quam fluentum post Drepani portam ad aquilonem alluit; hinc quippe sese solum inclinat, & in imum desinit agrum.

Jam singulæ opidi viæ pene ad rectos angulos sese invicem diffindunt. Area ante arcem amplissima expanditur, & alia ante principem sacram ædem, quæ fronte exteriori, columnis ex rubro Siculo marmore interius, picturisque, & tholo elegantissima fulget, Deiparæ Virgini in cœlum assumptæ dicata. Memorat Pirrus majus ac parœciale templum S. Mariç de Stella titulo, Gothofredum de Roncionibus Mazarensem Episcopū anno MCCCXIII. consecrasse in prima opidi fundatione excitatum, quod Fratres Dominicani nunc habent; sed anno XX. post, novum aliud, de quo dixi, haud procul a Drepani porta, celebriori in loco cives moliti sunt. Ab hoc parum dissidet Civilis consilii Basica, quç medio pene centro ac viis præcipuis respondet. Non vulgaris magnificentiæ sunt in eadem civitate Monialium cœnobia, eisque adnexæ Ecclesiæ, duo nempe sub S. Benedicti institutis, atque SS. Salvatoris, ac B. Francisci de Paula titulis, alterum sub S. Claræ nomine, & regula. Primum antiquissimum appellat Pirrus, secundum Abbatia nova dicitur; tertium in æde SS. Cosmæ & Damiani fundatum idem Pirrus affirmat. Duo quoque ibi assurgunt sacra asceteria; Minorum Conventualium ad portam S. Francisci occidentalem, ipso Sancto Patriarcha in vivis agente, B. Angeli de Reate socii opera erectum, absolutumque MCCXXVIII. ubi S. Mariæ Magdalenæ ex albo marmore signum, Gagini opus. Et Fratrum S. Mariæ de Monte Carmelo in æde S. Blasii, sub S. Mariæ Annunciatæ titulo, quod maximis ædificiis & marmoreo peristylio ornatum ad aquilonem ortivumque mœnium angulum prope Panormi portam

anno

anno MD. . . constitutum sedet. Commendant hinc civium pietatem S. Philippi Nerii Domus Oratorii in S. Mariæ de Auxilio ab anno MDCXXXIII. Virginum pauperum parentibus orbatarum claustra in S. Petri decentissima Ecclesia MDCXXXII. Honestarum mulierum Gynæceum in S. Angeli Custodis sub S. Franciscæ Romanæ institutis; Ægrorum Hospitalis ędes S. Spiritus; Peregrinorum Domicilium in S. Jacobo, & Montis demum Pietatis, uti vocant, opus in S. Catharina, Alcamentium fortunis, divitiisque fundatum.

Extra pomœrium porro in reliquo opidi ambitu spectantur Parochiale SS. Pauli & Bartholomęi templum marmore, picturis, variisque ornamentis excultum, quod cum altero olim quoque Parochiali SS. Trinitatis Marcus Lavaca Diœcesanus Episcopus instituit; utriusque vero juribus conjunctis Joannes Dominicus Spinola Cardinalis unicum esse sanxit MDCXXXIX. Nec non S. Olivę V. & M. Ecclesia, ubi pro manibus piaculari igni addictis, complura suffragia, ac pietatis opera in pauperes fiunt, in quo & ejusdem virginis marmorea statua a celebri Gagino affabre exsculpta colitur; Societatis item amplum Collegium prope mœnia ad meridionale angulum, illique adhærens splendida Basilica anno MDCX. ortum recognoscens; Fratrum Prædicatorum vętus asceterium; Tertii Ordinis Minoritarum in S. Maria de Odigitria in via cursus, noni sæculi XVIII. anno; & in extrema orientali ora Paulentium apud S. Crucifixi ædem, eodem fermę tempore constitutum cœnobium. Sedent in declivi ad aquilonem Capuccini, qui circa MDLXXX. in remotiore plaga, subindeque ab anno MDCXXVI. in S. Annæ ex piorum eleemosynis coaluere; contra quos occasum versus in agro, decens pro spiritualibus exercitationibus domus distinguitur. In eadem

dem humiliori regione secus viam, qua Panormum itur, S. Mariæ de Miraculis dives, & cultu præcipuo frequens Ecclesia occurrit, ubi ejusdem Virginis, civitatis præcipuæ patronæ devotissimam imaginem incolæ, ac ex vicinis etiam populi summa veneratione prosecuntur. Inventam sacram hac iconem tradunt in subterraneo fornice densis vepribus obsito; quibus purgatis tot illa clarescere cœpit signis, uti a Miraculis idcirco vocabulum susceperit. Inventionis diem ingenti festivitatis plausu die Junii xxii. celebrant cum nundinis *Alcamenses*. Jam contra arcem ad meridiem extra muros ad ccc. circiter passus in patenti undique campo Minores fratres degunt de Observantia nuncupati, Friderici Henriquetii olim Domini sumptibus, & ære publico, quorum est Ecclesia & Conventus satis elegans; Ubi haud procul civium quoque complures Domicilia ad ortum statuerunt, quæ frequentis suburbii speciem præseferunt. Augustinienses ab anno mdlxx. *Alcami* incoluisse tradit Pirrus, sed defecerunt. Recessere etiam Mercennarii, qui ad radices *Bonifati* sedem posuerant, ubi Minores etiam Reformati, qui Urbani viii. decreto suppressi dicuntur.

Nobilitatur *Alcamum* titulo Dominatus ab Aragonensium ævo, alsitque illustres familias, quarum germina Militarium Ordinum cœtibus adscribi meruerunt; gaudent enim iisdem privilegiis, quibus Motycæ Comitatus insignitur. Civitatis Magistratum Dux Armorum a Rege constitutus, Decuriones iv, Syndicus ac Judices constant, quot deligit Comes. Tessera in scuto Aquila est duas inter Quercus; Salemisque Comarchia clauditur, ac sub Saccensi indigenæ militiæ Præfecto equites xxiii. pedites c. educit; diœcesis est Mazarensis; animarum custodiæ Archipesbyteratui-

invigilat; Clero Episcopi præest Vicarius. Saeculo xvi. ejus fuit census larium 1559, civium 7722; sequenti laribus 2013. civibus 9277. constabat; circa hujus initia focos 2884. incolas 7104. ac ex novissima recensione 8241. numerati. Agro fruitur feracissimo, vino, & frugibus divite, fructiferis arboribus, ac oleis consito, pascuisque lætissimis convestito; nec sylvis caret, in saltibus jucundam pariter, & utilem venationem reddentibus. Sub Northmannis, & Suevis an fuerit Alcamus dynastis obnoxia, incertum habeo; Petro II. Regni potente circa MCCLXXX. sub *Joannis* Infantis Randatii Ducis clientela erat; & ab hujus filia *Eleonora* ad *Peraltas* devenit. *Claromontani* subinde tenuere, quorum opera arcem fundatam, & mœnia fuisse instaurata gentilitiæ eorumdem tesseræ abunde ostendunt. Illis Martini Regis decreto defectionis nota compunctis, *Antonio Vigintimillio* civitas datur, hinc *Gualterium* hujus filium anno MCCCXCVII. *Alcami* dominum invenio; Mox ejusdem Regis beneficio *Jacobus de Prates* Regni Amiratus & Comestabulus obtinuit, cujus filia *Violanta* cum *Alcami*, arcis *Bonifatii*, & Calatafimis dote *Joanni Bernardo de Cabrera* nupsit. Ultima ex Cabreris fœmina, uti alibi dictum, Henriquetiis detulit. At enim circa xv. saeculi medium Petrus Nicolai Specialis Siciliæ Præsidis filius has sibi ditiones pretio comparavit. Fuit Petrus a Regiis rationibus, mortuusque sine filiis *Vassallo* fratri bona reliquit, cujus hæres *Matthæus*, ære accepto Henriquetiis reddidit. De his eorumque successoribus in Comitatus Modycensis notitia. Profert in Comitiis *Alcami* Baro votum XXXIX.

Viros Illustres Alcamenses Pirrus enumerat cum Mongitore in Sicula Bibliot.; ex quibus profero: Paulus

lus de *Alcamo* Capuccinus novitius virtutum splendore undique claruit, suique obitus horam prædixit, sub qua Deiparam Angelicis comitatam choris spectabilem habuit die xv. Augusti MDCXXVII. Ludovicus ejusdem ordinis Sacerdos, nobili ortus prosapia, post vitam in solitudine aliquando traductam, ad Capuccinos se contulit; Captivus apud Thurcas multa perpessus in patriam redux, Bivonæ sanctimonia clarus decessit, in vita & post mortem miris a Deo prodigiis honoratus. Marianus instituto quoque Capuccinus, ingenii laude apprime commendatus, virtutibus, & zelo vel maxime salutis animarum, ad quas lucrandas in Persidem & Germaniam penetravit, pietate in Deiparam clarus, cujus Stellarium Conceptionis primus instituit, Panormi MDCXXI. devixit, de eo Pirrus & Mongitore eximia enarrant. Alphius Matthiolus e Carmelitarum familia, omnibus artium studiis conspicuus, disertissimus Ecclesiastes, in Siculis Academiis, in Patavina, & Neapolitana Regens, ac in Sapientiæ Romanæ lyceo Magister, Siculæ, Neapolitanæ, atque Hispanæ provinciæ Visitator Generalis, totiusque Ordinis Socius, ab Duce Feriæ Prorege Philippo III. in Episcopum Agrigentinum oblatus, mortalis esse desiit Romæ MD.... Memoratur necdum nostris, sed Possevino, Lucio Belgę &c. Franciscus Lombardus Clericus cognomento *Devotus* piorum operum in patria promotor, cujus vitam egregiis sanctisque operibus plenam Sebastianus Bagolinus literis consignavit.

Ciulhu del Camo, idest Vincentius de Alcamo sub Friderico II. Imperatore, & Siciliæ Rege floruit; primus Italico panxit carmine, eique Italici carminis idcirco refertur inventio ab Colaccio, Allatio, Auria, & Mongitore. Crescimbeni quamvis Poetarum Ante-

Antesignanum neget, inter primos tamen enumerat; ante Ciullum enim alios fortasse Siculos, quibus Italicæ poesis ortum adscribit, effloruisse opinatur. Ejus extant carmina apud laudatum Allatium. Sebastianus Bagolinus Poeta egregius, Philosophus, Orator, Pictor, & Musicus. Patris enim vestigia secutus picturæ studium primis adolescentiæ annis amplexus, cui musices oblectamenta addidit, multumque in iis artibus excelluit. Humaniòribus mox literis institutus, ita insigniter in iis profecit, ut ad singularem Oratoris & Poetæ gloriam se extulerit. Neapoli ac Panormi summis ac doctissimis viris familiaritate conjunctus aliquandiu vixit, in patria tandem florenti pene ætate anno scilicet XLIV. ætatis suę, Domini vero MDCIV. fato cessit. Innumera sunt quæ soluta oratione Italico, Hispano, ac Latino sermone, nec non metro scripsit; sed commendantur præ cæteris Epigrammata, & Elegiæ. Refert omnia in sua Bibliotheca Mongitore. Petrus ab *Alcamo* ordinis S. Benedicti S. Martini de Scalis Monachus Linguas Hebraicam, Gręcam & Latinam mirificè calluit, Poeta celeberrimus, & magna doctrinæ opinione floruit anno MDL. Stephanus Politus Philosophus & Medicus non vulgaris, in Patavino Lyceo longe lateque inclaruit, edidítque *De Interni & Externi Hominis cura* Patavii anno MDLXVI. Vincentius Politus Stephani filius, Sacerdos, ac Juris utriusque Magister diu Romę vixit, ubi aliquot ingenii monumenta vulgavit: *Memoriale Clericorum*, *Speculum vitæ & Honestatis Clericorum*, aliaque. De eo Leo Allatius & Mongitore. Carolus Latius doctrina & moribus eximius publici juris fecit *Dilucidationes in Bullam Cruciatæ*, *& Triumphum Marianum de Deipara Conceptione Immaculata*. Floruit MDCLXVII. Petrus Antonius Tor-

namira Casinensis Congregationis Monachus, in foro aliquando Causarum Patronus, in S. Martini Panormitano Cœnobio subinde sacris adstrictus votis, ad illustrandam ordinis sui dignitatem toto incubuit pectore; nihil hinc piissimo viro antiquius fuit, quam ejusdem Instituti, & Monasterii sui gloriam amplificare. Multa scripsit, edidit que, quæ sæpius laudatus Mongitore enumerat. Claruit Archiepiscopi Panormitani Examinator Synodalis, Fidei Quæsitorũ a Consiliis, Congregationis suæ Decanus & Prior. Pie decessit, uti vixerat MDCLXXXI. Silvius Tornamira Societatis Jesu Sacerdos, moribus & scientia clarissimus, Petri Antonii frater germanus, religiosæ humilitatis & paupertatis exemplar; humaniores literas integris sex lustris admirabili constantia tradidit; jejuniis, flagellis, vigiliis durissime corpus habuit; Deiparæ cultui addictissimus vixit; ac sancte demum *Alcami* in Domino obdormiit MDCLXXXI. Edidit *Societatem Jesu Illustratam* IV. tomis, & msta alia reliquit. Andreas Cordone S. T. Doctor & Abbas, egregius Verbi Dei præco in primariis Siciliæ & Italiæ urbibus, Theologus & Poeta non inglorius; Laudatur inter Siculos Scriptores. Antonius denique Romanus Columna Rhetor & Poeta elegantissimus; Augustinus Spinous Soc: Jesu, Humanis literis & Philosophicis apprime instructus; Josephus Abbas Ordinis Minimorum Theologus & Concionator eximius, Aritmeticę peritissimus; Franciscus Tabanus a Poesi, quam professus est cum laude, commendatus, Hieronymus Auxilio Puellarum Virginum Conclavis in patria author; Franciscus Laicus, qui Honestis mulieribus anno MDCLXX. ut Deo viverent, domum designavit, a Mongitore in Bibliotheca condignis laudibus ob edita opuscula commendantur.

AL-

ALCARA a feudo *de Friddis*, ubi condita, appellatur; Est enim alia in Valle Demana, quam dicunt *de Fusis*. Ager autem *de Friddis* in Castrinovi territorio, olim juris erat, Martino rerum potente, *Simonetti de Esquisano pro uxore*, uti habet Census sub eodem Rege anno MCCCCVIII. Nostrum vero Opidulum in Valle Mazaræ ad Panormitanam spectans diœcesim, inque ejus finibus situm, Principatus titulo hodie insigne, ante exacti sæculi medium originem cognoscit, sedetque in tumulo leviter declivi ad occasum & meridiem prono. Occupat medium major Ecclesia magnifice extructa, Deiparæ Virgini sub titulo de Rosario dicata, ante cujus frontem area satis patens excurrit cum Dynastæ palatio. Aliæ sacræ ædes quinque, majori subduntur, quibus Archipresbyter præest, Clero autem Archiepiscopi Vicarius moderatur. Laicus magistratus juxta Siculas sanctiones ejusdem Dynastæ arbitrio annuus; lares medio elapso sæculo 120. incolæ 479. sed decurrentis anno XIII. illi ad 483. sunt censi, animæ vero 1536. Computatur sub Castrinovi comarchia, gaudetque agro frugum feracissimo. De *Friddi* feudo Barberius, qui *Nicolaum*, seu *Benedictum de Moyda* ejus tenuisse jura sub Friderico tradit. Ex hujus filia *Ximenius Villalba* assecutus, heredibus transmisit. *Joannes Antonius Villalba* anno MDLVI. Eulaliam de Vigintimilliis uxorem habebat. Spectasse hinc *Alcaram* sæculo XVI. ad *Vigintimillios* lego, inde dotis nomine *Blascus Scammacca* Murgi dominus est assecutus, sub quo casale ædificari cœptum. Ex Blasco *Matthæus* anno MDCXL. cui *Joseph Blaschus* filius successit. Primus hic a Philippo V. Rege sæculi hujus anno VIII. Principatus insignia obtinuit, decessitque XVI. ejusdem, nulla ex Catharina Francica prole relicta; soror hinc

Raphaella Scammacca & Gravina Francisci Vincentii Buglio Bisarç Marchionis olim uxor principatum capessivit, & filio *Mario Buglio* reliquit, qui Princeps quoque Casalis Monachi emicuit. Ex eo & Maria Anna Platamone *Emmanuel Franciscus Buglio* processit, qui ducta in uxorem Stephana Gisulfo feliciter vivit. Habet Dynasta jus gladii, & in Regni Comitiis ultimo loco inter Principes votum profert LVII. Franciscus Emmanuel Villæ Albæ Marchio in suo præclaro opere de Sicilia Nobili vocat opidum *Lercaram*.

ALCUSA Casale olim prope fluvium *Tortum* ad Cephaledensem spectans Ecclesiam ex Alexandri III. Rom: Pont: literis MCLXXI. Hodie est ager vulgo feudum de *Calcusa* ex Pirro. Memoratur etiam in Regis Martini diplomate anno MCCCXCII.

ALEXANDRIA Opidum prope arcem *Petræ de Amico*, quę ingenti saxo incumbens ruinas hodie ostentat, unde *Alexandria de Petra* dicitur. Abest a Bivona IV. pass. M. & diœcesis Agrigentinę, Castrinovi comarchiæ finibus clauditur. Ejus origo in annum MDLXX. refertur, authore *Blasio Barresio* agri & Arcis *Petræ de Amico* domino, cui *Carolus* filius successit, huic *Franciscus*. Nata est Francisco Elisabetha Melchiora, quæ Hieronymo Neapoli Resuttanæ dynastæ, Campibelli domino conjuncta, Josephum & Petrum illi peperit, moriensque, ut filii ac nepotes *Petræ de Amico & Alexandriæ* Barones Barresiæ gentis cognomen quoque assumerent, ultimis tabulis sanxit. *Joseph* porro primogenitus, qui anno MDCXXXVI. *Alexandriæ* dominatum est assecutus, innuptus decedens *Hieronymum* II. Petri fratris, Bissanæ ducis filium, circa annum MDCLXXIX heredem dixit, qui matrimonii juribus cum sibi desponsata Rosalia Filingeria minime usurpatis, sine prole etiam

e vivis

e vivis abiit. *Joseph* idcirco ejus frater in bonis successit & Rosaliam Massam sibi copulavit, natosque & ipse minime relinquens, mundo exemptus, *Friderico* tertio fratri dynastias anno MDCXCVII. cessit. Hic pluries Regni an. Vir, Panormi Prætor, apud Catanam Proregis Vicarius, Victorio Amedeo a cubiculo, Carolo VI. Cæsari ab intimis consiliis, & *Viri Fortis* titulo in stemmate donatus, ex Magnatibus denique Hispaniarum, aliisque muneribus clarus, ab Eleonora Bellacera Montis Leonis Principe *Petrum* accepit filium, hodie *Alexandriæ* & Petræ Amicæ dominum, pluribus etiam titulis insignem, qui ducta in uxorem Elisabetha Monteaperta cum ea Fridericum Campibelli ducem genuit, Jure uxoris Fælicis Bonfiliæ hodie etiam Condropi in valle Demana Principem.

Occupat *Alexandria* solum leviter ad ortum pronum, ejusque princeps templum S. Nicolao Episcopo sacrum unicum est parochiale, cui aliæ VI. minores subduntur. Parochiam autem Archipresbyter administrat; Clero Episcopi Vicarius præest; communis Sacerdotum cœtus divinis officiis intendit. Olim pro Minoribus Conventualibus ędes fundavit Carolus Barresius sęculi XVI. anno XCII, ubi pro dynastis erat sepulchrum, qui tamen defecerunt: Sed ex Reformatis ejusdem ordinis extra pomœrium recenter, & Carmelitarum Deiparæ Annunciatæ titulo ab anno MDCVIII. spectantur cœnobia. Pro Monialibus sub S. Claræ regula, & Immaculatę Conceptionis vocabulo, diebus hisce conclave moliuntur opidani, qui præcipuam Patronam in S. Marię de *Rocca* eamdem Virginem colunt. Id habet vero sacra hęc ędes notatu dignissimum, quod tota ingentis molis saxo circumambitur, unde, uti referunt, statis diebus liquor ęgris salutaris guttatim exundat, Abest

eadem

eadem ad jactum balistæ, domusque Eremitarum, qui illius cultui intendunt, adnexas ostentat. S. Rocco & B. Rosaliç Virg: sunt etiam *Alexandrini* addicti, quod hac olim afflati hosce divos propitios sint experti, peculiaresque idcirco Ecclesias satis decentes illis ędificarunt. Exurgit denique prope S. Annæ pro infirmis Hospitalis ędes. Regimen Civile Siculis legibus conforme; Dynasta Pręfectum, qui suas gerit vices in opido delegat. Hujus erant lares anno MDXCIX. circiter 110 animæ 307. sed elapso sæculo 516. foci, incolæ 2220. ex Pirro; in Regiis vero libris 890. foci, incolę 3466. Anno MDCCXII. lares 1011. cives 3862. recenter 4037. Ager vineis, segetibus, pascuis, nemoribus omnia ad vitæ commoda suppeditat. Genuit *Alexandria* Franciscam Furiam tertii ordinis S. Dominici virtutibus clarissimam, cujus meminit in Diario Dominicano Marchesius, & vitam Michael Angelus Clarusmons accurate descripsit. Hunc quoque *Alexandrinum* tradit Mōgitore, & in sua Sicula Bibliotheca recenset.

ALFANUS Mons in agro Panormitano, Sarracenis *Thalfanus*, & *Calatalfanus*; ex Adria in Topogr: Vallis Mazaræ ab *Alfano* Mauro ita appellatur, atque ab urbe cognomine in eo sita, cujus esse rudera passim ibi occurentia putat, quum hęc Soloenti veteris opidi ab eruditis credantur. Prominet in mari ad Panormi littus orientale, & cum *Gerbino* colle conjunctus videtur, sed valle nihilominus angusta separatus, sinum claudit Panormitanum, postremusque est montium, qui veluti corona amoenissimum ejusdem urbis agrum ambiunt. De veteribus Soloenti ruinis, a Selinunte Drogonteo descriptis, alibi. Cætero collis solum sterile, salebrosum, ac rupibus asperum, una tantum via adiri potest a septentrionalibus, quæ olim quadratis strata lapidibus

ad

ad Soloentum urbem ducebat. Via hæc leviter acclivis, sinuosa ad passus circiter xx. occasum versus attollitur, hinc ad ortum flectit, ubi dirutæ urbis disjecta occurrunt monumenta, vepres inter, ac dumeta, quæ, uti mox innui, suo loco accurate exhibeam.

ALIA novi nominis opidulum, ad fontes *Fluminis Turii*, in collibus Sclaphanum inter & Vicarim, in territorio Politii olim, sub *Lalia* vocabulo, uti habent Friderici II. & Martini Regum Regesta. Ejus est situs acclivis; Parochialis Ecclesia S. Mariæ de Gratia sacra, alteram habet filialem, quarum cura Sacerdoti commissa. Census anno MDCCXIII. lares 228. incolas 605. exhibuit. Novissimus 1959. Postrema Cephalædensis diœcesis fines claudit; aere utitur salubberrimo, & agro inter primos regionis feraci. Anno MCCCXX ad hæredes *Matthæi de Milite* spectabat feudum; subinde sequentis sæculi anno VIII. in censu Martini Regis *Fridericus Crispus* ejus vulgatur Dominus; Matthęus enim *Raynaldo Crispo* Messanensi vendidit MCCCLXVI. uti Barberius scribit, qui Friderici, sive Henrici hæredes ad annum MDX. memorat. Ad *Villarautes* post Crispos & ad *Cifontes* hinc devenit; *Lucasque* ejusdem familię pręcipuus circa sæculi XVI. annum LVII. *Aliam* est assecutus, ac filię *Franciscæ* in dotem reliquit. Hęc Petro Celesti S. Crucis dynastę nupsit; *Alia* idcirco *Joanni Baptistæ* Petri ac Franciscę filio post horum obitum cessit. Impetraverat porro Francisca ab Rege facultatem sub annum MDCXV. congregandi homines in *Aliæ* feudo, sed dilatum est opus; Nulla enim ejus in Censu de anno MDCLII. fit mentio. De Petri successoribus egi, ubi de *S. Crucis* opido in Valle Neti.

ALICATA Civitas. Vide *Leocata*.

ALICURIS Insula deserta. Consule *Ericusa*.

ALLABA Flavius. Vide *Albe*.

ALMENUSA Opidulum, seu vicus in feudo cognomine, paucis ab hinc excitatum, cujus Ecclesia parochialis S. Annæ matris Deiparæ, honori addicta est, hęretque dynastę palatio. Marius Cutelli Villærosatæ Comes, vir clarissimus, nobilis Catanensis, & Jurisconsultus celeberrimus *Almenusæ* sibi feudum comparavit, ac filio *Josepho* reliquit ea lege, ut si hęrede careret Nobilium juvenum Ephebeum in patria constituendum curaret, cui *Almenusa*, ac reliqua ejus bona designarentur. Sed ex Iosepho, qui Vallis Ulmi etiam dominus fuit, *Antonius*, unde *Josephus Joannes* prodiit; Hic varia prędıtus eruditione floruit, sed prole destitutus anno MDCCXLVII. decessit. Catanenses hinc Collegium excitare juxta Marii mentem nuper aggressi, vicum terrasque adnexas sub censu annuo *Ignatio Paternionio* Biscaris Principi concesserunt. Subest locus Episcopo Cephalædensi. Incolę centenarium numerum non attingunt. Gaudet dynasta vitę & necis potestate.

ALTARIA sive *Aræ* parvę insulæ. De his inferius.

ALTAVILLA Opidulum. Vide *Militia*.

ALTAVILLA, aliter *Insula Longa*, & *Insula Marium*, est una ex v. illis insulis inter Drepanum & Lilybæum, sive Marsalam, haud procul littori abjacentibus, quarum pręcipua a S. Pantaleone dicitur. Huic *Altavilla* adhæret, & a Gliribus, quibus abundat, denominatur; Glires enim dicuntur Siculis *Mures*. Vide *Stagnum*.

ALTUS FONS est in Agro Panormitano, celebri Monasterio ordinis Cistercienſis S. Mariæ, nomen tribuens. affluentissimè aquas emittit, & quia celso circa meridiem, & occasum situs est loco, *Altus* appellatur, sub-

subjectasque longe ac late patentes ejusdem agri regiones irrigat. *Parco* novo olim claudebatur, hodieque ejusdem vocabuli in opido medio oritur.

ALYCIA vetus urbs. Vide *Halycia*. *Alycus* amnis. Vide *Halycus*.

AMBICUS vetus opidulum, de quo Diodorus lib. xx. *Gorgium quod vocant, & Ambicus opidulum*. Cluverius incerti situs dicit. Apud Hesichium tamen legit idem author: *Torgium mons in Sicilia, in quo nidificantur vultures; unde hi dicuntur Torgi*. Apud Diodorum igitur suspicari quis posset, scriptum fuisse *Torgium*. Est inter Jati, & Cephalę colles ad Mazarę vallem spectantes Mons Vulturum, unde *Ambicum* circa ejusdem montis latera stetisse conjecto.

AMBLERIS Fons Sarracenici nominis ad australem agri Panormitani plagam pass. m. iv. ab urbe, ad radices montis *Aurichiuta*, Auriculata, limpidissimas effundens aquas, de quo Adria & Invegius. Prope est Villa, quæ olim *Ambleris*, hodie *Alba* appellatur, Siculo ore *Villa Bianca*, Comitatus insignia præferens. Locum ad delicias fontibus, ædificiisque pulcherrimis, viretis, malis aureis, myrto, & buxo ornavit olim Joannes Baptista Alliata Eques Jerosolymitanus. Primus porro *Villæ Albæ* Comes Philippi iv. literis mdclv. *Benedictus Emmanuele* renunciatus, qui præcipuis in Regno muniis perfunctus, ac militiæ gradibus illustris, ex uxore Leandra Suarezia *Franciscum*, aliosque suscepit filios, Hic cum Dorothea Vanni *Benedictum* II. genuit, quorum filius *Franciscus Emmanuele* Zenobię Vanni adjunctus vivit prole dives. Prodiit novissime ejusdem Francisci Opus eximium, *Nobilis Siciliæ* titulo, quatuor distinctum tomis, unde complura, ex ejus laboribus proficiens, Ego excerpsi.

AMORIUM Casale olim sub Jato monte, cujus in Monregalensis Ecclesiæ chartis fit mentio. *Aurum* in alio diplomate appellatur.

AMYGDALA recens opidulum. Vide *Regalis Mons*.

ANCYRA Ptolemæo, aliis *Ancrina*, urbs jacens inter Heracleam & Agrigentum, cujus situm indicare videtur Fazellus Dec: 1. lib: 10. juxta Cluverium: *Heraclea jacens*, ait ille, *Jatas postea ad pass:* M. VII. *in monte edito inter Pecuarum, & Platanellam magnæ urbis prostrata cernitur*. Movit Cluverium Diodori locus lib: 14. ubi Dionysium Motycæ obsidendæ intentum, Sicanosque omnes ad ipsum defecisse, copiarum multitudine, quas ducebat, territos enarrans, subdit: *Ex reliquis autem opidis tantum* V. *in fide Carthaginiensium perstitere: Ancyra scilicet, Solus, Ægesta, Panormus, & Entella*. Mox Soluntinorum, Panormitanorum, & *Ancyrinensium* agros direptos ab eodem Rege tradit. Uti igitur aliæ IV. ita & *Ancyra* in Sicanorum finibus sita erat, ad dexteram scilicet Halyci fluminis ripam, hodie Platani, ab Heraclea haud procul, ubi dirutæ urbis vestigia ex Fazello.

ANDEGAVIUM Vulgo *Angiò*, & alio nomine *Mons Lætus*, *Monte Allegro* Siculis, Opidulum in Agrigentina diœcesi, ejusdemque urbis Comarchia ad Joenios proceres hodie spectans, qui & Andegavenses, seu Angioini duces ab anno MDCXXXIII. Philippi III. privilegio dicuntur. Ager olim & collis, ubi sedet, *Cicaldus* appellatus, sub Friderico II. ad hæredes *Raynaldi Garresi* spectabat, inde ad Ubertos. *Antonia* subinde *de Ubertis* Andreæ filia, Scalori proneptis, quos alibi laudavi de Assoro loquens, post Joannem fratrem suffecta, *Aloysio de Montecaperto* anno MCCCXCVII. nupsit. In censu

censu idcirco Martini Regis de anno MCCCCVIII. *Cicaldi* & S. Laurentii dominus jure uxoris idem audit. Quũ autem vicatim mortales, agri incolę elapso sęculo carbonariam exercentes, Turcharum incursionibus sępissimè vexarentur, ad oram namque maritimam australem *Cicaldus* extenditur, in proximum collem una convenientes, opidulo originem dedere, cujus Parochia S. Mariæ de Catena titulo gaudet, Patronus vero pręcipuus est incolis S. Leonardus; Altera a parochiali Ecclesia Animabus piaculari flammæ addictis dicata exurgit. Sæculo XVII. laribus constabat 96. opidanisque 451, hodie lares 170. animas 500. circiter enumerat. Jam ex *Aloysio Monteperto*, & Antonia de Ubertis *Gaspar* prodiit, unde *Bartholomæus*, quem *Petrus* excepit filius, Cicaldi, & S. Laurentii Baro MDXVI. confirmatus. Circa ejusdem sæculi finem *Montis Allegri* Dynasta *Nicolaus Montepertus* dicebatur. Ab eo *Laurentius* Joenius Castri Leonis Princeps, Julianæ Marchio cũ agro opidulum, congruo illius soluto pretio, primus est assecutus MDCXIX. Hujus soror Diana cum dote *Montis Allegri* Joanni consobrino Hieronymi filio nupta est. Fulsit *Joannes* S. Jacobi Eques, Panormi Prætor, ac gentis Joeniæ in Sicilia caput evasit; Laurentio enim unica superstes filia fuit Isabella, quæ Marci Antonii Columnæ uxor amplissimas dynastias marito detulit. Idem porro *Joannes* Andegavii dux Philippo III. Rege indulgente, anno MDCXXXIII. est renunciatus, tulitque ex Diana *Hieronymum* Lauręæ Bononiæ copulatum, unde *Joannes* II. prodiit, qui matris jure Solonti Princeps est dictus. Peperit illi Elisabetha Vigintimillia *Hieronymum*, variis nostro hoc sæculo muniis insignem; Patriæ enim Prætor, Proregis Vicarius, XII. Regni Vir, Sabaudiæ Ducis a cubiculo; Noarię Dominus,

minus, ac multiplici prole emicuit; ex Anna Maria Lancea enim *Joannem* bonorum hæredem suscepit, Laurentium Agrigenti, Petrum Assuriæ Episcopos, Octavium supremum in Sicilia Militiæ Præfectum, & Panormitani Castri maritimi moderatorem, aliosque preclaris titulis ornatos. Jam Joannes cum Eleonora Valguarnera *Hieronymum* IV. genuit, hodie *Andegavii* Ducem, Solonti Principem, Montis Allegri, & Noariæ Dominum, Regi a cubiculo, Isabellæ Valguarneræ maritum, ex qua filios habet. Huic pro *Monte Allegro* feudisque confinibus Cicaldo, & S. Laurentio litem intendit Bernardus Montapertus Raffaudalis Princeps, quæ adhuc sub judice. Occupant in Regni publico Consilio *Andegavenses* Duces locũ IX. *Andegavii* ager frugũ ferax, pinguibus abundat pascuis, & lucis occupatur.

S. ANGELUS DE MUXARO ad meridionalem Siciliæ plagam sedet in Mazaræ Valle, & parochia Agrigentina, circa Halyci, vulgo Platani ripas, laribusque 302. incolis 1121. sęculo XVII. frequens erat, hodie vero lares 283. cives 949. numerat. Ejus est situs mõtanus ad occasum, austrumque vergens. Major parochialis Ecclesia sub Archipresbytero B. Marię Virginis titulo gloriatur; singularis vero Patronus S. Angelus Martyr Leocatensis in propria decentissima ęde colitur. Prope S. Mariæ de Odigitria olim Pirri ævo Carmelitæ incolebant, sed paupertate pressi cœnobium reliquerunt. Castrum, seu Arx *Mishar* Fazello memorata parum hinc abest in rupe, & Sarracenici nominis optime dicitur, quam Rogerius Comes eodem victorię cursu cũ Naro expugnavit. Jacobus Adria in Vallis Mazarę Topographia: *Muxara*, ait, *dirutum est opidũ*; hinc opidi apud Fazellum mentio nulla. Casalis *Muxeri* nihilominus, nec non Rahalianoti, S. Joannis, & Favarę

in Fri-

in Friderici Regis censu circa MCCCXX. *Joannem de Claromonte* dominum invenio; anno vero MCCCXCII. Andreas de Claromonte eo potiebatur, ob cujus ab Rege Martino defectionem *Raymundus* Montecatenus *Muxeri* jura est assecutus, quum commutasset Agrigentum ad se tunc spectans. Raymundo etiam desciente idem Princeps *Muxari* castrum & Guastanellæ Rahalumoti, Favaræ, & S. Joannis feuda Philippo de Marinis attribuit, penes cujus hæredes *Muxerum* & Favaram stetisse lego ad *Petrum Poncium* usque, cujus filia *Maria de Marinis* Joanni Aragonio Tallaviç, Caroli Castri Veterani Principis primogenito nupsit. Ex his *Carolus* alter exortus est, qui cum Joanna Pignatella *Joannem* III. genuit, alibi de Abula loquendo a me laudatum. *Fabritius Pignatellus* hodie *Muxeri* seu S. *Angeli* dynastiam tenet, suos in opido administros designat, vocem inter Barones XXVII. profert, gladii potestate gaudet, atque ex satis amplo territorio frumenti ac frugum omnium, vini, olei, pabulique ditissimo, uberes proventus percipit.

ANGIO'. Vide Andegavium.

S. ANNA Opidulum ad fluenti *Macaudi* fontem; quod post Calatabellottæ amnis ostium mari affunditur, ab eodem opido haud procul, Saccensi comarchia, & Diœcesi Agrigentina comprehensum in levi surgit tumulo ad austrum, circa montis radices, cui Calatabellotta insidet. Conditum a *Francisco Alliata* Villæ franchæ Principe anno MDCXXIV. in veteris dirutæ urbis Triocalæ agro, testatur Pirrus; parvisque ex initiis, incolas enim 140. lares 30. ex eodem numerabat, medio elapso sæculo, crevit hodie ad 130. focos, opidanosque 600. suisque finibus *Gurgi, Colsi, Manchi,* & *Scale* feuda, uberrime omnia ad vitæ necessitates ferentia, claudit.

dit. Princeps sacræ ædes S. Annæ Patronæ dicata, cui binæ aliæ subduntur, sub Episcopi Vicario curam animarum habente degit. Ex Alliatis porro ad *Fortunium Arrighetti* Regni Siciliæ Quæstorem; mox ad *Josephum Strozzi* Marchionem de Flore, qui *Aloysiam* primogenitam Fortunii filiam sibi copulaverat, & Philippi IV. privilegio primus S. Annæ Princeps MDCXLIII. est dictus. His sine prole decedentibus *Eleonora Ferreri* Pitinei Baronis uxor obtinuit, Joannæ alterius Fortunii filiæ primogenita; quæ infœcundo thoro mundo exempta, *Fortunium Valguarneram* Rahalioannis Marchionem, ex Victoria Arrighetti, tertia filia ortum, hæredem vocavit. Hic Blancæ Ludovicæ Seribaniæ, & Farinæ adjunctus *Victoriam* procreavit, *Carolo Vigintimillio* Comiti de Prades nuptam, unde *Antonius*, supremi dudum Mercaturæ Magistratus Præfectus, S. Joannis Eques, Regi a cubiculo, pro patria ad eumdem legatus. Habet ex Joanna Spinola Grandis montis Principe Aloysium filium, qui & ipse a Regio cubiculo Nympham Vigintimilliam conjugem duxit. Antonii frater Fortunius unus ex Fidei Quæsitoribus fuisse.

S. ANTONIUS Opidulum. Vide *Ciauciana*.

S. ANTONIUS parva insula contra Drepanum.

ANTULIUM Arx ab Rogerio Comite expugnata, uti Malaterra in ejusdem vita testatur, ad Mazaram spectans Vallem, sed situs hodie incerti.

APIARIUS Fluvius, idem ac *Selinus*.

APONIANA Insula. Vide *Ægusa*.

AQUÆ ÆGESTANÆ, sive Segestanæ, de quibus infra.

AQUÆ ALCAMENSES. *Segestanæ* olim.

AQUÆ CALATAMETH. *Segestanæ* aliter.

AQUÆ

AQUÆ CEPHALENSES sub rupe, cui Cephala arx insidet, secus viam, qua Panormum e Syracusis itur, in agro a Fide dicto oriuntur. Arctius salubres admodum ægrotis, Fazellus Dec: 1. lib. 10. Balneas Aluminosas appellat. Earum est mentio in Vita S. Angeli Carmelitę, qui sęculo XIII. floruit, leprosos que aliquot nondū in balneum introductos, vicini fontis aqua alluens mundavit. Tres porro discrepantes natura latices sunt, parvo inter se spatio dissiti, Frigidus, Tepidus, & Callidus, qui in ędem testudinatam recepti miscentur, morbisque præsertim cutaneis curandis efficacissimi experimento noscuntur, sulphuris odorem emittunt nullum, nec saporem referunt, hinc servati ad horas aliquot frigescunt, & potui aptantur, alvumque purgant. Sedes habet balneum tres, & loculamenta per gyrum ad sudores eliciendos, cui proximę adhęrent ędes satis accommodę, nuper extructæ. Aquarum hujusmodi usus apud antiquos nulli memoratur; Sarracenico tamen ævo, quibus Cephala arx adscribitur, frequentes fuisse inscriptio, Punicis magnis charactęribus exarata, ad extremas fornicis oras reperta, satis declarat, quæ perditæ hodie lectionis, uti aliæ ejusdem generis, putatur. Siluere aliquando, nuper vero rursus patuerunt. E summa rupe, & arce cunicularem esse viam ad imas regiones, ubi balneum, ferunt, in quam tamen hac nostra ætate nullus penetravit.

AQUÆ HIMERENSES, Calidę, quę urbi idcirco Thermarum nomen dedere. Græcis enim ΘΕΡΜΑ est Latinis *Calidum*. Extant in eadem Thermarum civitate celeberrimę prope orientalia mœnia ad littus, ad quas undique paralysi, aliisque nervorum morbis laborantes conveniunt, & saluberrimas experiuntur. Concipiunt enim ex sulphuris contagione calorem, & lavan-

lavandi, sudandique ad multam copiam usibus deputantur. His Herculem aliquando ad itineris defatigationem levandam lotum fuisse tradit ex fabulis Diodorus lib. 5. *Cupiens Hercules*, ait, *circumire Siciliam, e Peloro ad Erycem perambulanti littus, ferunt Nymphas calidas aquas in requiem corporis parasse, quæ cum duplices essent, hæ Himeriæ, Gepiæ aliæ e locis sunt nominatæ*. Emendo, hasque secundas a *Segesta* appellatas adstruo, quæ parumper a littore recedunt, de quibus mox dicam.

AQUÆ LABODÆ, sive LARODÆ sunt Selinuntinæ, in Antonini enim Itinere, & in Tabulis *Agrigento Aquis Larodis* XL. *Agrigento Aquas Labodas* XL. & rursus *Agrigento Cane* XVIII. *Allava* XII. *ad Aquas* XII. Ab Agrigento quippe ad Selinuntem passi m. XL. circiter numerantur.

AQUÆ PERTICIANENSES in Antonini Itinerario a Partenico recenti opido haud distantes locantur. Cluverius ad S. Viti Promontorium fuisse conjecturis agendo tradit, de quo ait Fazellus, quod puteos exhibet perennes, & salutares. De Scupello etiam cogitat diruto opidulo. *Verum hic, sive callidæ, sive frigidæ aquæ memorabiles plane nullæ sunt*. Massa nihilominus Siciliæ littus describens scopulum ad *Scupelli* promontorium, ubi turris est specula, indicans, sub eo aquarum copiam in mare prolabi dicit.

AQUÆ PINCIANÆ. Vide *Segestanæ*.

AQUÆ PIRATARUM, sive *Corsalium*, statio est in Panormitano aquilonari littore cum turri specula ad pass. v. ab eadem urbe cum perennis laticis fonte.

AQUÆ SACCENSES. Vide *Selinuntinæ*.

AQUÆ SEGESTANÆ. Immittere fluminis Crimisi ostio ad collis radices, ubi Segestæ urbis sunt rudera,

dera, tradit Fazellus Dec: 1. lib: 7. sed enim Cluverius congruentius, uti evincam, sub Segestæ colle Scamandrum præterlabere ostendit. Ad Scamandri igitur lævam ripam, qui dicitur hodie S. Bartholomęi, & Frigidus etiam incolis appellatur, *Segestanæ* aquæ profluunt, inter Alcamum, & Calatafimim, ideoque *Alcamenses* nonnullis dicuntur; III. quippe pass: M. ab Alcamo in occasum, nec nisi M. ab *Segestæ* ruinis, circa quas Calatameth Sarracenorum opidulum, hodie quoque dirutum stetit, vallis occurrit, ad cujus extremum collis assurgit ad ortum declivis, ad occasum vero pręruptus, & rupis inaccessę instar. Circa ejus radices fluvius defluit, atque ad jactum lapidis Thermales aquę exiliunt in tanta copia, uti molas triticeas statim convolvere possint. Hę proximo amni admixtæ, huic fluminis Calidi nomen dant, collis vero dicitur Balneorum. Atque hę *Segestanæ* sunt Aquę. Jam proximus ager *Guigliardottus* appellatus, hisce aquis irriguus variisque tumulis distinctus ad Inici montis usque radices extenditur, ubi duplex balneum spectatur, alterum Virorum, quod integrum plane palmis X. in latum, in longum vero XVIII. patens, testudine caret, alterum Fœminarum in viva rupe excavatum, & in utroque aquæ Thermalis vena erumpit. Ad D. vero passus fons alter, in summo fervens gradu aperitur, & *Gurgus Calidus* vulgo audit, cujus est circumferentia pass: circiter C. In eo aquæ perpetuo ebulliunt, ita ut tangi ne quidem manibus absque lesione possint, pessime olent, sulphuris nempe odorem referunt, illisque fluminis Calidi denuum adjunctę molas agitant, ac simul in Frigidam, seu Scamandrum se exonerant

AQUÆ SELINUNTINÆ Thermales prope Saccam, & *Saccenses* idcirco appellatę, *Selinuntis* vetustę

urbis nomen referunt. Ad S. Calogeri, seu Gimmariarum, olim Chronium montem, ortū habent, ubi sunt Cryptæ. Eas fusiori calamo describit Fazellus, cujus idcirco verba in summam redacta usurpo. A mari Lybico quum montem ascendis, quatuor aquarum meatus parvo inter se spatio sejuncti, sed diversas proprias vires habentes occurrunt. Horum sulphureus latex est unus, qui balneas natura ferventes & saluberrimas facit, a Strabone lib: 6. salsus vocatus. Altera est scaturigo, quam Sanctam appellant ob id, quod semel pota, quasi sancta naturæ vehementia corpora laxet. Nec procul abest tertia potabilis aqua. Quarta demum salsa, & fere tepida ad ulcera desiccanda prestans, & presens remedium, quæ in subjectum fluens agrum subnigram, asperam, porosam lapidum congeriem producit. Ab his aquis montem subeunti specus rupi innata obvia est, unde vocis eminus etiam remissę echo responsa refert. Inde haud procul puteus est obliquus, & immensus, unde magnus effertur sonus. Ad verticis angulum circa meridiem tres sunt specus in vivo saxo excisæ. Prima Divo Calogero sacra est; secunda nullius rei memoria celebratur; postrema balneum sudatorium exhibet tota Sicilia celeberrimum, ubi absque calentis aquæ usu, soloque vapore procreantur sudores natura copiosissimi & salutares. In eo ad dexteram spelunca est latissima, circa cujus lævam naturalis est puteus profundissimus, in quem calentis aquæ stillicidia complura uberrimè defluunt. Hoc antrum a Dædalo constructum videtur Diodorus innuere lib. 5. Mons denique ipse plerisque aliis in locis sulphureos emittit vapores.

AQUA SANCTA. Statio est ad Panormi littus orientale prope portus molem, & cognominē Cętariam

sub

sub Peregrino monte, ubi vicus est nautarum cum parochia.

AQUA VIVA Opidulum in Agrigentina dioecesi, a Sutera & Castronovo haud procul, Ducatus titulo ab anno MDCLXXXVI, quo novissimum ortum cognoscebat, auctum, sedet in tumulo inter Cameratam & Montem mellis, sive Manfredam, clauditurque *Mechinesio* agro, qui variis fōtibus, & limpidis fluentis scatens fundato opido vocabulum indidit. In Barberii Capibrevio *Mechinesi* feudi prope Suteram fit mentio, & *Joannis Lauria* juris fuisse dicitur circa MCCCC. unde ad filiam *Marinam Sanctori de Castello* uxorem devenit. Suffectus post Castellos *Antonius Spatafora* MCCCCVIII. ad filios transmisit, quos MDXVI. *Mechinesii* dominos invenio. Emit subinde *Franciscus Abarca* & filię *Francisca* reliquit *Petro Oliverio* sacris vinculis conjunctę. Fulsit Petrus variis honorum gradibus; Regii enim ęrarii Pręses MDCLXXV. ad supremam Italici Consilii sedem elevatus, Matriti decessit, filio *Michaele* relicto, qui primus *Aquæ vivæ* Dux fuit renunciatus. Ex eo & Rosalia Pilo ex Marchionibus Marinei *Petrus* prodiit, qui cum Catharina Gisulfo *Franciscum* genuit, hodie Rosaliæ Mighaccio maritum. Jus gladii eidem competit, sed in Comitiis locus denegatur. Legatus Episcopi Clero pręest, ac jura parochialia exercet in majori Ecclesia Deiparæ Virgini sacra, cui festum veluti præcipuæ Patronæ, tertia recurrente Dominica die Septembris, incolæ celebrant. Horum numerus decurrentis sæculi anno XIII. fuit 549. in laribus 137. sed novissime illi ad 829. creverunt. Ager frugum fœcundissimus est, pascuis ad armenta nutrienda abundat, oletis, vineis, aliisque commodis non caret.

ARAGONA Opidum Balthassaris Naselli ope-

ra extructum in feudo Diesis, Agrigentina Ecclesiastica provincia, ejusque comarchia, & a matre Beatrice *Aragona* denominatum surrexit circa annum MDCVI. Occupat collis leviter declivis jugum ad orientis solis adspectum, ac Dynastę amplo, eleganti palatio, ubi solum sese parumper inclinat, ornatur. Prope est princeps templum Christo Domino e Cruce pendenti sacrũ, quod unicum parochiale ab Archipresbytero administratur. Hinc Fratrum S. Mariæ de Mercede cœnobium assurgit circa meridiem, quorum Ecclesia Beatæ Virginis de Rosario titulum præfert, specialis Patronæ, cujus in honorem dies festiva ingenti pompa recolitur cum nundinis. Aliis quoque in Ecclesiis numero v. res divina celebratur; sed pro Minoribus Capuccinis extra pomœrium decentes habentur ędes a Dynastis MDCLXXXIX. constructæ. Politiam civilem Ministri a Principe delecti curant. Hic necis & vitę potestatem habet, & in Regni Consilio locum occupat XXI. *Diesis*, ubi Aragona sedet, olim in Censu Baronum sub Friderico II. Casale dicitur, quod cum aliis Muloctę, Comiani, Rahalmichi & Bucali agris *Marianus Capicius* possidebat; unciasque cL. ex illis provenire lego. Ex Mariano ad *Nicolaum Abbatem* pervenit, qui *Reynaldo de Bonito* vendidit ejusdem sæculi anno LXXII. Hic Martino Regi infensus bonis spoliatur; cessit hinc *Diesis* cum adnexis *Guillelmo Raymundo Moncateno*, ob cujus defectionem idem Princeps suis literis Catanæ 2. Julii MCCCXCV. signatis, *Guillelmo Vigintimillio* attribuit, a quo *Antonius Bonitus* Raynaldi ex Nicolao filio Nepos sibi vindicavit. Hinc in Martini censu MCCCVIII. *Antonius* hic Curiæ obnoxius notatur ob *Diesis*, Bucalis & Rahalmichi feuda. Antonii neptis *Margaritella Aloysio Monteperto* marito assi-

assignavit, ex quibus *Petrus Antonius* prodiit. Huic sine filiis decedenti Isabella soror substituta, anno MDXVII. in *Balthasarem Nasellum* conjugem jura sua transtulit. *Gasper* illorum filius sub Joanne de Vega Siciliæ Prorege, Militum in Valle Mazaræ Præfectus floruit circa MDXL. adjunctusque Joannellæ de Porto *Balthassarem* II. genuit, qui ducta in uxorem Antonia Gajemi, Fluminis Salsi domini filia, *Gasparem* II. hæredem est assecutus MDLVIII. Hic primus Yomisi Comes fuisse, uti alibi scriptum, ac Beatrici Aragonæ copulatus de condendo in *Diesis* agro novo oppido cogitavit, juxta obtentam dudum per suos ab Carolo V. Cæsare facultatem. Ex Gaspare *Balthasser* III. progenitus Antoniam Saccano Casalis novi dominam anno MDXCVIII. sibi copulavit, egitque, ut totius Regni nomine Rex interpellatus, Cæsaris rescriptum exequendum mandaret MDCV. Obtenta hinc gladii omnimoda potestate homines congregavit, & Aragonæ initia, uti innui, dedit. *Aloysius* ejusdem filius, Principis quoque insignia post decennium obtinuit, moxque in Cosentina apud Brutios provincia suprema præfectura donari meruit. Uxor illi fuit Eleonora Carriglio & Toledo, cum qua *Balthasserem* hujus nominis IV. procreavit Casalis novi dominum, Yhomisi Comitem & *Aragonæ* Principem anno MDCLXXIII. renunciatum. Hic Regi suo fidem, bello cum Gallis ingruente, egregie probavit, nuptiisque cum Cælidonia Florito, & Tagliavia celebratis *Stephanum & Aloysium* filios suscepit. Floruit Velleris aurei Eques, Castri maris *de Gulfo* dominus, ac sacris demum initiatus mundo vale dixit. Jam Stephano sine filiis decedente, *Aloysius* dynastias obtinuit, qui inter Hispanos Magnates Philippi V. privilegio adscriptus, Proregis vices egregie in Mazaræ Valle gessit, susceptisque

ptisque

ptisque ex Margarita Brancisfortia filiis, ea mortua Sacerdos effectus, *Balthassarem* primogenitum successorem dixit. Primos hic patriæ & Regni honores meruit; Orator enim ad Carolum Regem destinatus eidem mox a cubiculo, nec non Reginæ a brachiis, Regiæ domus Major, S. Januarii Eques, Supremusque Siculi Magistratus Præses, & intimus Consiliarius evasit, quibus in muniis opinioni de se conceptę fecit satis, gentis gloriam auxit, ac Principis sui amantissimi judicium comprobavit. Parisiis MDCCLIII. denatus *Aloysium* post se reliquit ex Laura Morso, & Filingeri susceptum, quæ Reginæ honoris filia vivit. Aloysius porro hodie Aragonę Princeps, Stephanę Morso conjunx effectus, Podii Regalis, & Gibbellinæ Dynastiæ uxorio jure audit, custodiæ Corporis in Sicilia Centurio & ampla prole dives effulget.

Census *Aragonæ* sub annum MDCLIII. fuit lariū 626. incolarum 2494. Anno MDCCXIII. larium 1220. animarum 4329. novissime opidani 5822. sunt numerati. Ager fœcundissimus omnia ad vitę necessitates & delicias suppeditat, sed & Amigdalarum plantis undique consitus est; quæstum hinc *Aragonenses* earumdem faciunt præcipuum. In eodem agro *Macalubi* est terræ tractus, ubi aliquot jugera perpetua sterilitate damnantur, crateribusque ebullientis sulphureę aquę passim abundat, quę in eosdem crateres recidit. In his si virga, aut aliud leve corpus demittitur, mox violenter exiliens in altum jactatur.

ARBELA vetus Opidum ignoti prorsus situs, aliter *Arabeja*. Stephani Epitomator: *Arbela Opidulum Siciliæ; Gentilitium Arbolæus authore Philisto Siculo Rer. lib. 8.* Suidas vero: *Arbelæ Opidulum Siciliæ, sive Arbela*. Cives ejus faciles ad decipiendum esse putabantur;

bantur; unde proverbium: *Quid non fiet, Arbelas si te conferas?* Meminit proverbii hujus Apostolius teste Cluverio. Silius deatque lib: 14. *Sidonius Arabela ferox, & celsus Jetas*. Quum porro *Jetas* in Sicania fuerit, ubi hodie Jatus, si *Arbela* Jato proxima, in Valle Mazaræ & ipsa stetit; Sicaniæ enim potiorem partem eadem regio sibi vindicat.

ARENÆ Fluvius, aliter *Solemis*, *Halycus* quoque veteribus; perperam nonnullis *Belicis dexter*. De eo infra.

ARENELLA Statio haud procul Panormo, ad oram ortivam, sub Ercta, seu Peregrino monte. Pro tynnorum captura veteres, atque insignes habet officinas, unde & Cœteria de *Arenella* denominatur. Ab anno MCCCXCVI. *Joannes Calvellus Arenellæ* dominus dicebatur. Anno MCCCCVIII. ad Robertum ejusdem nobilissimę gentis spectabat, hodie Ducis Arenellæ titulo gaudet Vitalis Valguarnera Nixemis Princeps.

ASCELLUS. *Ægitallus*, de quo dixi.

ASINELLUM Insula, seu scopulus contra Drepanum. Vide *Lesinellum*.

ASTIS. Vide *Caccabus*.

ATABYRIUM Vetus opidum ab Agrigento haud longe, cujus meminit Stephanus. Mons erat ejusdem nominis, de quo fabulantur, quod ęnei boves in ejus vertice constituti mugitu, enorme aliquod facinus in regione peractum populis nunciabant. Opidum idcirco in hoc monte stetisse perhibent. Duo apud Parutam numismata celebre id olim fuisse arguunt, quorum unum Bovem poplite inclinato, & Stellam; alterum Cancrum exhibet. Fran: Majer utrumque symbolum ad Rhodios spectare, ac proximos Agrigentinos tradit; hinc Rhodios habuisse authores *Atabyrium*

um

am non inanis est conjectura. Apud Rhodios aliunde mons est *Atabyrius*, & *Atabyria* Rhodiorum civitas dicebatur, unde Siculum opidum appellatum.

ATELLA *Entella*, de qua infra.

ATINA incerti situs opidum vetus.

ATYS Fluvius, *Carabis* hodie, *Acithius* Ptolemęo ex Cluverii mente: *Haud dubito*, inquit, *quin Plinii Atys, quo nomine alius Deus antiquis mortalibus fuit celebratissimus, adulterato sit vocabulo pro genuino atque germano Acythis. Plinio Atys & Hypsa penuntur inter Thermas & Selinuntem. Hodie inter Saccam & Selinuntis ruinas duo soli sunt fluvii Carabus, & Belicis*. Quumque Belicis Hypsa communi sensu habeatur, Atys erit Carabis, de quo alibi fusius.

AVERINGA Fons, unde *Jarassus*, celebris Panormitanę urbis latex, caput egerit.

AURICELLA Arx cum vico, vulgo *Roccella* in septentrionali littore post Cephalędium ad Himerę aquilonaris dexteram ripam, Mazarensi Valli attributa.

AURICHIUTA, seu *Auriculata*, mons in agro Panormitano ad meridiem Ambleri & Parco novo adjunctus; Ibi Lepores velocissimi, venationem jucundam faciunt. Ejus etiam adhæret lateri mons *Numismatis* qui pene sterilis, uti *Auriculata*.

AYLIEL Vetus Casale dirutum in itinere, quo a Thermis Himerensibus Panormum contendimus, ubi S. Michaelis, sive S. Mariæ de *Campogrosso* Ecclesiam cum adnexo ordinis S. Basilii cœnobio Robertus Guiscardus Comes anno MLXXXIII. condidit. Spectantur hodie celebris templi hujus integri pene parietes & porta ad occasum cum abs 1de in colle, littori incumbenti, vetustatemque adhuc magnificentiam præseferunt. Ex ea S. Michaelis, S. Basilii, & S. Laurentii marmorea

signa


signa translata, atque in ædem Panormi Cathedralem importata memorat Pirrus; Cœnobii enim jura Ecclesiæ illi cessere.

AYNMIRAMILA Agrigentinæ Ecclesiæ Casale, cujus est mentio in Clementis IV. literis MCCLXVI.

AYNIZARUS Fons, *Canizarus* hodie prope Panormum.

AYNSINDIS Fons agri Panormitani ad passus D. ab urbe, *Aynseitime* Sarracenico vocabulo ex Fazello appellatus. Ayn quippe, uti alibi dixi, Fons est Punice. Sub crypta oritur circa occiduam oram affluenter, hortisque irrigandis illius aquæ inserviunt. Adria perperam ex hoc fonte Zisæ, & Cubæ aquas originem habere tradit, quæ ex Gabriele profluere passim dicuntur.

AZONES Opidum Diodoro lib. XXII. in Excerpt. Legat. de gestis Pyrrhi Regis memoratum: *Primum Heracleam urbem subegit, dein Azones occupat*. Cluverius vocabula in Excerptis Legationum vitiata advertens non pauca, haud dubitat affirmare, pro *Mazaro* castello *Azones* irrepsisse, nulli enim *Azones* memoratur.





ALATA Casale, de quo in tabulis Archiepiscopi Monregalensis, inter Calatrasis & Frattinæ fluenta. Jacet hodie, ejusque ager sativus loco LX-IV. in bonorum ejusdem Ecclesiæ censu venit.

BALATELLA Statio in australi insulæ littore inter Leocatam, & Agrigentum Fazello memorata, parvas admittit naves.

BALLETTUS Amnis in Bathym, seu Jatum influens, de quo Fazellus. Oritur sub S. Cosmæ Martr: colle, agros Joannucium, Jambasium, Decisam, & Ballettum alluit, unde nomenclaturam sortitur, duosque in cursu trajectus habens, ubi publicum est iter, Jato jungitur in loco *Fallamonica* appellato. *Ballettus* ager in Censu Montisregalis Archiepiscopatus num: XXXV. adnotatur.

BALNEÆ Himerenses vulgo Thermarum, & Selinuntinæ, sive Saccenses &c. Vide *Aquæ*.

BARBARA Locus, ubi olim *Segesta*.

S. BARTHOLOMÆI Fluvius, *Crimisius* seu *Crimisus* Fazello; at Cluverio, *Scamander* in sinum Segestanum, hodie *Castri ad Mare* appellatum deponitur.

S. BARTOLOMÆUS Casale, aliter *Carobus* in Saccæ territorio, hodie dirutum. Sub Friderico II. juri subiiciebatur *Aloysii de Jncisa* Saccensis equitis, quem *Jacobus* filius excepit. *Artalis Alagona* hinc tenuit, eoque desciente Martinus Rex *Guillelmo de Peralta* dedit. Huic *Nicolaus* successit, a quo *Joannes de Perollo* florenis auri M. solutis, accepit, eodem Rege suis literis rem probante. Alphonso nihilominus regni potente *Antonius de Luna* Calatabellottæ Comes, Peraltæ

hæres

hæres, *Petro Perollo* Joannis filio, qui S. Bartholomæi dynastia fruebatur, litem intendit, & in judicio coram Nicolao Tedeschio Jurium consultissimo, obtinuit. Hæc ideo expendi, quod ea occasione odia inter Perollos & proceres de Luna conflata sunt, quæ in apertum civile bellum evasere, & *Saccensis Casus* nomine vulgo veniunt.

BATARIA Curiæ *Foresta*, seu Nemus, cujus est in Friderici II. Regesto mentio, ubi ad *Joannem Mustam* spectare dicitur, huncque *Jacobi de Claromonte* nomine possidere. Pendebat scutata xxv.

BATHYS Fluvius is est, qui vulgari nunc voce *Jatus* appellatur. Nomen a Græco vocabulo ΒΑΘΥΣ fortasse invenit, quod latine *Profundũ* sonat; altis enim abruptisque est ripis: Tradit nihilominus Cluverius, quod verum ejus vocabulum fuit *Jatis*, seu *Jathisi*, a monte enim profluit, cui cum superstructo olim opido nomen est nunc etiam *Jato*, de quo suo loco. Ejus ostium inter Segestanorum Emporium, hodie *Castellum ad Mare*, & Caput *Rama*; fontes vero sunt quatuor: *Ginestra*, *Clusa*, *Bizolus* & *Canavera* in collibus agrisque ejusdem nominis; Ubi coeunt sub *Jato* monte, molas convolvunt, in agro *Fallamonica* Ballottum amnem excipiunt, ac sub Jati fluminis vocabulo *Jenquadare* feudi terras abluunt. Pons subinde eximius unius nempe fornicis, cujus latera ingentes utrinque rupes sustinent, succedit; quem a proximo diruto Sarracenico Casale *Tayburo* appellant. Valguarneræ agris hinc fœcundatis sub Partenico, alterius pontis a S. Mariæ ęde nuncupati, ope trahiiciuntur; nec procul inde in mare sese exonerant. *Bathys* seu Jatis *Tayburus* etiam a ponte cognomine appellatur.

BATTALARUM Casale, & Castellum olim ad Ec-

clesiam Monregalensem spectans, cujus meminit Guillelmus II. Rex literis de anno MCLXXXI; & fines inter Busachinum, & Comitissam opida describit. Dederat sane idem Guillelmus triennio ante Goffredi *Battallari*, qui ab eo defecerat, bona eidem Ecclesiæ, testoque Assumptæ Virginis die super altare diploma more veteri obtulerat; sed quod esset Casale Agrigentinæ diœcesis finibus conclusum, Bartholomæus ejusdem Episcopus juribus cedens suis, liberum illud Regali Monasterio concesserat MCLXXIX. Est hodie feudum in Archiepiscopatus Monregalensis censu num. XXVII. relatum, arcis vestigia servans.

BATTICANIS Fluentum oritur ex fonte *Scorciavacca* in territorio Corleonensi, Comitissę dehinc fines alluit, & Turrectæ agrum fœcundat; ubi veteris turris rudera spectantur, excipit *Bruca* aquas, quibus auctum a Belici absorbetur.

BAUCINA Opidum in Diœcesi, & Comarchia Panormitana, Principatus tessera ab anno MDCXXXI. ornatum, sedet in collibus in longum extensa circa montana a *Cane* appellata ad ortum hybernum. Ejus consignatur origo elapsi sęculi initiis, & juris erat aliquando Magni Panormitani Valetudinarii, a quo ad Gentem Migliacciam transiit. Lares olim MDCLIII. habebat 95. incolas 368. hoc tamē sęculo illi lares sunt 302. animæ 1285, & novissime 1504. quarum cura Archipresbytero imminet, qui in majori Ecclesia S. Marco in opido medio dicata primas obtinet; civilis ęconomia ad eos spectat, quos juxta Regni leges Dynasta quotannis constituit. Gaudet hic jure gladii, & in Comitiis loco XXIII. votum profert, cujus ædes magnificæ eminenti situi respondent. Pro educandis puellis Collegium B. Mariæ novissime fuit *Baucinæ* constitutum, ubi

ubi tres aliæ Ecclesiæ ultra parœciam quoque exurgunt. *Marianus Migliaccius* Montis Majoris Marchio primus opidi Princeps, Philippi IV. beneficio effulsit anno jam supra enunciato, qui XII. Regni Vir & Panormi Prætor tertium, nuptias cum Violanta Marullo, contraxit, unde *Ignatius* filius produt, qui in virum crevit militia strenuum, publicisque negotiis pertractandis aptissimum. Demandatam hinc, Gallorum bello gliscente, proximo elapso sæculo, Catanæ ejusque finium provinciam optime administravit, præcipua patriæ munia obivit. Ex Lucretia Sarzana filium suscepit & hæredem *Marianum*, qui cum Eleonora Naselli & Tagliavia *Ignatium* II. genuit. Huic unica superstite filia *Eleonora*, quæ Antonium Termine maritum duxit. Quod filii paternæ Dynastiæ non deberentur, diu contendit Marianus Migliaccius Ignatii ex Aloysio fratre nepos, fœminæ præferri postulans, diuque sub judice lis fuit. Obtinuit tandem *Eleonora*. Ager *Baucinæ* pecoris & armenti larga pascua nutrit, fruges omnis generis fert, nec vini aut olei est indigus.

BAXALUBA Ager sterilis cum sulphureis crateribus. Vide *Bissana*.

BAYCH, aliter *Bayth*, Turris ad urbis Panormi portam olim *Patitelli* appellatam, quæ Fazelli ætate adhuc superstes erat, hodieque S. Antonii Parochiali templo respondet. Ad munitionem portus cum dexteri tum sinistri, quibus ab hac parte tunc fuerant initium, posita dicitur, cum inscriptione. Baronus eamdem ibi stetisse perperā credit, ubi S. Joannis de Deo Nosocomiū hodie assurgit, uti Valguarnera, Joannes, & Invegius advertunt, qui Fazellum sequuntur. *Turris Baych*, ait hic, *in cujus supercilio est insculpta integra Inscriptio adhuc, habitationique non incommoda. Verum, qui cum anno*

salu-

salutis 1534. *inhabitabat, murum ejus occiduum, unde celebrior veteris urbis via auspicatur, innovaturus incisas ad ejus verticem literas transposuit, plerasque comminuit*. Retulerat quidem latinè redditam epigraphem, de qua loquitur, ejusque fragmenta inde excerpta Punicis characteribus dedit, quos habes lib: 8. dec. 1. cap: 2. Lapides porro, quibus turris compacta, tantæ erant molis, uti juga bovum tria vix illa loco movere possent. Ruinam anno MDLXIV. passa est jussu Garsiæ de Toledo Proregis, quum hic regiam viam, paucisque in Europa forte secundam, a *Cassaro* dictam jussit. Illius enim directionem turris Baych anguli propediebant. Scribit Valguarnera legitimum ejus nomen fuisse *Baych* & corrupte a Ranzano appellari *Baych*, quod quidem vocabulum *Domus* latinè sonat, veluti sedes fuerit Sephi, de quo loquitur inscriptio.

BAYDA Casale haud procul Panormo ad occiduas ejus agri regiones in tumulo, sub Acuto monte, ubi hodie S. Joannis Baptistę Monasterium surgit, quod olim S. Marię de Angelis sacrũ erat, uti Pirrus testatur. Confundunt nonnulli cũ vetustissimo *de Baia* Monasterio S. Gregorio in Epistolis memorato, sed hoc in ditione erat Syracusana. *Bayda* Sarracenicũ est nomen, quod nobis Album sonat, hinc terra eruitur *Alba* eodem in loco, ęgris saluberrima. Casale Panormitano Antistiti dono dedit Guillelmus II. anno MCLXXVII. quod ille Castellũ Corileonis sui juris, novo Montisregalis Episcopo cessisset. Matthæus inde Ursinus, quum anno MCCCLXXVII. Panormitanę Ecclesię pręesset, Manfredo Claromonte concessit, qui novo condito cœnobio sub S. Marie de Angelis titulo, cujus adhuc e[illegible] in Ecclesia prospicitur, illud *non Monachis Cistercicensibus*, uti Pirrus scribit, quod Fazellus & Lellius evulgant, ac post eos Cajetanus, *sed Benedi-*

ctinis

Filiis eu Monasterio S. Martini, *ejusque Abbatis moderationi perpetuo subjecit*; *voluitque Cœnobitas hujusmodi*, *ut e loco invio Castellacii*, *in amœnissimum*, *undique irriguum aquis in jucundo Panormitanæ maritimæ oræ prospectu*, *locum commigrarent*. Ne autem injuria aliqua Panor: Ecclesiæ inferretur, *Cudemi* agrum idem Manfredus Archiepiscopo dedit, Romano Pontifice permutationem confirmante. Post Andreæ Manfredi filii mortem Martinus Rex *Byde* Casale, quod adhuc stabat, Giliforti Riccabono Ursini successori restituit, sed passim casale excidit; Monasterium vero anno MDX. ejusque bona, *dummodo in eo Monachi semper alantur*, Archiepiscopali mensæ uniuntur. Joannes subinde Paternionius Panormi Pontifex & ipse, templum, ædesque monachorum instauravit, ædificia eximia, hortos amœnissimos, fontesque ad sui & successorum delicias instituit, ac sub S. Joannis Baptistæ nomine dedicare locum voluit, cujus e marmore elegantissimum signum in Ecclesia collocavit. Benedictinis deficientibus Carmelitæ fratres aliquando tenuerunt; sed Minoritanis de Observantia tandem Didacus Aiedo anno MDXCV. concessit. *Bayda* fontes celebrat Aretius de Situ Siciliæ. Casalis rudera adhuc visuntur, Ager circumpositus vineis, oleis, ac multa arbore est consitus.

BAYDA Arx sub Eryce, ab antiqua Segesta haud multum distita, a Castello ad mare pass: M. IV. Anno MCCCX. sub potestate dicitur *Bernardi de Passaneto*, hinc sub *Riccardi Abbatis* dominio; Quo Martini Regis hoste declarato, *Allegrantia* Matthæi de Montecatino uxor ejusdem Principis beneficio primo accepit, mox *Antonius de Bosco*, uti Jacobæ de Passaneto Bernardi sororis hæres. Euphemia Antonii filia Francisci Sieri uxor ad se spectare post patris mortem MCCCCIV. contendebat;

tendebat; At *Guillelmus* ex eadem Antonia natus obtinuit, ejusque filii ad annum MDLXIII, quo *Vincentius Boschius* Vicarii Comes cum *Blasco Corvino* commutavit, Medquefio opido accepto. Corvini hęredes anno MDLXXIX. *Bayde* arce Boschiis restituta, opidum sibi vindicarunt. Ab his emit *Franciscus Torallus* MDCXXXIX. quem *Simon* filius excepit Ferulę Marchio. Huic *Petrus* successit; hinc *Franciscus*, qui IV. *Bayde* Dynasta ex *Torallis*. Arx porro munitissima situ, & propugnaculis, visu prorsus digna, omnes iter per eam regionem habentibus occurrit, novisque ædificiis ad colonorum amplissimi agri commodum instructa effulget.

BAYHARIA latissima patensque regio est agri Panormitani ad orientem solem, villis, & suburbanis procerum ædibus ad ultimam elegantiam referta. Singulas describere longum esset, pręcipuas tamē recenseam. Et primo occurrit Butereusis Principis, qui & Raccudiæ Comes amplissima villa, circa quam ad ortum paucis ab hinc opidulum crevit cum Ecclesia, ubi facra totius regionis villicis administrantur sub Majoris Panormitani Cappellani cura. Vicus dicitur alio nomine *Raccudia Nova*. Tutelares & Patroni sunt Jesus Maria & Joseph, constatque laribus 70. circiter, opidanis 300. Eminet in tumulo ad regionis austrum Villa Valguarnera, in qua nihil desideres, quod ad delicias animique oblectamenta conducit; hinc Aragonia omnimodam præsefert magnificentiam; Nec Catholica, Filingeria, Palagonia, Ardaria ædificiorum mole, ornatu, & ordine decedunt; omnes denique media urbe regia dignissimę merito putantur. Claudit *Accia* seriem, de qua jam dixi, a meridie, uti ab opposita plaga suburbanum Ficaracci cum vico, suo loco inferius describendum.

Jam

Jam de voce *Bayharia* varia tradunt authores. *Baccharium* agrum Scanellus denominat ab ęde *Bacchi* ibi olim extructa, uti credit, quod optima vina in eo proveniant; sed templi hujus meminit nemo. Dec: 1. lib:8. Th: Fazellus Sarracenici appellat nominis, quod *terram arenosam, mobilemque* significat. Castinus maritimam interpretatur regionem; & situs quidem congruit, majori quippe ex parte mari alluitur, sinusque Panormitani, & Thermensis aspectu gaudet. *Bahar* enim *Mare* est Arabis. Franciscus Agius Gaulitanus linguarum peritissimus: *Bahria*, inquit in msto ad me transmisso, unde vox *Bayharia* forte profluxit, pro *Musca grandiore* apud Punicos venit. Musca hęc bonus nuncius maritimus vulgo creditur, ex qua regioni nostræ vocabulum fuisse quæsitum licet conjectare.

BAYHARIA Fluvius cum non ignobili unius fornicis ponte, via Panormitana IV. pass: m. ab urbe. Vide *Eleutherus*, ubi de Fonte *Bayhuto*.

BELAMPUS Panormitani agri mons ad aquilonem. Sterilis est, scopulisque asper, unde illi nomen; nam *Belam* Sarracenis est *Sterile*. Circa radices nihilominus vinetis, oleisque consitus, ac venationi aptus habetur. Amęnissimus illi subest collium ager, de quo fuse verba faciam.

BELICH Casale Sarracenorum, haud procul confluxu amnium ejusdem nominis, & ad sinistri *Belicis* dexteram ripam. Sunt enim duo *Belices* fluvii dexter nempe, & sinister, uti mox dicam. Ejus est mentio in Rogerii Com: privilegio Mazarensis Ecclesiæ fines anno MXCII. describentis & in Paschalis Rom: Pon: literis. Jacebat Guillelmi II. ęvo, uti ex tabulis Ecclesiæ Monregalensis eruitur. Prope erat Hospitalis Domus Ordinis S. Lazari sub S. Catharinę de *Belici* titulo, cujus

extat hodie Ecclesia sub Beneficialis cura ab Rege delecti, olim sub uno ex Canonicis Agrigentinis, cum annuo proventu aureorum circiter D. Ager circumpositus *Belicis* adhuc nomen retinet, patetque amplissime in XV. divisus partes, Castroveterano, & Memfri oppidis confinis; Saltibus & annosis dumetis alicubi abundat, feris, aprisque latebras præbentibus, quorum venationi idcirco Regionis Magnates sæpissime indulgent. Spectabat olim ad *Matthæum de Perollo*; emit *Carolus de Aragona* MDLXXXIII. *Fabritius Pignatelli* Castriveterani Princeps nunc possidet.

BELICIS Fluvius Dexter, & Sinister, quorum ille *Crinisus* antiquis appellatur, & in sinistrum influit; Hic vero *Hypsa* nominatus inter Saccam, & veterem Selinuntem mari Libyco illabitur. De utrisque suo loco. Pontis vetustissimas ruinas Dexter servat, quæ reparari expectant.

BELLIGERUS, Fazello *Beligerus*, Fluvius *Arena*, sub Salemi opido ita dicitur, qui veteribus est *Halycus*. Consule.

BELLUCHIA Casale prope Saccam in Refesio nemore, juris Ecclesiæ Agrigentinæ ex dono Guillelmi II. Regis MCLXXII. Jacet.

BELMONS Principatus titulo gaudet hodie. Quum amplissimum de Mezagno agrum pass. m. VIII. a Panormo, *Vincentius Afflitto* eques Panormitanus possideret, Principatus insignia ab Rege Philippo IV. anno MDCXXVII. impetravit, cujus filius *Marchisius* jus gladii, & Casalis in eo construendi facultatem obtinuit, sub nomine *Belmontis*. Marchisio absque prole decedenti *Albertus* ejus frater successit, & huic *Vincentius* filius, nepos que *Gerardus Melchior*, quem *Nympha Afflitto*, & *Cajetano* heres excepit, *Francisci Vigintimilli* Grat-

teris

teris & S. Stephani Dynastę uxor MDCLVIII. Ex his *Cajetanus Vigintimillius*; hinc *Joseph Emmanuel* Nepos obtinuit, Vincentio Villæ Auratæ Principe, Caietani fratre, & Maria Anna Statella natus. Hic variis commendatus titulis, Regis nempe ab intimo cubiculo, XII. Regni Vir, Panormi bis Prætor, extruendi casalis denuo sub nomine *Belmontis*, facultatem exoravit; paucisque ab hinc mortalibus idcirco congregatis, Opiduli author fuit, quod Mezagnum vulgo appellant; Isabellæ Alliatæ adjunctus, ab eaque prole auctus, Regis Ferdinandi Aulicus Neapoli hodie vivit. Illius frater Salvator Episcopus Catanensis effulget.

BIBONA Opidum. Vide *Bivona*.

BICABIS Opidum. Vide *Vicaris*.

BICENUM Casale in Parochia Agrigentina. *Bigini* etiam appellatum, de quo infra.

BICHINELLUS Amnis sub monte *Busamara* fontes habens, & inter Marineum, & Corileonem defluens, *Frattina* aquas auget; & Rubinam, Romano Societatis Jesu Collegio addictum feudum irrigat. Male cum Petralonga & Calatrasi amnibus ejusdem regionis confunditur, & cum illis conjungi perhibetur.

BIFARA Sarracenicum in Valle Mazarę olim Castellum, quod anno MLXXXVI. Rogerius Comes cum aliis in eadem regione, Naro, Sutera, & Leocata expugnavit ex Maliterra. Dicitur etiam *Rigbal Bifar*. *Bifara* hinc in agro cognomine recens opidulum, & a *Leocata* appellatum, quod ab illa haud procul surgit, veteri Castello suffectum dicitur. Unicam id habet Ecclesiam cum Sacerdote vices Agrigentini Episcopi gerente, constatque laribus 30. incolis 72. Sęculi XV. initio Bifara feudum in agro Leocatensi juris erat *Bernardi Villardita*, sive, uti in Regesto legitur de

anno MCCCCVIII. *Berengarii*, qui cum uxore Favarottæ agrum quoque tenebat. Magnus Calcerandi Salvira eosdem agros *Bisaræ* & Favarottæ fuisse scribit sub Martino. Verum in Censu uxor Berengarii adnotatur. Ex dote Rogerius de Monasfria Miles, ejusdem Regis familiaris obtinuit, cujus abneptis *Palma Andreæ Monasfriæ* soror, *Ludovico Biglio* Leocatensi equiti nupsit. Ex his *Andreas Bisarę* Dynasta, qui Antoniæ Valle Catanensi matrimonio copulatus *Marium* progenuit, ex quo & Antonia Gravina, Francifontis Marchionibus orta, *Franciscus* Panormi Sexvir, & Octavius. Hic Catanæ primas præfecturas obtinuit, ubi & gentem suam propagavit. Habuit Franciscus *Marium* filium hujus nominis II. optimis instructum artibus, & scientiis imbutum, Rosaliç Serovirę flu minis Salsi Dominæ maritum; Unde *Franciscus Vincentius* mundo ortus, *Bisaræ* primus Marchio dictus anno MDCLVIII. Quamvis Philippi IV. literis Marium alibi ea dignitate auctum legam. Franciscus Vincentius ex Raphaella Scammacca Alcariæ Principe *Marium* III. filium habuit, qui idcirco Bisarę Marchio, & Alcariæ Dynasta, nec non Casalis Monachi Dux primus fuit. Mario & Anna Platamone *Emmanuel Franciscus* prodiit, hodie in vivis agens, & Stephanę Gasulio sacris vinculis adstrictus. Solum pingue est, aquis irriguum, frugibus idcirco uberrimum, pascuis abundans.

BIGINIS Arx Fazello memorata Dec: I. lib: 10. editę rupis, collisque jugo imposita, a Partana opido bis M. pass: circa meridiem, supra Selinuntem veterem urbem, cujus hodie ruinę *Terræ Pulicorum* nomine vulgo veniunt, sedet. Sub colle fons, *Biginis* etiam appellatus, copiosis exundans aquis in Madiunum, seu Selinum amnem illabentibus, quę olim per aquęductus,

plura

plura adhuc vestigia servantes, totque temporum injuriis superstites, ducebantur. Jacobus Adria in Vallis Mazarensis Topographia *Biginim* opidulum memorat, *castrum habens fortissimum; ibi fons aquæ vivæ per canale plumbeum correptus. Opiduli Author Antonius a Ponte, qui Caroli Regis, & Imperatoris facultate illud pene depersum instauravit. In agro Vivarium est, ubi omnia genera piscium nutriuntur, qui vivi servantur; quin etiam ad delicias Alosas habet*. Sed Fazelli ætate, qui paullo post Adriam vixit, nullum extabat Casale. Ager porro hodie Societatis Jesu Collegio Salemensi census pendet.

BIGINIS, & aliter *Bigemis*, Regiis in libris *Libiginis*, Casale, & Feudum, olim ad Montapertos spectans in Narensi territorio, ubi hodie *Castrum Philippi* opidum, male cum *Bigini* arce prope Partanam confunditur.

BILIEMIS Mons in agro Panormitano editus, sed acclivis, & qua pręsertim plaga Panormum respicit, australi scilicet, vinetis, arboribus, oleisque passim consitus; *Belcem* porro Sarracenis sonat Fertile. Post Belampum ad aquilonem surgit. Ad cujus radices Statio maritima *Sferracaballus*, & mox a littore haud procul Fęminarum insula. Celebrantur ejusdem lapicidinę, unde ingentes columnas ad templorum, *S.* Joseph prę cęteris, Panormi ornatum eductas; novissime vero ad Regii magnificentissimi palatii in Neapolitano Regno apud Casertam ampla peristylia substinenda, numero & magnitudine spectandas, excisas miramur. Extant & cryptæ immanes, ubi Gigantum ossa non semel inventa Carolus Vigintimillius testatur.

BIRGIS Fluvius, *Acithius* olim. Cluverius *Acithium* Carabim esse putat; sed hunc jam supra Atym Antiquis

viquis vocatum pluribus statui. *Birgis* itaque ex Fazello duos habet fontes VI. pass: M. ab opido *Salemi* circa Septentriones emergentes, quorum unus a S.Georgio; alter *Mangiadaino* appellatur, variis subinde auctus aquis, falcato incedens cursu, inter Marsalam, & Drepanum mari sese adjungit. Æstate terris circumpositis irrigandis derivatus, sicco pede prope oram trahiicitur; vere, autumno, & hyeme formidabilis evadit, agrosque inundat. Jacobus Adria *Cynthium* vocat, atque ad ejus fauces *Cynthiam* urbem locat; sed de hac apud Scriptores mentio nulla.

BIRIBAYDA Arx, ubi hodie *Campus Bellus*, aliter *Peribayda*. Vide infra.

BISAQUINUM. Consule *Busachinum*.

BISBONA. Vide *Bivona*.

BISIRIS Casale Mazarense a Fazello appellatum, prope eamdem urbem, hodie jacens, a Græcis olim inhabitatum, qui Comitissam recens opidulum ejusdem Fazelli ævo commigrarunt. Ejus meminit Pirrus Not: 6.

BISSANA Ager circa Agrigentum ad Hypsę fluminis dexteram, ab anno MDCLXX. Ducatus titulo insignis. In eo crateres innumeri, quos ad CL. Jacobus Adria enumeravit, unde putridæ & male olentes aquæ terra permixtæ, ebullientes scaturiunt, terra autem cum aqua erumpens tumulum circa craterem efficit, qui mox absortus intra craterem ipsum, evanescit. Perennis enim eruptio non est, sed stato tempore, orta tempestate ad dies aliquot perseverat. Ubi tempestas cessaverit, crateres sistunt, & terræ tumuli in planum evadunt. Fragor fit ingens in eruptione; quandoque tanta est aquarum copia, ut lacum illę efforment, sed & crateres non uno semper in loco, neque eodem numero

mero videntur. Eruptione durante colonis ferme vacuus ager evadit, qui procul-aliò sese conferunt, ne tetro odore inficiantur, & pereant; longe armenta abigunt & oves, nec avis per vicinum fertur aerem, quin moriatur. Paucis apud Fazellum id ipsum descripti legis: *Non longe ab hoc agro Aborangio inter Agrigentum & Bivonam lacus est Sulphureus, Bissana vulgo dictus, centum fere passus habens in ambitu, immensus, in quo crateres sunt duo, vicissim ad trium cubitorum altitudinem aquas perpetuo emittentes.* Tunc temporis nempe, quando Fazellus locum adiit, eam *Bissana* referebat figuram. Adria eo pacto exhibuit, quo fusius ego retuli. Idem *Beualoham* Sarracenice appellatam *Bissanam* prodit. Agri porro dominus Neapolis gentis, Rahalsuttani Princeps, hodie *Bissana* Dux.

BISSENZA Vetus arx post Sicilianam, occasum versus, nec procul a mari sub Andegavio, seu Montis Allegri opidulo. Ibi veteris ędificii, dirutique opidi cadaver incerti nominis. Vide Fazellum.

BIVIANUM Castrum, & Casale, quod sub Martino Guillelmus de Montecateno sibi vindicabat, cum Camerata, opido & Petra motta arce in Castrinovi territorio.

BIVONA Opidum locuples, & olim frequens, aliis *Bisbona*, a Carolo v. Ducatus titulo anno MDLIV. omnium prima Siculas inter Dynastias aucta, subinde que Civitatis prærogativa donata. Ad Albæ fluminis, hodie Mayhasoli, sinistram in Agrigentina Diœcesi, & Castrinovi Comarchia, levique in tumulo sub alta rupe, loco amęno, & fontibus irriguo, vulgo *Flamaria*, sedet. Novi nominis dicitur a Fazello, sed refragantur Goltzius, Ortelius, Bonannus & Maurolycus, Hipponium olim in ejus situ statuentes, quibus ego in Notis ad Fazellum adhæsi;

adhæsi; in hoc vero opusculo tom: 1. re melius perpensa, apud *Syracusas* Hipponium, deliciarum locum, locandum censui, & a *Bivona* longe idcirco dissitum protuli. Arcem habuit ab *Joanne de Aurea*, Siciliç sub Aragonensibus Talassiarcha constructam, quæ sæculo xv. in ruinas abiens, reliquias ostentat. Conflatur hodie laribus 1024. incolis 3303; Fazelli tamen ęvo lares numerabat 1525. & anno MDXCV. cives 7109. Pirri denique ętate ejus erant lares 1870. cives 6386. Sęculi nempe unius spatio adeo imminutam videmus; quamvis a vectigalibus liberam elapsis annis Reges voluerint. Parochialis *Bivonæ* ædes maxima B. M. Virgini dicata, cujus est perantiquum e marmore signum, pie a fidelibus cultum, editiori in loco posita, Archipresbytero committitur. Sed & sacrorum etiam in S. Joannis Ecclesia administratio, quę fortasse Pirri ęvo in S. Agathæ fiebat; secundam enim parochialem suo cum Rectore hanc ille dicit, ibique *S.* Rosaliç principalis Patronę vetus simulacrum servari summa cum incolarum veneratione affirmat. Minores aliç quinque hodie recensentur, quæ longe majori numero olim erant, ex quibus complures, civibus deficientibus, desertæ visuntur.

Fulget Societatis Jesu Collegium frequentiori nunc situ, in ędibus Joannis Baptistę Perollo constitutum, e vetusto loco translatum, quod ipso *S.* Patriarcha Ignatio in vivis agente, Isabella de Vega Petri de Luna Ducis uxor pingui dote auctum condidit, anno MDLVI, collatisque in ejus ædificia aureis XIII. M. decenti molitione jussit. Conduntur in Ecclesia ejusdem Isabellę exuvię; & sacrarum thesaurus reliquiarum servatur, quas Pirrus recenset, ab Joanne Vega Siciliæ Prorege, dum Romę esset Orator, impetratas affirmans.

Ex

Ex aliis ascetarum familiis Minores Conventuales opera Rogerii & Bonæ Senensium nobilium Bivonæ incolarum, anno MCCCXCIV. in S. Michaelis sedem statuere. Observantes circa annum MD. S. Mariæ de Jesu extra, locum occuparunt, quibus post annos LXXXIV. Reformati successores sunt dati. Capuccini Joannis de Luna opibus extra opidum quoque ad orientem solem ejusdem sęculi anno LXXII. fundati; Carmelitæ biennio post S. Antonii Abb. ædem, quæ hospitium dudum fuerat Minorum fratrum, habuerunt. Dominicani Thomæ Filingerii Bivonensis opera ab anno MCCCCXC. in S. Mariæ de Loreto excepti sunt, quam abdicarunt. Eremitæ demum S. Augustini Reformati S. Adriani, qui ab anno MDCXVIII. curante Agrigentino Episcopo Vincentio Bonincontro in veteri templo S. Mariæ de Oleo ad II. lapidem ab opido sunt constituti, recesserunt. Nomen habet Ecclesia a proximo fonte, cujus aquis oleum suaveolentia, & ad cutaneos morbos curandos virtute præditum, supernatat. Rosarum mons eidem imminet, de quo inferius verba faciam. Monialium porro duo assurgunt cœnobia, aliud sub S. Claræ regula pervetustum, quod ex ęde S. Sebastiani prope *Geritam* in aliam S. Pauli, ubi sua prima locarunt fundamenta Societatis Jesu Sacerdotes, sęculi elapsi initio translatum est; Puellarum pauperum secundum S. Benedicti instituta profitentium, juxta S. Mauri Abbatis Ecclesiam coalescit. Commendat Pirrus Domum etiam hospitalem, & antiquissimum S. Rosaliæ Virginis Anachoretæ templum, ubi ejusdem reliquiæ Panormi inventæ pia religione coluntur, ac vetustæ insuper tabulę Divam Domino blandiente, Angelis & Apostolis assistentibus exprimentes visuntur, de quibus idem Pirrus. Benedictinum titulo Prioratus Monasterium, S. Patri-

archæ nomine insignitem, S. Joannis de Eremitis Panormi olim Abbatię adnexum, jacet; dissidebat autem pass. m. IV. ad aquilonem in Agro, qui circumquaque luxurians quam longe patet, *Bivonamque* fœcunditate sua & amœnitate commendat. Hinc Aretius *fontibus compluribus Bivonam arboribusque ornatum oppidum* dicit, Proserpinæ incolatu celebre. Jacobus vero Adria sic describit: *Bivona sita est in piano, in cujus medio fluit magnum flumen, quo circa sunt* XV. *molendina. Abundat frugibus, fructibus, oliviis, vineis; bis in anno Bona vere, & autumno, mella dat, nemora habet, & sylvas, pecora, boves; hyberno tempore nymbis vexatur, circum circa montes habet.* Clauditur hoc ipso agro nedum Rosarum, sed & Quisquinæ mons longe celeber, ubi insignis S. Rosalię crypta, quam peculiari enarratione describam.

Northmannorum ætate *Bivona* casale erat; memoratur enim in Guillelmi II. diplomate, quo Agrigentinæ Ecclesiæ fines anno MCLXXII. describuntur. Sequenti sæculo casalis etiam nomine venit; Petro enim Capuana Magistro Secreto suo Manfredus Rex præcipit, uti Ecclesiæ eidem decimas persolvat ex Saccæ, Leocatæ, Nari &c. opidis & casali *Bivonæ*, Constantiam Reginam Petri uxorem, subinde *Friderico Campo* dedisse *Bivonam* lego, hinc sub *Joannis Conradi de Aurea* Januensis, Magni Siciliæ Talassiarchæ dominio devenit, qui arcem in illa ędificavit, subinde disjectam: Eoque proscripto, *Simon de Montecateno* obtinuit, uti in Friderici II. Regesto MCCCXX. refertur. *Ad Joannem Claromontanum* mox, Caccabi Comitem, Suteræ Dynastam, Regni Senescallum sub Friderico III. spectabit. Habuit hic ex Isabella Vigintimillia unicam filiam *Constantiam*, quæ *Joanni Peralta* nupta est

cum

cum dote *Bivonæ*. Horum filius *Nicolaus* Joannam & Margaritam genuit; Prima innupta obiit, altera *Artali de Luna* Martini Regis consanguineo data est uxor cum amplissimis dynastiis. *Bivona* subinde ad Lunenses transiit, quorum seriem alibi promam. Ex his *Joannes Vincentius* opidanos *Bivonenses* a se deficientes, ut Regi immediate subessent, ferro domuit, atque ad officia revocavit. Tunc disiectam opidi arcem evulgant. Illius Nepos *Petrus de Luna* Isabellę de Vega maritus a Carolo v. Cæsare primus inter Magnates Siculos *Bivonæ* Dux est appellatus. Ex Petro *Aloysia*, quæ *Cæsari Moncadæ* nuptui data, *Franciscum* habuit filium. Hujus successores vide ubi de Calatabellotta & Paternione: Anno MDCCXXXVI. Fridericus *Vincentius Toledo* Ferrandinę Dux obtinuit jure uxoris *Catharinæ de Moncada*, quibus *Antonius Alvarez de Toledo* filius, & hæres successit MDCCXXXVI. *Bivonæ* dux appellatus. Gaudet jure gladii, Magistratus annuos designat, & in publico Regni consessu primus inter Duces votum profert. In Siccensis Militiæ Præfectura opidani nomen dabant, pedites CVIII. equites XX. Clero Agrigentini Pontificis Vicarius præest.

Illustres *Bivonæ* viros una Anachoretis Sanctissima Rosalia meritò anteiret, nisi vana futilisque esset de origine ejusdem apud *Bivonenses* opinio; communi calculo Panormi ortam fatemur omnes, quamvis paternæ ditionis terræ Rosalium, scilicet & Quisquinæ ad *Bivonam* adhuc hodie pertineant. Commendatur ab innocentia vitæ Maria Roccaforte Virgo Monialis ordinis S. Benedicti, cujus extat vita typis edita. Pirrus Sebastianum a *Bivona* ex Minoribus Capuccinis laudat, vitæ austeritate, præclarisque virtutibus præcellentem, charitatis officiis erga peste afflatos illu-

ftriorem, quo ipse morbo MDLXXVII. interiit. Franciscum ex Reformatis a diutino incolatu *Bivonensem* dictum, sed Camaratæ ortum, qui magna sanctitatis opinione anno MDCXIX. decessit. Floruit Josephus Romanus Philosophiæ & Medicinæ Doctor insignis, ac poeta ingeniosissimus, ab Galeano in Musis Siculis commendatus. Vincentius item Romanus Ordinis Prædicatorum Theologus gravissimus, Concionator paucis sua ætate secundus, Examinator Synodalis & Provinciæ Præfectus, qui muneri pre humilitate mensibus elapsis nuncium remisit, sanctisque operibus intentus mortem in patria expectavit MDCLX. Prodiere ejusdem Orationes sacre typis Panormitanis triennio post. Michaelangelus Maymone Strictioris Observantiæ S. Francisci, Theologus & Ecclesiastes, scripsit Chronologiam Christi Domini ab Adam, & triplex Divæ Annæ connubium perperam affirmari demonstravit. De eo Tognoletus & Mongitore. Bivonæ longitudo est graduum XXXVII. X. latitudo XXXVII. XL.

BIZIR Casale, quod Rogerius Comes cũ vicis circumpositis Stephano Mazaræ Episcopo anno MXCIII. assignavit. Ejus est mentio in Paschalis Rom: Pon: diplomate, quo illius Ecclesiæ fines describuntur, ubi ex errore *Buzir* denominatur.

BIZOLUS Fons sub Jato monte ad occasum, unde uberes profluunt aquæ, & Bathis fluvius, vulgo Jatis augetur. Tres alii ejusdem amnis fontes Clusa, Ginestra, & Canavera dicuntur ex Fazello.

BLANDINEA Turris ad aquas Piratarum, sive vulgo *Cursalium*, in littore Panormitano, cui Blandinus ejusdem author nomen reliquit, ex Adria Topog: Vallis Mazaræ.

S. BLASIUS Fluvius circa Agrigentum ad ortum

tum decurrens,& sub eadem urbe Drago celebri amni sese admiscens, Agragantis nomine assumpto in Africum mare egeritur. Locus, ubi aquarum fit concursus *Bucellus* dicitur. Vocabulum porro ab agro, & ædicula *S. Blasio* Episcopo dicata fluvio appictum, qui ex fontibus oritur, proximis in collibus emergentibus. Hinc *S. Benedicti* etiam ab agro cognomine, aquisque ex eo erumpentibus appellatur. Perperam Cluverius & Massa cum Nari flumine *S. Blasium* confundunt, quod IV. pass. M. ab Agrigento labitur, aquasque post Puntam Albam promontorium in mare emittit, atque e fontibus longe dissitis manat, uti suo loco dicemus. Ponte prope urbem trahijcitur; æstate vero pene siccus videtur.

S. BLASIUS Opidulum recens, ad *Joppulos* spectans, in Agrigentina Parochia, & Suteræ regione hæret ad austrum; constat laribus 400. incolis 1700. & titulo Ducatus insignis est ab anno MDCLIX. Sacra Parœcialis ædes S. Blasio Epis. tutelari dicata, unicam habens suffraganeam, sub Archipresbyteri cura, elegans est; Dynastæ palatium decentissimè splendet. Ager satis amplus aquis irriguus, frugum ferax, cum altero conjunctus ad Cianciànam, seu S. Antonium spectante, juris etiam ejusdem *Joppulæ* gentis, ad *Joannem Gerardii* olim pertinebat. Emit ab Hieronymo Ficarra *Didacus Joppulus* anno MDCLXVI, qui congregandi homines facultate impetrata, primus *S. Blasii* Dux paullo ante renunciatus, novo opidulo ejusdem S. Episcopi vocabulum appinxit. Gessit *Didacus* suprema Regni munia, Regensque Italię electus ad plures annos injunctis ministeriis egregie satisfecit. Ex eo & Sigismunda de Onofrio *Antonius Joseph*, qui a rationibus Regiis, & Patrię Prętor effulsit Antoninę Gianguercio sacris vinculis adstrictus

ctus *Petrum* genuit, ex quo & Agatha Spatafora conjuge Antoninus & Ludovicus prodiere. Improles ille e vivis abiit, *Ludovicus* anno MDCCXVI. *S. Blasii* idcirco Dux renunciatur. Hic equestris alæ Tribunus, Magnatibus Hispaniarum adscriptus, strenue apud Oranum contra Mauros decertans occubuit MDCCXXXII. cum Isabella Pescatore Hispana Matrona copulatus *Petrum* II. susceperat, qui vivit hodie Vallonæ Custodiæ Matriti Centurionis Legatus. Sedet in Siculis Comitiis loco XX. & jure gladii gaudet.

BOEUM Promontorium, olim *Lilybe & Lilybæum* a proxima urbe, ex tribus Siciliæ primariis unum. Vide *Lilybæum*.

BONAGIA Statio ad Drepanum sub Eryce monte. Ibi hodie Cætaria & Turris Specula. Dicitur vulgo *Maremma de Bonagia*.

BONFORNELLUS Arx ad insulæ latus aquilonare post Himeræ fluminis ostium, circa sinistram ejusdem ripam, a maris littore haud procul, quam amplissimus S. Nicolai ager, & veteribus forte *Minervalis* appellatus, circumdat. Ibi olim casale Sarracenicum *Odesuare*, subinde *Senescalchi*, tandemque *Bonfornelli*, quod Ecclesiæ Cephalædensi olim anno MCXCVIII. dedit Constantia Regina, & Fridericus Cæsar post triennium confirmavit. Concessum subinde fuit Arnoldo Sanctacolumba opiduli *Isnelli* domino circa MCCCCXXIV. sub census onere eidem Ecclesiæ præstandi frum: salm. XXV. Devenit, deleto casali, Arx cum agro ad *Blasium Alliata* Roccellæ Dynastam, quo agente Principatus insignibus est decorata anno MDCLXXVII. *Fridericus Neapolis* agrum subinde jure Eleonoræ uxoris habuit, & ad *Christophorum* filium transmisit, secundo loco genitum. Hic Josepham Zati Risesii dominam sibi adjunxit,

junxit, & *Bonfornelli* Princeps est dictus.

BONIFATUS Mons, sive *Bonifacius*, circa cujus verticem Alcamus olim opidum non incelebre conditũ, de quo jam dixi, quod Fridericus Rex solo æquatum voluit. Arcem, quæ superarat post Fridericum, jussu Martini etiam dirutam dicunt sæculi xv. initio. Idem enim Rex MCCCXCVII. Alcami meminit & Arcis *Bonifati*. Longaricum ibidem stetisse veteribus memoratum Cluverius tradit. Sed Arabum Siculum Itinerarium Rogerii Regis ævo conscriptum. *A Drepano*, habet, *ad Montem Amed* x. *pass.* M. *circiter. Est hic mons nimis arduus. Ex hoc monte ad Albamum* xx. *pass.* M. *Est Albamum munimentum inexpugnabile, atque ex iis, quæ ad septentrionem sunt validissimum. Abest a mari* XIII. *pass.* M. *ubi statio est, quæ dicitur Medeger*. Bonifacius porro, uti alibi lego, Dux Sarracenorum, qui suos a Siculis dura obsidione pressos in Alcamo liberavit, monti nomen indidit. Sebastianus Bagolinus a Bono fato vocabulum accepisse collem tradit. Adria denique de illius ubertate hæc habet: *Fœcundissimus est mons vineis, arboribus, & oleis ab oriente & aquilone consitus, pascuisque lætissimis ab austro abundat. In summo est Castellum servans aliquot adhuc vestigia, & oratorium, seu templum S. Mariæ de Alto sacrum, cujus imago in pariete depicta olim inventa est*. Opidum in *Bonifato* jacens ad aquilonarem surgebat plagam, cujus est apud veteres mentio. Homines seu incolas *Bonifati* memorant Guillelmi II. literæ, quibus fines Ecclesiæ Montisregalis anno MCLXXXI. recenset. Sed Alcamum id erat vetus, & Alcamenses cives, de quibus jam supra.

BONICONSILII Scopulus, seu parva insula circa Drepani littus ad aquilonem. Orlandinus *Mali Consilii*

filii aliquando fuisse appellatum tradit. Ibi enim Joannes Procida, aliique proceres contra Gallos consilium anno MCCLXXXII. iniere. Memoratur Fazello & aliis *De Vesperis Siculis*.

BONPENSIERE. Vide *Naduris*.

BORANGIUS Ager, Fazello *Aborancius*, abest Agrigento ad aquilonem pass: M. VIII. in quo Salis est minera, naturam a cæteris discrepantem habentis; si enim igni jungitur calore solvitur, si aqua, durescit, crepitatque. Plinius lib: 31. cap: 7. *Agrigentinus sal ignium patiens ex aqua exsilit*. Solinus cap: 11. *Salem Agrigentinum si igni junxeris, dissolvitur ustione, cui si liquor aquæ proximoveris, crepitat veluti torreatur*. *Hodie*, subdit Cluverius, *fecturæ hujus salis extant in agro Borangio*.

BRITIUM. Vide *Pritium* Opidum.

BRUCA Fluvius ortum ex fontibus ad Busachinum in ipso venali foro habens, veteris Cœnobii S. Mariæ de Bosco agros præfluit, amnique Batticani aquas suas avehendas tradit, Belici simul cum illo sese adjungit. Ejus meminit Fazellus.

BRUCA Statio in meridionali littore prope Belicis fluminis ostium.

BRUCATUM Opidum olim, sub S. Calogeri monte, Veteribus Euraco, cujus rudera post Thermas Himerenses in Vallem Demanam euntibus ad IV. circiter pass: M. cum mediterraneo, tum littorali itinere occurrunt. Paucas servat hodie colonorum agri humiles casas, hospitatoriam tabernam, & Ecclesiam: Ob venas nihilominus aquarum uberrimas e proximis collibus scaturientium, quæ molares rotas circumagunt triticeas, atque ob ingentes aquæductus ruinas celebre adhuc habetur; sed circa littus majora ostentat monumenta,

menta, quę Fazellus describit, ad Gallos defecisse incolas subjiciens, atque idcirco opidum a Petro II. funditus deletum memorans. *Reliquiæ, ait superfunt in loco, qui dicitur adhuc Curia vetus, ubi & domus diruta, & jacentes visuntur, & arx est deleta, Castellacium appellata.* Ager cœtero vineis & frutetis Thermitanorum frequens, Cereris amicus, & alicubi incultus, saltibus, & dumetis abundat. Erat Northmannorum ęvo, *Brucatum*, de Parochia Agrigentinę Ecclesię cum Kalchet castello, hodie Caccabo, & pro Canonico ejusdem Collegio sexta computabatur *Præbenda*, Guillelmi autem Regis primi beneficio, quo ad temporales proventus anno MCLVII. Ugonis Panormitani Archiepiscopi, militari servitio omnino exemptum, dominio subditur. At non diu post Gualterium, Ugonis successoris Diœcesi accensum hac fuit occasione. Corilionem Guillelmus II. Montregalensi Episcopo noviter instituto designatum voluit, Gualteriusque, ad quem spectabat, Regi rem gratam facturus, libenter illi cessit. Jacturam hinc Panormitanæ Ecclesiæ compensare Princeps optimus satagens, ut *Brucati* & Caccabi juribus Gualterii favore Agrigentinus Pontifex renunciaret, obtinuit; huic vero bona alia munificentissime attribuit. Usurpatum sub Gallis a Laicis *Brucatum* passim creditur; Friderici enim Cęsaris, Siciliæ ejus nominis primi literis *Brucatum cum molendinis & tenimentis suis* Ecclesię Panormitanæ confirmatum legimus, & Friderici II. decreto rursus eidem Ecclesię restitutum. Pręsulum subinde, qui successerunt, concessione Regii, nobiles Panormitani tenuerunt, mox circa sęculi XVI. exitum ad Marinei Marchiones, Capacis Comites devenit, *Brucati* hodie Barones. In eo S. Mariæ de Burgitabus Benedictinum stetisse Prioratum Pirrus affir-

mat, quem alibi ad III. a Colisano lapidem situm dicit. *Brucati* meminit Itinerarium Arabicum; ad illud dudum spectabat ager, ubi Xara recens opidulum hodie sedet; amplissimum quippe olim erat, lateque ejus fines extendebantur, ab ora maritima ad Euraci montis radices meridionales.

BUCALIS Casale in Agrigentino territorio, sub Friderico II. circa annum MCCCXX *Mariano Cupicio* obnoxium, una cum Mulotta, Camiano, Diesi, & Rahalmali, tunc etiam casalibus. Martino regnante *Antonius de Bonito* possidebat. Variis hodie Dynastis subduntur, sed *Diesis*, ubi Aragona opidum, juris est Aloysii Naselli, de quo dixi jam supra.

BUCCA FARCI Regio est in agro Panormitano circa occasum, sub Acuto monte, seu *Cucio*. Fauces quippe ibi sunt, unde ad S. Martini montes, aliosque in occidua regione, & *S. Annæ Portellam* publicum est iter, uberrimis aquarum decursibus irriguę. Vicus hinc non infrequens, & civium suburbana cum amœnissimis viridariis ibi spectantur, ædisque parochialis assurgit, quę sane omnia opiduli speciem pręseferunt.

BUCHINENA Casale juris Ecclesiæ Montisregalis, cujus est mentio in Guillelmi II. diplomate MCLXXXI. ubi ejusdem bonorum, terrarumque fines describuntur.

BUCIA apud Ptolemęum Sicilię urbs ad australe latus, sed hodie situs incerti.

BUCINNA Stefano Byzantino insulę nostrę opidum; fortasse *Bucia* Ptolemæi. Cluverius nullam fuisse in Sicilia ejus nominis urbem, advertit. Sed Phorbantiam *Bucinnæ* nomine venire, quę parva insula contra Drepanum & Lilybœum littori adjacet. Vide *Levonsus*.

BUF-

BUFFARERA Casale ad Panormitanam spectans Ecclesiam, de quo in Friderici Cesaris literis MCCXV. ubi ejusdem bona recensentur. Est ejusdem nominis ager prope Corilionem, cujus fit mentio in Guillelmi II. diplomate alibi laudato.

BUGILIFER Locus, ubi una ex Latomiis, seu Lapicidinis veteris Selinuntis videtur, ad aquilonem sita pass: IV. M. ab ejusdem urbis dirutis monumentis. Hanc, aliasque latomias describit Fazellus.

BUGUMENUM Sarracenorum Arx, quam Rogerius Comes expugnatam diruit teste Malaterra in ejusdem Comitis gestis. Erat in Valle Mazarę.

BULCHER Casale prope Montisrealis Ecclesiam. De eo Guillelmus II. literis de anno MCLXXVI. Ex Cascino in Vita S. Rosaliæ *Bulcher* terra est fructifera, qualis certe illa, ubi sedet hodie Montisregalis urbs. Ibi Pomonam statuisse sedem affirmarent procul dubio Poetę; sufficit enim nedum incolis, sed proximę etiam Metropoli Panormo. Fazellus ad Hospitium *Bubarrę* III. pass: M. ab eodem Monteregali dissitum, nominis similitudine ductus, locavit, sed ubi nunc civitas ipsa sedet, alii statuunt. A *Bulcher* Sarracenorum in Sicilia Principe, qui Fato Amirę successit, dictum opidulum censent.

BURGENISSIMA Casale juris Ecclesiæ Panormitanæ, hodie jacens. Dedit Rogerius cum aliis in finibus Nari, & Limpiados, seu Leocatæ Chamuto Sarraceno, ejusque filio, qui ad Christiana sacra conversi, ea Archiepiscopo Panormitano Rogerio Fresca anno MCXLI. obtulerunt. Concessa deinde Maziottę Alagonio, ab Rogerii hujus successoribus tradidit Pirrus.

BURGETTUM Castrum, hodie *Burgium*, de quo mox dicam.

BURGETTUM Opidulum in Mazaræ Diœcesi a Partenico haud procul, ad S. Martini Benedictinu Cœnobium spectans, sub colle sedet circa aushum. Dedit anno MCCCLX. ejusdem Abbati Angelo Sentiio agrum de *Burgetto* nobilis Matrona Margarita de Blanco Joannis de Calatajerone vidua, hac tamen pia adjecta conditione, ut ad S. Benedicti honorem Monasterium ibi construeretur. Agrum ab omni servitute immunem dixit Fridericus III. Rex; moxque Urbanus V. Monasterii extruendi facultatem est elargitus. Angelus Joannem fratrem instituit, qui Abbas idcirco S. Benedicti de *Burgetto* est appellatus. Hic cum suis populi frequentiæ pertæsus, in asperrimum Ciambrarum proximum montem se transtulit, sed perditorum hominum injuriis Monachi subinde lacessiti, antiquum *Burgetti* locum repetere coguntur, novumque ad collis radices monasterium condunt, circa quod opidulum passim crevit, mortalesque convenere. Parochialis *Burgetti* Ecclesia S. Mariæ Magdalenæ sacra, decens satis a Monasterio haud procul exurgit, cujus cura, & animarum simul solicitudo Monacho Archipresbytero cōmissa, quem Abbas deligit & Mazarensis Episcopus instituit. Opidanis in officio continendis idem S. Martini Abbas Magistratus designat, suasque vices Monacho etiam, qui & *Rector* dicitur, committit. Sunt in novissimo censu incolæ 1147. lares 370. Solum ferax est, aquis abundat, oleum fert, unde proventus non modicus.

BURGETTUM Comitatus insignibus hodie clarum, vulgo *Menfrit*; & Regiis in libris Sarracenico vocabulo *Burgium Millusum*, & *Burgium Cristanum*. Tenuit *Conradus Rodulfus de Manuele*, Jacobi Regis beneficio anno MCCXXXVII. Strenuus hic miles Drepanitanus, unus ex adlectis equitibus fuit, Petri Arago-nensis

nensis ad indictum cum Carolo Andegavensi certamen Burdegalæ ineundum, sociis. Ejus hinc filii *Rodulfus*, & *Conradus* in Friderici II. censu, ille *Burgii de Cristano*, alter *Burgii de Millusio* domini adnotantur. Sed & tertius etiam Rogerius memoratur Calcusi Dynasta, unde Villæ Albæ Marchiones rectà originem ducunt. Jam ex Conrado *Antonius*, quem alter ejusdem nominis excepit *Antonius* II. unde *Euphemia* prodiit, Francisco Vigintimilio nupta. Hæc in Martini Regis censu, pro *Burgio Millusi, quod est uxoris suæ*, Curię obnoxius dicitur, quam jure prole caruisse virili, filia *Pina* tantū relicta, ab ejus obitu, *Euphemia* Nino Tagliavię Castri Veterani Domino sese sacris vinculis adstrinxit, *Pinamque Balthassari* ex altera uxore Nini filio, nuptui dedit. Horum primogenitus *Joannes* eam *Burgetti* dynastiam alienavit, quam tamen *Joannes Vincentius* illius hæres septennio post MCCCCXCIX. soluto emptoribus pretio, ad se revocavit, ac vinculo, uti dicunt, *adjecto* posteris reliquit. Hos inter *Carolus* effulsit Castri Veterani Princeps variis titulis commendatus, uti alibi scriptum, *Burgetti* Philippi II. privilegio anno MDLXV. primus Comes; cujus successores de Abola loquens tom: 1. recensui. Est quidem *Menfrit*, sive *Burgettum* in Saccensi Comarchia prope Inici veteris urbis ruinas, ad Hypsæ, Belicis hodie, fluminis sinistrā ripam, in æquo solo ad austrum sedens; de quo inferius.

BURGIUM Opidum locuples, frequens, *Burgettum* in Martini censu appellatum; sed perperam a Fazello & Pirro *Millusum* cognomento dictum. *Millusum* quippe in altero *Burgetto* prope Belicim stabat, primis Aragonensium temporibus ad Manueles spectans; Nostrum vero in Comarchia Corilionis, juris præclaræ gentis *Peraltæ*, quod inferius patebit, inter

Clusam,

Clusam, Julianam, Sabucam, Calatabellottam, aliasque ejusdem familiæ ditiones, sedet ad amnis Isburi, seu Calatabellottę sinistram, in tumulo leviter declivi, sed lapidibus aspero, in austrum & occasum, habetque in editiori situ castrum adhuc pene integrum, præcisæ undique rupi inhærens, ubi Dynastę ędes. Circa opidi superna ad meridiem major Parochialis Ecclesia surgit S. Antonii Abbatis titulo, ampla, elegans, statuis & picturis ornata, vetus denique; ipso namque Northmannorum ævo, uti epigrapha in S. Nicolai Sacello docet, fundata. Dives in ea SS. Eucharistiæ Sacellum quoque splendet, comptumque satis aliud Tutelaris S. Antonii, Archipresbytero subest, cultuque præcipuo duodetriginta Sacerdotum cœtu frequentatur; cui S. Mariæ de Misericordia æque antiquissima, ad Sacra ministranda etiam deputata, ac aliæ VIII. suffraganeæ subduntur, cum Hospitali Domo pro infirmis, & Monte Pietatis.

Carmelitis fratribus ab anno MDX.... S. Sebastiani templum cessit ad occidentem. Prope Castrum Augustiniani, S. Leonardi titulo, anno MD XV. coaluere, qui extra opidum olim S. Luciæ de Viridariis ædem occupabant, sed recesserunt. Minores Tertii Ordinis in S. Viti Mart: cujus est elegantissimum e marmore signum, decentissimè, Seraphini Ciambri ejusdem instituti opera, degunt. Observantes in S. Mariæ de Gratia extra constitutos, Reformatis MDCII. cessisse locum invenio; Capuccini demum anno MDLXX. loco prærupto *Xarabisi*, dudum, inde inter *Burgium* & Villamfrancam, sequentis sæculi XXXVII. in locum aptiorem aquisque irriguum transmigrarunt. Pons ibi supra perenne fluentū. Monialium S. Benedicti instituta profitentiū sub S. Catherinæ V. M. patrocinio ab anno MDXL. dives est Monasterium circa opidi oram. Aliud Clarissarum

rum erat Pirri ævo statuendum, sed opus minime processit. Opidi stemma Castrum exhibet in rupe, Leonemque vexillum præferentem castro innixum. Incolæ figulinę artis operibus & ęre campano fundendo intenti, non levem quæstum ex illis per universam pene regionem faciunt. Lares Fazelli ætate, qui ex Camichii & Acristiæ ruinis *Burgium* crevisse tradit, erant 650. Anno MDXCV. 771. incolę 4407. Sequenti sęculo ex Pirro foci 1159. opidani 4475, sed Regiis libris computati MDCLII. sunt lares 1239. incolę 4730. Ævo decurrente lares 1391. incolę 5354; novissime 5522. Clauditur *Burgium* in Parochia Agrigentina, cujus Episcopus per Vicarium Clero jura dat. Civilium rerum cura penes magistratus a Dynasta ex more constitutos. Indigena militia sub Saccensi Pręfecto, qui equites XIII. pedites LXVII. *Burgenses* sub signis habebat. In publico Regni Consilio XXV. profert votum Opidi Baro. Primus porro, cujus est mentio, *Fridericus de Antiochia* circa annum MCCCXXX. elucet, Mistrettæ, Calatabellottæ, aliarumque ditionum etiam Comes; sed Friderico a Regibus deficiente, *Raymundo Peraltæ* Aragoniæ Talassiarchæ cum Calatubo & Castello Maris conceditur, Post quem *Matthæus Peralta* in Censu Martini Regis adnotatur; Ex *Peraltis* ad *Cardonas*, unde *Jornii* acceperunt, tandemque *Columnii*, de quibus alibi fusius scribam. *Burgis* ager aquarum fontibus scatet, fructuum idcirco, & frugum fertilis in regione cum primis censetur; fertque vel maxime aurea & citrina mala; Olei, vini, mellis dives est; pascuis abundans, armentis hinc & gregibus gratissimus evadit. Adria *Burgium*, inquit, *magnum opidum in valle conditum in medio Villæ francæ & Clusæ, Uberrimum est, & volatilium ferax*. Opidi longitudo est grad: XXXVII. latitudo

tudo

tudo XXXVII. XXXVIII.

Patriam illustrem reddidere Sebastianus Saccus inter Minores Observantes adscriptus, Theologus eximius, & in Jure Pontificio abunde versatus, Concionator denique egregius, de quo in Bibliot: Sicula Mongitore. Scripsit *Florum Fasciculum ex Theologia Morali* tomis duobus distinctum. Dominicus Monachò ejusdem ordinis, a singulari in divam Annam Deiparæ Matrem cultu commendatus, Sacra Theologia apprime imbutus; Laudatur ab eodem Mongitore. Franciscus Turanus Agrigentinus Canonicus, Juris Cæsarei & Pontificii callentissimus, Theologus & Mathematicus æque celebris, Abbas Condocensis, orbi literario notus. De eo idem Mongitore. Michael Angelus ordinis Capuccinorum verbi Dei Præco illustrissimus, suorum Provinciam egregie administravit. Commendat illum Pirrus; Blasius ejusdem instituti Poeta clarissimus, Philippus Giacomazzus, laudantur in Sicula Bibliotheca. Jacobus Sitaiolus Agrigentini Episcopi ad plures annos Generalis Vicarius, piorum operum in patria fundator, vivebat Pirri ætate. Jacobus Turanus divinis, & sæcularibus scientiis imbutus, Poesis, & eloquentiæ studiis addictus, Agrigenti Canonicus & Generalis Vicarius; scripsit Ven: Mariæ Crucifixæ a Conceptione vitam, cujus probaverat spiritum. Vivit Romæ magna nominis celebritate Dominicus Turanus, Societatis Jesu Theologus, quem passim veluti sacrarum literarum oraculum primi ex Purpuratis Patribus, & sæculi Dynastis consulunt. Quum anno MDCXXVII. ob annonæ penuriam *Burgenses* tumultum excitassent; Octavius Lancea Trabiæ Princeps pristinæ tranquillitati, turbarum authoribus mulcta damnatis, restituit.

BU-

BURRONIS Insula, prima post S. Theodori promontorium in latere insulę occidentali, contra Rupes, Hispanicas appellatas, occurrit in *Stagno* cum Salinis, & turri ad harum custodiam, inter Drepanum, & Marsalam adjacens, sed huic proximior. *Burronis* Promontorium MM. passibus ab illo S. Theodori distidet, & male cum isto confunditur. Inter insulā & Promontoria Euripus, quem Camillianus formidabilem dicit; immodice enim senis quibusque horis fluit, ac veluti praeceps torrens fluctibus invicem versis, naviculas, repugnantibus ventis, secum trahit.

BUSACHINUM Opidum, aliis *Busequinum*, Saracenicae appellationis, atque recentis nominis; uti enim notat Franciscus Agius Punicę linguę peritissimus, Gaulensis Canonicus: *Bu Mutuum* sonat, *Sekuin Aquis redundans*, sive *Aquosum* significat. Et sane opidi nostri ager ubique irriguus nomini dedisse occasionem videtur. Dioecesis Agrigentinę olim pars erat, at Guillelmi II. Regis precibus, illud Bartholomaeus, ejusdem Ecclesię Episcopus, Montisregalis Pontifici libere donavit; Sed & obnoxium quum esset *Roberto Malcontenant*, cujus filiam *Mariam* Robertus de Tarsia, eodem Guillelmo annuente, duxerat in uxorem, cum *Busachini* dote, Robertus in regias manus sponte opidum resignavit; Rexque Ecclesię Montisregalis Archiepiscopo, & Monachis in ea Deo famulantibus concessit. In collis declivi, occasum & meridiem respiciente, ad fontes Bruce fluminis sedet *Busachinum*, prospectumque amoenissimum habet irrigui subjecti agri Clusae, Julianae, Comitissae, aliorumque opidorum ad oram usque Saccensem XVIII. pass. M. inde distitam. Medio fere opido praecipua & parochialis Ecclesia

ampla, & elegans assurgit S. Joannis Baptistæ titulo hodie insignis. Vetus namque S. Mariæ de Angelis sacra dicebatur. Divinum in ea cultum Archipresbyter, & Minister Sacrorum IV. nec non XII. Canonici, & Mansionarii exhibent. In foro fons est limpidissimus, quem ornatu satis decoro ex albo marmore jussit Ludovicus delos Cameros Archiepiscopus; inde autem originem habet fluvius Bruca, qui in Belicim se exonerat. Complectitur *Busacchinum* Carmelitarum cœnobium sub Deiparæ Annunciatæ nomine; Monialium Benedictinorum Parthenonem sub S. Nicolai Episcopi auspiciis circa extremam oram; Collegium Mariæ noviter institutum; Hospitalem Domum pro infirmis prope S. Mariæ Agonizantium Ecclesiam, ubi & Mons Pietatis viget; Ordinis SS. Trinitatis Hospitium; & Minoritarum Capuccinorum B. Annæ sacrum ab anno MDCXXXIII. extra, in elato patenti loco excitatum monasterium, sexque demum alias sacras ædes Parochialis ditionem agnoscentes. In arduo colle passi M. ab opido circa orientem S. Mariæ de Balzo Ecclesia conspicitur, in qua ejusdem B. Virginis prodigiis claræ imago, frequentis populi cultu, sollemnique festo cum nundinis mense Augusto honorata.

Præsident Opidanis pro Archiepiscopo Vicarius, quo ad sacrum forum, Gubernator, quo ad jura temporalia, & proventus; civicasque curas œconomicas Jurati Quatuor Viri gerunt. Est illis præcipua Patrona S. Rosalia; Insigne Sydus cum corona. Lares numerum non excedunt 1270, in quibus animæ 6203. Erant sæculo XVI. lares 469. incolæ circa ejusdem exitum 2652. Anno MDCLII. foci 967. opidani computabantur 3731. & decurrentis initio 5002. Auctum videlicet triplo circa plus opidum diebus hisce videmus, quod

quod agrum habeat culturę aptiſſimum, vineis, oletis, aliiſque domeſticis arboribus ubique conſitum, nec Cereri ingratum. Signum Peditum Siculorum, nec non Equitum vexillum Saccenſis Pręfecturę aſſervari in *Buſachino* dudum conſuevit; cives vero in equis XI. procedebant, pede L. Situs quo ad cœli dimenſiones eſt longitudinis grad: XXXVI. LV. latitudinis XXXVII. XLV. Memorantur Municipes illuſtres Coſmas de Clara, a Jeſu Maria dictus, Scolarum Piarum Clericus, moribus, doctrina, & prudentia illuſtriſſimus, qui poſt varias in ordine pręfecturas ad ſupremam evectus, optime de eo meruit, nam pene intermortuum Clementis Rom: Pont: decreto MDCLXIX. reſtituit, reparavit, & auxit. Principibus viris acceptus, atque ob vitæ merita variis a Deo beneficiis cumulatus, Panormi ejuſdem ſęculi LXXXVIII. pie obdormiit, nomenque immortale apud ſuos reliquit. Petrus Fontanetta ſanguine ingenuus, Juris utriuſque, ac Theologię laurea inſignitus, Sacrę eloquentię cultor præcipuus, & morum ſcientia apprime imbutus, Abbas S. Andreæ. & S. Mariæ de Burgitabus Prior effulſit. Multa edidit, & longe plura mſta reliquit. Proſper Pacificus Ordinis SS. Trin: Redemptionis Captivorum doctrina ſacra, humanis literis claruit, a pietatis ſtudius maxime commendatus. De his cum laude agit Mongitore.

BUSAMARUS Mons inter Græcorum Caſale vulgo *Planam*, & Corilionem ſurgit, & celebri Capilleris nemori imminet. Ibi olim non ignobile opidum *Calata Buſamar*, cujus extant ingentes ruinæ, ortum a Sarracenis repetens ſuum, ſtetiſſe omnibus exploratum. Mons porro ea forma ſubrigitur, uti a longe ſpectantibus ex diverſis cœli regionibus, veluti mœnibus præcinctum in ſupercilio videatur, urbiſque munimen-

tum insigne exhibet. An circa hunc montem Magella vetus insulæ oppidum steterit, alibi ad examen revoco. Vestiunt extremas *Busamari* radices Capilleris & Ficus nemora, reliquę montis partes alicubi sativę & pascuis divites; sed cautes asperæ, ascensu arduæ superbas occupant.

BUTRAIDUM Casale juris olim Manfredi Colare militis sub Friderico II.

BUVARIUM Casale sub ditione *Joannis Aragonii* Sancii filii, ex censu Friderici II. Illud Joannes jure uxoris *Joannæ de Osculo* Simeonæ de Osculo progenitę tenebat, cum Casali de Monachis prope Panormum.

BUYHUTUS Fons apud Thermas aquas emittens cutaneis morbis præsertim salubberrimas. Ejusdē nominis in Agro Panormitano Bayharia sub Boniordano colle, seu Maris portella, duo sunt, nec dissimilis naturæ, & indolis, quorum unus, teste Invegio, ante solis ortum oleaginosis abundat aquis; alter sulphureis; Salutares expertus est Jacobus Adria Medicus peritissimus, qui utriusque periculum variis in morbis cum ęgrorum levamine fecit.



CA



ABALA Vetus opidum ignoti situs. Memoratur Diodoro lib: 15. bellum inter Dionysium & Carthaginienses describenti, simul cum Chronio, qui mons est hodie, a S. Calogero prope Saccam appellatus; confirma hinc fuisse *Cabalam* Chronio conjecto.

CABISCUDIA Casale ad *Nicolaum Abbatem* inter Siculos nobilissimum olim in Erycino agro spectans, cui filius *Riccardus* successit, a Martino Rege hostis declaratus. *Guillelmus Boschus* hinc tenuit; subinde Ruvoli Barchinonenses; Mox Provensani, Caraffæ, tandemque jure *Anne Caraffe Marcellus Fisicaro, Caraffa, & Provensano*.

CABUCA, *Zabut* Sarracenis, hodie *Sabuca*.

CACCABUS Opidum dives, & copiosum, post Thermas Himerenses ad occiduas Euraci montis radices, a septentrionali littore pass: M. IV. dissitum; Polaris altitudinis grad: XXXVIII. Longitudinis XXXVII. XXX. circiter; novissimis Græcis Siciliam tenentibus *Caccamum*, Sarracenorum ævo *Karches*, quo nomine in Northmanorum Regum diplomatibus venit; *Caccabe* aliter & vulgi Siculi voce *Caccamus* dicitur. Quod vetus *Carthago Sicula* fuerit, cujus meminit Stephanus, Invegius annuit, & antiquissimam idcirco urbem adstruit, ab Amilcare Pœnorum Duce conditam, de qua alibi dicam. Subest hodie Galatis Principi, Aftis, seu *Caccabi* Duci ex nobili *Amata* gente, qui Magistratus in ea constituit annuos, Jure gladii potitur, & in Comitiis votum profert XV. Paret in rebus Ecclesiasticis Archiepiscopo Panormitano; quo ad sacra Archipresbytero

tero in majori Ecclesia sedem habenti; Thermensi clauditur Comarchia, & *Præfectura*, peditesque LXXV. equites XIV. ministrabat. Opidi insigne hodie caput Equinum cum Triscelo, seu Siciliæ symbolo, olim vero Ahenum erat, vas scilicet æneum tripodi impositum, quod Græcis ΚΑΚΑΒΗ dicitur; unde nomen profluit. Quamvis non desint, qui a Perdicis avis notissime cantu ethymum deducant.

Jam facies opidi hæc est: Sedet totum in rupe ad austrum, & orientem, cujus pars superior equinum referens caput, circa occasum inaccessibilis, & ardua, arcem substinet mœnibus, & turribus munitam, quas inter suprema omnimodam præferens vetustatem Pœnorum opus Invegio creditur. Ampla intra eamdem area extenditur, ubi Ecclesia Deiparæ sine labe conceptæ dicata; Aulæ hinc laxiores ad dynastas commode excipiendos, equilia, horrea, cisternæ, custodiæ demum pro noxiis servandis haud desiderantur. Aditus ad eam patens in aquilonem angustus, qui *Terræ Veteris* incolas admittit. Est *Terra Vetus* pars ea opidi circa arcem, mœnibus conclusa, ac portas habens IV. Princeps ibi templum in ortum antiquissimæ fundationis, S. Georgii Mart: titulo, quod elapsi sæculi initio publico ære magnificentius instauratum, B. Virginis de *Gratia* elegans e marmore simulacrum in sacello servat, præcipuo cultu habitum. Terræ adjungitur veteri *Rabbatum*, sive Suburbium, hodie pars altera, quæ a S. Bartholomæo ob ejus Ecclesiam appellata, Fratrum Minorum claustrum complectitur, sub S. Margaritæ nomine sæculi XV. anno VII. Nicolai de de Frades opera fundatum; Domum Hospitalem S. Spiritus cum Monte Pietatis, & Alborum Sodalitio. Olim ibi S. Claræ Monasterium, quod jacet. *Terra nova* inferior,

ferior, III. opidi regio, *Brancita* etiam dicta, Templum Deiparæ Annunciatæ præ aliis divorum ędibus elegans ostendit, ubi sacra populis administrantur; nec non Benedictinorum Monialium conclave S. Mariæ de Mensa titulo, quod e suburbano agro translatum insigniter effulget, adnexumque ordinis S. Dominici Cœnobium in S. Mariæ de Concordia Ecclesia olim erectum, habet. Insigni prętereà Fratrum Prędicatorum S. Mariæ de Angelis Monasterio, quod B. Joannes Liccius anno MDLXXXVI. fundavit, suoque ii colatu nobilius reddidit; ac puellarum parthenone non angusto ornatur. Pars denique Opidi IV. in editiori loco *Curcuracii* & Terræ novæ superioris nomine distincta, SS. Michaelis & Blasii præcipuis ædibus decoratur. Minores aliæ in singulis regionibus decentes non desunt Ecclesiæ, uti & privatæ Civium ædes satis concinnæ & decoræ. Extra pomœrium S. Nicasii Mart: e Thebeorum Legione præcipuæ venerationis est templum, cui haud procul S. Catharinæ Carmelitarum asceterium ab anno MDLXXIV. conditum hęrebat, quod hodie collapsũ. Minoritarum Capuccinorum in amœnissimo tumulo extra quoque MDLXXXIX. erectus visitur Conventus; & in agro de Scala demum S. Mariæ de Auxilio Eremitarum S. Augustini, Reformationis Centurupinę, MDLXVIII. originem recognoscens, olim domus stabat, quę juxta mœnia hodie Siculæ provinciæ non ultima splendet.

Descriptæ IV. Opidi partes pass: M. circiter tribus clauduntur, laresque 1159. continent, cives ex novissima recensione 5772. Ex his multo plures descriptos legimus; in Censu enim Caroli Cæsaris lares quidem 1406. incolæ autem 7289. anno MDXCV. sunt numerati; sequenti sęculo lares 2191. incolę 8324. Invegius denique sub Philiberto de Sabaudia focos 2524. animas 1000. suisse

fuisse computatas affirmat.

Amplissimus est *Caccabi* ager. Euracum quippe montem & Canis collem, de quibus suo loco, comprehendens ad X. circiter pass: M. sese extendit; S. Nicolai de Nemore, & S. Mariæ de Nova Benedictini Ordinis Prioratus complectitur, quorum historiam alibi in Monasticis Notitiis expendi; duo supra decem claudebat Casalia, quę ex nomine Invegius recensuit; sed ex his nullum hodie, nisi Feudi nomine perseverat. Fœcunditate agrorum, vini, & frumenti abundantia paucis est comparandus. Hinc Jacobus Adria *Caccabus*, inquit, *ingens est opidum in colle sedens, opibus repletum, vino maxime abundans, nilque ad vitæ necessitatem illi deest*. Fons prę menibus sub turri de *Picicarone* appellata, affluentissimus, nedum civium commodis inservit, sed & proximum opidi solum irriguum reddens, olera, fructus, aliasque delicias suppeditat. Fluenti vero aquæ per incilia varie per terras derivantur, ubertatemque illarum a natura acceptam ditissime augent. Pons celeber ejusdem fluenti ripas sub opido conjungit, quem Manfredus de Claromonte hujus nominis I. Deiparę Virgini dicatum anno MCCCVII. jussit, uti inscriptio adhuc declarat.

Subdebatur olim Episcopi Agrigentini Paræciæ; ac sexta ex Præbendis Canonicorum ejusdem Ecclesię *Caccabus* & Biucatū habebantur. Guillelmus vero Rex *Terenis* MCCLX. frumenti *Sal:* CCLXXVIII. ac ordei CLVIII. ex *Dogana* juribus Agrigenti, Episcopo illi designatis, *Karchem*, *Caccabum*, quo ad spiritualia jura Archiepiscopo Panormitano subjectū voluit, quod hic Corilionem Monregalensi Ecclesiæ attribuisset. Ante Guillelmum porro MCIV. *Goffredus Segejus & Adelasia* ejus uxor *Caccabi* domini creduntur ab Aug: Invegio

Post

Post quos *Matthæus Bonellus* MCX. obtinuit. Guillelmus subinde Rex *Joanni Lavardino* Gallo concessit, qui subditos sibi populos male habens, dominio spoliatur & Sicilia pellitur. Anno MCCIII. *Paulus Cicala Caccabi* Dominus dicitur; Fuit Coniliani etiam Comes, & Regni Comestabulus; quo sine hæredibus decedente, Fridericus Cæsar, ac hujus nominis primus Siciliæ Rex Panormitanæ Ecclesiæ opidum concessit anno MCCXV. possidendũque Bernarbo de Castago Archiepiscopo dedit. Unde sub Gallis ad *Fulconem de Podio Riccardi* Caroli Andegavensis in Sicilia Vicarium devenit, circa MCCLX. Hujus filius *Perricius Sanciam* genuit, *Galasso Estendardo* nuptam, qui jure idcirco uxoris *Caccabi*, & Galliani etiam evasit Dynasta, perstititque ad Gallorum usque ex insula expulsionem. Tunc *Caccabus* præ aliis in eosdem Gallos desævit, uti historiæ produnt. Primis autẽ Aragonensium temporibus, *Friderico Præfolio Caccabum* cessisse invenio, quem *Marchisia* filia excepit, *Friderici de Claromonte* uxor, hanc vero *Manfredus* primo loco genitus Motycæ Comes, Ragusæ Dominus. Varie per id tempus *Caccabus* Gallorum incursionibus patuit; anno præsertim MCCCII. quo durissima obsidione diu pressus, hostes nihilominus mœnium firmitate elusos ab inceptis desistere coegit. *Claromontanorum* hic seriem Invegius in sua *Caccabi* Historia prosequens, *Joannem* memorat *Manfredi* & Isabellæ Muscæ filium, & *Manfredum* II. Joanne Seniore natum, qui Claromontis, sive *Caccabi* Comes Friderici II. privilegio est dictus. Offendit enim *Joannes* junior Regis animum, uti in Historiis, exciditque bonis; *Manfredus* hinc *Caccabo* donatur, ea lege, ut veteri nomine deleto, *Clarus Mons* deinceps opidum diceretur. Ex *Manfredo*, & Matthia Aragona *Simon* pro-

prodiit, *Venetiæ Paliciæ* copulatus. Improles hic obiit MCCCXVI. & Regis hostis, ejusque loco *Fridericus* Infans *Claromontis*, seu *Caccabi* Comes evasit; Qui regni potens, quinquennio post, *Joannem* III. Henrici Claromontis filium, Joannis senioris nepotem *Caccabi* Comitatu exornavit, Catanæ Maio incunte. Ex eo & Isabella Vigintimilia Constantia primogenita *Caccabum* non assequitur; quem *Manfredo* III. Joannis ex damnato thoro, uti conjectat Invegius, filio Fridericus idem attribuit. Manfredi hujus, Siciliæ Talassiarchæ egregia gesta Annales suse recensent; ex quo & Euphemia Vigintimillia *Andreas*, satis etiam in iisdem Annalibus illustris. Post ejus casum Martinus Rex *Gueraldum Queralto* Catalaunum sibi a Cubiculo, *Caccabi* Comitem constituit. Contra hunc *Caccabenses* arma sumentes, præsidiarios Arcis milites obsidione premere non dubitarunt. Sed rebus compositis, veniam opidani ab Rege impetrarunt, moxque a Gerardi dominio exempti, primo de *Corona Regia*, & *De navis* designantur, opidumque nullo deinceps tempore alienari, aut Baronibus concedi posse, impetrant ex literis Catanæ die XIX. Martii MCCCXCVI. Tunc Antonius Paulillus *Caccabi* Præfectus Regis nomine constituitur. Id vero minime servatum: mensibus enim novem vix elapsis, *Jacobus de Prades* Regii sanguinis, & Siciliæ Talassiarcha *Caccabi* Comes fuit dictus; Henrici namque Claromontis astu rursus *Caccabenses* decepti, contumaces arma in Regis perniciem resumpsere; Jacobo hinc commissa provincia est illos subigendi, quod naviter perstitit, longa licet fuerit obsidio ob loci firmitatem, qua freti cives diu restiterunt. Sed ab hac etiam noxa *Caccabus* absolutus, in Syracusanis Comitiis inter Procerum dynastias nihilominus descriptus, *Nolo Mon-*

Moncada, mox *Jacobo Prades* attribuitur. Hic Minoritanum Cœnobium prope S. Margaritæ Ecclesiam fundavit MCCCCVII. deceſſitque honorum plenus, relicta ex secunda uxore Eleonora Vigintimillia *Violanta* pupillaris ætatis, quæ *Joanni Bernardo Cabreræ* Motycæ Comiti conjux data, *Caccabum*, Calatafimim, & Alcamum marito detulit. De Cabreris & Henriquetiis, qui *Caccabum* subinde tenuerunt, alibi fuſius de Motyca agens, verba feci. *Joannes Alphonſus* ex Henriquetiis V. *Philippo Amato* vendidit unciis XLVIII. millibus ab eo acceptis. Ex Philippo *Antonius*, unde *Andreas* cujus filius *Philippus Antonius* hodie vivit. De his quũ de Galati, rurſus, & fuſius dicam.

De Viris Caccabentibus celebrioribus agit Invegius lib: 3. cap. 5. ubi primo loco memorat S. Theoctiſtum Abbatem ex Greco Menologio, Caetano, & Ferrerio. *In Sicilia in Monaſterio Cucumi S. Theoctiſti Abbatis*. Floruit Chriſti anno DCCCXXX. & S. Baſilii ordinem illuſtravit, vixitque forte in S. Nicolai de Nemore Monaſterio, quod extra Caccabum in agro ejuſdem nominis extabat olim, ac sub Northmannis vigebat. Quod autem *Cucumi* vocabulo *Caccabus* venit, idem Invegius multis oſtendit. Jam secundus exornat seriem B. Joannes Liccius ordinis Prædicatorum, cujus feſtum Romani Pontificis decreto paucis ab hinc Eccleſia Sicula cum officio, uti dicunt, celebrat. Cœnobium S. Mariæ Angelorum in patria ædificavit, & alia in aliis locis inſtaurata reformavit, ac sanctiſſimis vitæ exemplis illuſtriora reddidit. Miris a Deo prodigiis illuſtratus, *Caccabi* in Domino quievit, ubi ejuſdem exuviæ coluntur. Floruit Sęculo XV. Antonius Blaſius Panormitanæ Eccleſiæ Canonicus, S. Anaſtaſiæ de Caſtello bono Abbas, moribus præditus incorruptis, &

ingenii felicitate clarus; post datam literis operam in Academia Salernitana, Panormi Ferrantis Gonsagæ Proregis filios instituendos accepit, eumdemque Principem extra Siciliam secutus, illi ad complures annos adhæsit. Multa publici juris fecit doctrinę suę monumenta, quę Mongitorius enumerat; In patriam redux, ibi sanctis operibus intentus, oblatas non semel sacras infulas præ humilitate respuens, mortem lętus aspexit sexagenario major MDLXXII. Philippus Phasius Antonii Nepos, Francisci Cardinalis Rebibbæ familiaris, Grignani in Neapolitano Regno Episcopus designatus, morte pręventus dignitatem minime est assecutus. Bartholomæus Amico Sacerdos, cujus gesta laudatus Invegius fuse recenset, virtutibus eximiis, scientia non vulgari floruit. Romæ S. Aloysii Gonsagæ, in studiis, & S. Philippi Nerii, cui conscientię suę secreta commisit, exemplis & monitis institutus, *Caccabum* reversus civium moribus reformandis ad senectam usque egregie insudavit. Octogenarius sancte decessit MDCXXIV. nobili sepulchrali epigrapha pro meritis honoratus. Andreas Sottile, cujus extat epitaphium in Panormitani Clericorum Seminarii Ecclesia; illius enim ministerio supra annos L. perfunctus, piæ disciplinæ author fuit, & Idea; ubi puritatis angelicæ, pastoralis sollicitudinis, demissionis, tolerantiæ, cœterarumque virtutum supra MCC. testes habuit, quorum adolescentiam ad omnem pietatem verbis informavit, & factis. Vitam Panormi mutavit potius, quam amisit MDCXLVI. Felix Henriquez de Cabrera, Anna in sæculo vocata in Caccabensi Monialium conclavi professione emissa, contemplationi apprime dedita, summaque in divinam Eucharistiam & Deiparam Virginem veneratione affecta, à qua visibiliter apparente ab diro apostemate sanata

fuit,

fuit, meritis, & virtutibus eroicis plena, florenti ętate, jam cœlo matura in Domino obdormiit MDCXV. in vita, & post mortem a Deo prodigiis honorata. Fulgentius ex Ordine Eremitarum S. Augustini Centurupinę Reformationis, cui pręfuit Generalis Vicarius, Andreę Guatto vitam scripsit. Georgius Vaccarinus SS. Celsi & Juliani Romæ Canonico collegio adscriptus, a gravioribus disciplinis Mongitorio commendatur. Hyacinthus Ciacius Oratorii Panormitani Sacerdos doctrina, & eruditione clarus eidem Mongitorio memoratus. Jordanus Phasius a S. Vincentio dictus, ex Augustinianis reformatis Theologus & Dei præco eximius, de quo in Appendice Mongitore.

CALAMIGNA. Vide *Vigintimillia*.

CALAMONACUM Casale cum in censu Friderici Regis sub *Bernardo Invegio*, tum in illo Martini de anno MCCCCVIII. juris *Joannis Invegli* etiam memoratum. Est hodie opidulum in Agrigentina Diœcesi & Saccensi Comarchia, cujus ędes parochialis S. Vincentio sacra cũ Archipresbytero; qui animarum gerit curam, duasque alias regit Ecclesias. Ibi dudum Carmelitæ, qui recessere. Origo, sive instauratio sæculi XVII. initia non excedit; Casale enim ad plures annos interierat. Cohonestatur hodie laribus 226. incolisque 989. at sęculi hujus an: XIII. erant cives 614. An. MDCLII. lares 136. animæ 669. Ex Pirro tamen, qui eodem scripsit ęvo, longe minor adnotatur numerus. *Calamonici* ager frugum ferax, Calatabellotensi confinis, Isburi amnis aquis fœcundatur, & quos aperit fontes in eumdem demittit; Vineis quoque, oleis, & multa arbore consitus colonis commoda ad vitam subministrat; pascuis demum lætus rem pecuariam auget. Obtinuit primus a Rege Jacobo *Berengarius Villaraut* Calatabellottæ Comes,

quo

quo e Sicilia abeunte, Friderici II. beneficio ad *Berengarium de Spucches* devenit. Hujus filiam *Antoniam* uxorem duxit *Bernardus Invegius* nobilis Saccensis, unde *Periconius*, ex quo *Amatus* Regi Martino apprime carus. Amatum excepere *Joannes*, & *Guillelmus*, qui jure Matris Serenæ Peribaydam sunt assecuti. Extinctis Joannis hæredibus, *Margarita* Guillelmi filia Calamonaci & Peribaydę Domina evasit, ex qua, & *Joanne Ferrerio de Marinis* conjuge *Melchior*. Huic superfuit *Joannella*, *Petro de Sabic* desponsata, quo mortuo, nupsit illa circa MDX. *Bernardino de Thermis*, unde *Antonius* prodiit; Ex eo *Bernardinus* II. Zenobiæ Bononiæ copulatus; huic *Vincentius Maria* primus Castelli Thermarum Princeps MDCXXX. & primus quoque *Calamonici* author, circa ejusdem sæculi initia. Per id porro tempus *Franciscus* Montis Aperti Marchio, *Calamonici* Dynasta evasit, jure conjugis Melchiorę de Spuches. Crevit illis filius *Nicolaus Josephus* Raffadalis Princeps; cujus ad hanc nostram ætatem decessores dabimus infra, de Raffadali loquentes.

CALAPORRUS Statio in sinu Castelli ad Mare inter S. Cathaldi turrim, & Caput Ramum. Sarracenicum est vocabulum. Arabis enim *Kala*, statio est Latinis, uti Abela & Franciscus Agius docent. Siculis hinc *Cala* etiam dicitur littus, quò parvæ appellunt naves.

CALATA Casale, quod anno MCCXVIII. Ecclesiæ Agrigentinæ Bartholomæus Panormi, & Agrigenti Canonico adscriptus Collegio dedit, ex Pirro.

CALATABELLOTTA Opidum satis celebre, & copiosum in Agrigentina Ecclesiastica provincia, Saracenici quidem nominis; nam *Kalgha*, uti alibi dictum, Erectus Locus, Alta Rupes, ubi arx condita, redditur

ditur latine; *Bellut* vero est *Quercus*, quod & Bochartus edocet. Sarracenis idcirco insulam tenentibus, collis, ubi Opidum, & Arx sedebat, quercubus abundabat. Sed ex Triocalę urbis vetustissimæ ruinis surrexit, de qua alibi. Adria in Topographia: *Eminens locus est; duo magnifica castra tenet, quæ hodie ruinosa: unum in cacumine montis, alterum in medio. In alto cacumine opidum sedet, supra molares lapides. Ibi Capitis S. Annæ pars colitur.* Montis vertex maris prospectu jucundissimus est, ortumque, & austrum respicit, cui Arx cum Dynastę palatio in meditullio insidet. Non longe princeps Ecclesia B. Mariæ Virgini in cœlum Assumptę sacra sub Archipresbyteri ministerio surgit, cujus sunt opidi primitiæ; altera parœcialis S. Laurentii titulo, sed ex Pirro S. Michaelis, ab anno MDCXXX. instituta majori suffragatur. Ibi olim Societatis Jesu alumni degebant, sed ob proventus angustias MDCVIII. recessere. Carmelitę fratres in S. Benedicti ad D. pass: ab opido, B. Alberto in vivis agente, sedem statuerunt, sed circa annum MCCXXV. intra pomœrium prope S. Mariæ de Gratia, cujus est signum e marmore celeberrimum, subinde commigrarunt. S. Augustini cœnobium Deiparæ Annunciatæ titulum referens, ante annum MCCCXXXV. extabat, uti antiquissimum ejusdem Virginis de *Succursu* simulacrum, Pirro memoratum videtur evincere. Ad pass: M. circa montis angulum meridionalem, ubi teste eodem Pirro, B. Marię de monte Virgineo ædes est, & Triocalę rudera, cellarum Monasticarum adhuc vestigia visuntur, ipsaque Ecclesia *tribunam* habet pervetustam, quæ facile Eremitarum S. Augustini ibi stetisse domum evincunt, uti Attardus affirmat. Minoribus Capuccicis ab anno MDCXIV. decens domicilium extra, amoeno in loco piorum civium

elee-

eleemosynis constructum ad ortum videtur; ac Sacris denique Virginibus addictum conclave Benedictina sub regula, prope S. Antonii hodie consurgit, quod ad S. Mariæ Vallis viridis dudum coaluerat. Inter eversam Triocalam, & recens opidum ad montis latus australe antrū est ingens, & antiqua S. Peregrino dicata Ecclesia. Ibi innocentem egisse aliquando vitam, & compluribus claruisse prodigiis Sanctum Episcopum traditio refert, & vitæ acta docent. Civem hinc, sed ex vulgi opinione, & Patronum incolæ specialem eumdem venerantur, & locum cultui habent; nec desunt, qui primum Triocalę Episcopum a divo Petro designatum dicunt. Ad tertium lapidem celeber Divi Georgii, duplici columnarum ordine, sacra domus a Triocala appellata occurrit, quam Comes Rogerius ob partam ibi contra Sarracenos insignem victoriam patrono suo ac tutelari fundavit, Monachorum Ordinis S. Basilii cœnobio adjecto, ac pingui dote attributa. Subest nunc Prioratus titulo Messanensi Archimandritæ, in ejus vero agro Villafranca opidum sedet.

Pertinet *Calatabellotta* ad comarchiam, & militarem Saccę Pręfecturam, educebatque equites VII. pedites L. Comitatus insignibus ab anno MCCCCXXXV. decorata suis Dynastis locum in Regni comitiis V. conciliat. Sæculo XVI. laribus ex Sancetta 871. sed juxta Fazellum 1096. incolisque 4056. constabat. Sequenti lares 1160. incolę 3904. illi erant ex Pirro, sed in Regiis libris lares 934. cives 3380. adnotantur. Anno MDCCXIII. foci 860. incolæ. 3556. novissime 4091. Opidi civilem Magistratum Comes designat, Ecclesiasticum Agrigentinus Episcopus. Est illius longitudo grad: XXXVI. XL. Latitudo vero grad: XXXVII. XXXVII. Ager latissime extensus variis hodie Dynastis subditur; est au-

tem

tem frumenti, ac omnis generis frugum, leguminumque feracissimus; vini, olei, casei dives; aliisque terræ fructibus, oleribus, & pascuis refertus; nec melle indigus, nec lino, & canabe caret. Fluvio namque ex *Favara* uberrimo, & maximo fonte, ad orientales collis radices emergente, aliisque aquis abunde irrigatur. Saltus denique, & nemora claudit, ac venationes copiosas, jucundasque suppeditat.

Municipes aluit *Calatabellotta* illustres: Sebastianum Ordinis Carmelitarum pietate, & prudentia insignem, de quo Pirrus. Egit Mazarensis Episcopi Generalem Vicarium, ac Leocatæ obiit MDCV. Raymundum Tomini Augustiniensem Eremitam, morum probitate, omnique sacra, & profana eruditione præditum. Pluribus habuit jejunii tempore summo cum fructu conciones, decessitque in patria MDCXLVII. Antonium Scoma S. Catharinæ de Linguagrossa Abbatem Panormitanæ Ecclesiæ Canonicum, Judicem, & Synodalem Examinatorem, uti aiunt. Fuit Josephi Præsidis frater, lucemque amisit MDCCXXXII. senex. Josephum denique Scomam M.R.C. Præsidem. Hunc Mongitore in Jure utroque eximium, cumulatissima doctrina, & eruditione instructum commendat. Post omnes in foro gradus emensos, supremum fastigium, Præsidis nempe M.R.C. dignitatem, Josephus pro vitæ meritis assecutus, Regiis Caroli II. literis meruit laudari; prudentia enim in rebus agendis, atque summa in ferendis judiciis integritate claruit, ac Musis etiam acceptus fuit. Devixit Panormi MDCXCVI. relictis præclarissimi ingenii monumentis apud eumdem Mongitore in Bibliotheca enumeratis.

Comitum series hæc est. Sub Northmannis, Regii sanguinis Principibus, aut primis exercitus cessisse

Calatabellittam pronum est opinari, ob illius præstantiam, & agri amplitudinem, ultimisque Suevorum temporibus *Conrado de Antiochia* Regio enim consanguineo opidum addictum evulgant. Boccacius in Decamerone Die x. Not: 6. Petrum Aragonium, & Constantiam ejus uxorem *Pericono* nobili juveni, sed cui res angusta domi erat, *Calatabellottam*, Cephalę itemque donasse perhibet, una cum uxore Elisa ingenua Virgine Florentina eisdem Petro, & Constantiæ acceptissima. Rursus Constantiam anno MCCCLXXXVI. *Fridericum de Campo* hac dynastia cum Bivona cohonestasse invenio. *Fridericum* nihilominus de *Antiochia* Conradi hæredem, primis Aragonensium annis, *Calatabellottam*, Burgettum, Militrettam, Capitium, Calatubum, Castellum ad Mare de *Golfo*, aliasque dynastias tenuisse nostri Siculi Historici produnt. In Friderici II. censu *Consalvus de Oleo pro terragiis Calatabellotta* uncias xxx. pendebat. Ex Petri II. diplomate demum Catanæ MCCCXXXVI. exarato constat. *Friderici de Antiochia*, qui ab officio recedens Gallis adhæserat, opida, ac bona *Calatabellottam* &c. *Raymundo de Peralta* Regni Aragonum Talatharchæ, Regio consanguineo sub Comitatus titulo fuisse attributa. Ex *Raymundo* *Guillelmus*, qui juxta Catanam ab hostibus MCCCLXVII. occisus perit. Illi Aloysia Sclafani Domina *Guillelmum* II. pepererat, vulgo *Guillelmonum*. Data est huic uxor Eleonora Infantis Joannis Randatii Ducis filia cum dote Caltanixectæ, Calatafimis, Comitissæ, Julianæ, Comichii, Alcami, Sabucæ, Calatanauri, & Adragnæ; adeoque ex primis Siciliæ Comarchis evasit. Nati sunt ex *Eleonora* & *Guillelmo* *Nicolaus* & Joannes; ille Constantiam Claromontanam uxorem duxit cum Bivonæ dote. Joannes ex N.N. filium Nicolaum ha-

habuit. Ex *Nicolao* Seniore, qui Martino Rege in-sensus Calataniae ecte fato est interpellatus, *Joanna*, ac *Margarita* prodiere; & Prima Eleonorae Infantissae aviae, & Martini opera, Artali de Luna ex Regio genere tradita est; Joanne avunculo invito, qui illam Nicolao Juniori filio destinaverat. Uerum antequam connubii jura usurpassent *Joanna* infans decessit, cujus sororem *Margaritam* Rom: Pontifice indulgente Artalis sibi adjunxit. Ex secundo ejus thoro *Antonius de Luna & Peralta* ortus, N. Antonii Cardonae filiam conjugem accepit: unde *Carolus*, *Eleonora*, & Sigismundus. Fallitur Pirrus Antonium Cardonam Calatabellottae Comitem circa haec tempora evulgans in Chronologia, ejus enim gener *de Luna* opido truebatur. Jam *Carolus* ex Julia Alliata liberis minime susceptis mortem oppetiit, cujus loco *Eleonora soror*, Antonii Alliatę uxor, Comitatus MCCCCXCVII. assecuta, maritum in possessionem induxit. Uerum *Joannes Vincentius*, uti Sigismundi de Luna, Antonii tertio loco geniti filius, praeferri postulavit, & in judicio obtinuit. Hic Messanae Strategus, Regni Preses, Bisonenses a se deficientes ferro domuit, atque internicione mulctavit. Cum Diana Moncada *Sigismundum* II. procreavit, casus Saccensis authorem, qui cum Aloysia Salviati & Medici Leonis X. Pon: Max: nepte Petro, Juliano, & Jacobo filiis susceptis, insula excorris, infelici morte occubuit.

Petrus Caroli Caesaris beneficio bonis paternis donatus, primus Bivonę Dux claruit, duasque habuit uxores: Isabellam de Vega, Joannis Siciliae Proregis filiam; unde *Aloysia*, Blanca, & Eleonora, quarum superstes sola *Aloysia* fuit; Secundam vero Angelicam la Cerda Joanne Methymnaę Coeli Duce Prorege

etiam prognatam, quæ illi *Joannem de Luna* peperit. Hic Belledama Septima ex Giaratanæ Marchionibus illius nimia pulchritudine illectus, in conjugem ducta, improles vita excessit. Soror hinc *Aloysia* Luna, & Vega Cæsari Moncadę Paternionis Principi nupta, Bivonæ Dux, *Calatabellottæ*, aliorumque opidorum domina evasit. Cæsar filium *Franciscum* cum Aloysia genitum hęredem reliquit, & ante uxorem mundo exemptus interiit. *Aloysia* hinc cum Antonio Aragona Montis Alti Duce ad secundas convolavit nuptias, utque *Francisco* filio Maria Aragona, Antonii conjugis ex prima uxore unica proles, sacris vinculis conjungeretur, effecit. *Franciscus* ideo Montis Alti & Bivonæ Dux, *Calatabellottæ*, Calataniʃectæ Comes claruit. Ex eo & Maria *Antonius* & Cæsar. Ex *Antonio* & Joanna la Cerda *Aloysius Guilielmus*, qui cum Catharina Moncada de Castro *Ferdinandum* genuit ex Montecatinis postremum; virilis enim prolis expers, *Catharinam* ex Maria Teresia Faxardo susceptam *Josepho Toledo* Ferrandinæ Duci nuptui tradidit, hęredemque amplissimarum ditionum moriens reliquit. His Aloysius Guillelmus Moncada, Cæsaris nepos, & hæres, S. Joannis Dux litem intendit, quę diu sub judice, dirempta tandē nostro hoc sęculo fuit; Cessitque Catharinæ *Calatabellotta* cum aliis; Paternionis, vero Calataniʃectæ, Riberæ, & Melilliis dynastias sibi Aloysius vindicavit cum adnexis, de quibus omnibus suis locis reddam. *Catharinæ* filius *Fridericus*, unde *Antonius Alvarez de Toledo* Calatabellottę hodie Comes.

CALATABELLOTTÆ Fluvius. Vide *Isburus*.

CALATABUTURUM Opidum. Vide *Calatavulturum*.

CALATAFIMIS Opidum haud exiguum, *Cala-*

tafimum

tafium Saracenis ex Pirro, ab Longarici vetustæ urbis ruinis juxta nonnullos originem habens, circa occiduam Siciliæ plagam, ab Eryce monte in mediterraneis XVIII. ab antiquæ Segestæ ruderibus III. pass: M. nec a Salemi longe dissitum, ad cujus spectat Comarchiam; Diœcesis denique Mazarensis pars, Motycæ Comitis fasces recognoscit, qui uti Calatafimis Baro locum in Comitiis occupat XL. An fuerit *Locus ad Olivam* in Antonini Itinere memoratus, alibi videndum. Opidi situs est in collis latere, ab hyberno occasu longe ad ortum procurrens, & in meridiem pronus. Veteris arcis supercilio impositæ, ad occasum, magna ex parte integra perseverat moles, dudum Dynastæ palatio illustris; circa hanc *Terra vetus*, olim mœnibus vallata, uti ex reliquiis, portisque adhuc extantibus dignoscitur; elatoque in tumulo Princeps Templum S. Silvestro sacrum sedet, sub Archipresbytero, antiquum quidem, nec non inelegantis structuræ. Succedit paullo infra ad lævam in regione, quam de Hospitali appellant, SS. Crucifixi nova magnifica Ecclesia; nam hunc Opidani Tutelarem habent præcipuum. In subjecta ora Suburbium cum S. Jacobi Apostoli, & S. Francisci Minorum Conventualium Cœnobio Jacobi Guli civis opibus ab anno MDXLIII. condito; a qua sacra æde ampla via in ortum, totum diffindit opidum. In ea forum venale occurrit primum, cui in elatiori loco, & regione de *Sicciaris* Carmelitarum Deiparæ Annunciatæ titulo antiquissimum insidet Monasterium; anno quippe MCCCCXXXX. fundatum dicunt Ordinis Annales apud Lezanam. Forum mox alterum, seu ampla area se offert S. Michaelis nomine, ab Asceterio Minoritarum Tertii Ordinis dicta, quam ambiunt Pretoria ædes, Monialium Benedictini

dictimi instituti S. Catharinæ Mart: addictum Concla-
ve, congruis proventibus, Salvi de Amore opera cir-
ca MDLXXXIV. auctum, & Tertii Ordinis Claustra ab an-
no MDXCVII. constructa. Infra S. Mariæ Magdalenæ Ec-
clesia cum regione cognomini assurgit, olim S. Au-
gustini Eremitis anno MDLIV. designata; qui post Pirri
ætatem defecere. Hinc S. Juliani, viæ majori adhærens,
Parochia suo cum Rectore sit obvia, decentissima, &
foro venali minori opposita, post quam reliquæ opidi
regiones de *Razza*, de *Porracit*, & de *Petroli* decli-
viter extensæ subsequuntur, & in his S. Isidori, S. Roc-
chi, & S. Viti sacræ mansiones, quarum hæc editiori
loco ad ortum pro spiritualibus exercitationibus, uti
vocant, ædes habet adnexas nuper institutas. Mino-
res Capuccini Salvi de Amore mox laudati divitiis,
ad opidi supernas oras sedem sunt nacti anno MDLX-
XVIII. in tumulo, fluenti alveo intermedio, ubi pons
satis conspicuus subrigitur; nec inde procul ingens
vallum distat, quo aquarum copia, ex collibus proflu-
ens, pluvio tempore, ne sit opidanis exitio, coerce-
tur. Aliæ in reliquis regionibus surgunt Ecclesiæ, Pu-
ellarum, quæ parentibus carent, Divæ Rosaliæ inter
castellum & majorem sacram ædem, quam ex Pirro Jo.
Antonius Brandi Archipresb: anno MDCXXX. dotavit, ubi
hodie Deiparæ coaluit etiam Collegium; S. Antonii,
S. Joannis, & Purgantium Animarum. Memorat Pir-
rus S. Joannis de Castellucio Prioratum Fossæ novæ
Cisterciensi Cœnobio adnexum, qui periit, & super-
sunt ruinæ in Carmelitarum viridario.

Est *Calatafimis* agri bonitate fælix; pingui enim
gramine vestitus ille, gratum adeo armentis pabulum
præbet, ut caseus *Calatafimensis* præ aliis totius regio-
nis celebretur, frumenti quoque, aliorumque legumi-
num

rum insignem copiam subministrat, vitibus, oleis, ac omnis generis fructibus incolas locupletat. Fontes uberrimi circa collis radices subjectos interluunt campos, olera nutriunt, nec desunt in ipso collis latere ad civium usus, perennes latices. Crinissus fluvius per aquilonares illabitur plagas, molasque triticeas agitat xiv. Ingens vetus templum, ad Segestam olim spectans, pene integrum hæc eadem regio in conspectum dat, sex & triginta columnis suffultum, quarum quælibet stupendæ crassitudinis est; diameter enim palmos viii. plus minus continet, sed humo obrutum altitudine longe decedit. Opidi Magistratus Dynastæ arbitrio, ritibus insulæ conformis, annuus designatur; Mazarensis Pontifex Clero moderando suum Vicarium constituit. Foci Fazelli ævo 603. cives in Regiis libris 4342. Sequenti sæculo ex Pirro lares 1271. in publico censu 1359. animæ 5767. Anno MDCCXIII. lares 1552. animæ 6089; novissime 7400. Viri illustres: Beatus Archangelus ex Minoribus de Observantia crebris prodigiis & in vita, & post mortem clarus; jacet in suo ordinis Alcamensi Cœnobio. Paulus de Amore Capuccinus, Salvi de Amore filius, doctrina, & virtutibus eximius ex Pirro. Vitus Sicomes juris professor inter primos ævi sui celebris, ac primis etiam in foro dignitatibus auctus, ex XII. Regni Viris, Regii Ærarii, & M. C. ad annos fere XXIII. summæ integritatis Fisci Patronus, ac Sacræ demum Regiæ Conscientiæ Præses. Senex obiit in S. Citæ templo Panormi tumulatus MDCCXXVI. Vitus Albertus Mustacius Montis Carmeli asceta, Theologus, & Concionator doctissimus; Erycinus ob diutinam in ea civitate commorationem perperam creditus, Sacras scientias ad plures annos docuit, & Dei Verbum in præcipuis Siciliæ urbibus,

ac in Italia disseminavit, magno cum plausu semper auditus. Multas edidit Orationes, floruitque hoc sæculo. Franciscus Aula gravioribus Philosophiæ, & Medicinæ studiis, in quibus excelluit, politiores conjunxit literas, variosque protulit ingenii sui partus, quos in sua Biblioth: Mongitore commendat. Hieronymus Triolus ab eodem Mongitore inter doctissimos Caussarum Patronos jure adscriptus, Prætorii Panormitani Judex effulsit, decessitque circa MDCLXXXIV. Ejus extat Responsum pro Magno Castellæ Talassiarcha Motycę Comite.

Primum *Calatafimis* Dominum *Nicolaum de Auro* Januensem invenio; quod autem aliis ante Friderici II. tempora fuerit opidum mancipatum, uti affirmare non ausim, nec abnuere possum. *Guillelmo* filio idem Fridericus subinde attribuit, a cujus morte absque prole, *Joannes* Infans illius frater obtinuit. Ex eo & Cæsarea Lancea *Eleonora Infantissa Calatafimis* dominio potitur, quæ Guillelmo Peralta nupsit. Circa hęc tempora *Calatafimenses*, ut patrium opidum inter *Demaniales*, seu Regias Civitates adscriberetur, postularunt, expensisque partium rationibus, in judicio obtinuerunt. Martinus nihilominus Rex MCCCXCVIII. suo diplomate, *Demanii* bonis Regios consanguineos jure donari posse edixit; *Eleonoræ* idcirco Infantissæ *Calatafimensis* Dynastiæ possessionem, ex caussa dotis a patre in testamento acceptæ, confirmavit, noviterque attribuit. Enumerat porro Dominatus partes, videlicet: *Terram Julianæ, Casale Adragnæ, cum fortalitio Sabucæ, Terram cum castro Calatameuri, Casale Contissæ, & Casale Comichii*. Jam ex Eleonora, & Gulielmo Nicolaus, qui a Martino Rege deficiens, bonisque spoliatus Calatabixectæ morte

occu-

occupatus periit. In bonis tamen paternis *Margarita* successit; sed *Calatasimim* ab aliis sejungens Rex idem, *Jacobo, de Prades* attribuit; in censu hinc de anno MCCCCVIII. *Castri, & Terræ Calatasimis* dominus appellatur. Hujus filiam *Violantam Joannes Bernardus de Cabrera* uxorem accepit, Motycæ Comes, cum Alcami, Caccabi, & *Calatasimis dote*, quorum ab Alphonso Rege confirmationem MCCCCXLV. impetravit. Quum vero Motycę plebs contra illum insurgens, de variis criminibus incusasset, apud eumdem se purgare *Joannes Bernardus* satagens, mulctam tandem subire ad veniam impetrandam coactus, *Calatasimim*, & Alcamum cum Bonifatii arce pro aureis IX. M. *Petro Speciali* Nicolai, dudum Proregis, filio anno MCCCLVII. vendidit, redimendi potestate, ut primum vellet, retenta; Violanta uxore, & filiis id ratum habentibus. *Petrum* Vassallus frater, & hunc Matthæus filius excepit; a quo, justo exoluto pretio, *Fridericus Henriquetius* Cabreræ hæres MDXXI. revocavit; Sed *Calatasimim* Rogerio Adiuvante Christo P.sis o.iuodo, loco pignoris dedit, quod sane opidum subinde *Aloysius* Friderici filius MDLI. Siculi Magistratus decreto redemit. *Aloysius* II. post eum, aliique ad hęc nostra tempora *Calatasimis* Domini, de quibus fuse alibi dixi.

CALATAMAURUS Arx dudum celebris, & Opidum, olim *Calatamet* Sarracenis. In editissima, atque undique excelsa rupe sedet illa, circa quam ex ruinis adhuc cognitæ opidanorum ædes. Entellam eodem stetisse situ vetustam civitatem, perperam credunt, uti suo loco reddam, sed arcis moles Sarracenis, aut Græcis tribuitur, quæ adhuc hodie integra, pinnas, fornices, scalā, aulasque servat, & infimas substructiones, nulli tamen usui depatatas, penitusque desertas. Ad collis

radices aquarum effusus rivus, unde Belicis amnis augetur. Nemus olim dumetis asperum ejusdem latera tegit; nunc etsi quercubus altissimis, ilicibusque densum, quod tamen herbis, plantisque medicinalibus abundat, venationi aptum, & jucundissimum habetur. Juxta illud celebre S. Mariæ de Nemore Monasterium Ordinis Olivetani, extremis sæculi xiii. conditum annis, cujus alibi in Monastica Siciliæ Historia notitiam dedi; & infra nonnulla referam. Tenuit *Calatamaurũ* gens *Aurea*, subinde *Guillelmus* Infans a patre accepit, cui frater *Joannes* successit. Hunc *Eleonora* filia, Guillelmi Peraltæ uxor excepit, unde Nicolaus, & *Joannes*. Ex Joanne *Nicolaus* junior *Calatamauri*, Burgii, Julianæ, Adragnæ, Comitissæ, Comichii, & Clusæ Dominus; qui cum Elisabetha Luna Artalis sorore Nicolaum III. in infantia mortuũ, & *Catharinam* genuit. Hęres hęc patris *Alphonso de Cardona* adjuncta, *Antonium* illi peperit. Ex *Antonio Alphonsus* II. & *Catharina*. Fratre sine hæredibus vita functo, *Catharina Laurentium Joenium* maritũ sortita est, quorum progeniem alibi expendo de Clusa agens.

CALATAMET Sarracenum Casale ruinis affectum sub Calatafimi, ubi Thermales aquę Sęgestanæ, quas supra descripsi. Extabat sub Northmannis; datum quippe ab Rogerio Comite Mazarensi Episcopo anno mxviii. legitur, quod Paschalis II. Romani Pont. literę confirmant.

CALATANIXECTA Opidum copiosum, & opulentum post flumen Salsum ad dexteram illius ripam in collibus sedet ad austrum, hybernumque occasum, Aquilę expansis alis formam pene exprimens, nullique alteri ex mediterraneis, amplitudine, & incolarum numero decedens. Sarracenicę originis passim creditur;

me; adeoque ex Malaterrę interpretatione *Castrum Fœminarum* vocatur; sed ex Cluverio *Petilianis*, loco apud Antonini Itinerarium memorato respondet. Supernas opidi oras aquilonem versus Benedictinum S. Flaviç Virg: & Mar: Monasteriũ occupat, quod Maria Aragona Francisci Moncadę Comitis uxor MDXCIII. fundatum nobilissimis ædificiis instruxit. Ubi porro declive solum complanari incipit, Societatis Jesu elegans Collegium, cum templo, ac sacellis vario e marmore conspicitur, olim sub S. Agathæ invocatione, nunc S. Ignatii nomine MDLXXXIV. Aloysię Bivonę ducis opera, & divitiis erectum, cujus eximio prospectui latissima respondet via, & insigne Dynastę palatium in ortum hæret, Aloysii Comitis, Siciliæ Proregis jussu inceptum, quod imas tantum ostentat partes, & quidem magnificas; e vivis enim authore sublato, incrementa non habuit. Excipit viã ampla satis area Majoris parochialis templi, quod S. Marię de Nova gloriatur titulo; quę enim olim *Ecclesia* princeps fuit, S. Maria vetus dicitur prope arcem, cessitque Novæ locum, situ aptiori circa orientem, sęculo XVI. exeunte, magnificentius extructæ. Huc S. Mariæ de Gratia, & de Angelis antiquissimas depictas in pariete imagines, & cultu semper pręcipuo habitas, ex arce anno MDC. Aloysia de Luna transferendas curavit, novissimeque Canonicum Collegium insigne coaluit. Quum autem opidani specialiter S. Michaeli Archangelo veluti pręcipuo patrono addicti vivant, jam volgo eadem Ecclesia ab eo denominatur; sollemni hinc pompa illius festum III. Kal: Septembris cum nundinis celebratur; ac sacri interni parietes mediæ præsertim navis varia idcirco Angelorum ministeria docto penicillo exarata exhibent.

Pervetustam in eodem foro S. Mariæ Annunciatæ basilicam, adjunctumque Carmelitarum cœnobium sæculo XIV fundatum perhibent, quod hodie Comitum palatio ab austro haud distitum videmus. Succedit S. Dominici ædes, decensque claustrum, quod B. Reginaldi S. Patriarchæ discipuli fuisse opus tradunt; sed apud Pirrum fundationis adnotatur annus MCCCCXXX, & Antonius Moncada author describitur, qui forte Ecclesiam, ubi ipse, & reliqui Comites contumulati jacent, in elegantiorem formam redegit. Minores Conventuales ab anno MDVII. S. Francisci auspiciis circa eamdem plagam sunt constituti, nec incommode degunt. Reformati oppositę, idest occidentali inhęrentes regioni ab anno MDCXXXVII. piorum civium opera, sub S. Antonini titulo amplum occupant locum. Hos excipiunt Augustinienses Excalceati in S. Marię de Gratia, qui MDCXXIII. sumptibus Antonii Comitis congruis domiciliis donantur. Fratribus denique hospitaliatis S. Joannis de Deo MDCXX. Maria Aragonia fundatrix ægrorum curam commisit, cui pio officio naviter hodie incumbunt. Monialium S. Benedicti regulam profitentium Parthenon ad extremam æstivi orientis oram, cui pręruptum respondet declive, Aloysię de Luna pietate fortunisque anno MDXC. fundatus, S. Salvatoris retulit titulum, mox S. Crucis nomen habuit, cum ob sacratissimi Ligni frustrum in Ecclesia asservatum, tum quia in scissi lapidis centro Christi Domini e cruce pendentis imaginem naturę opera veluti pennicillo expressam in ara maxima decenter collocatam fideles colunt. Invenit, quum aquæductum moliretur, sæculo XVII. ineunte, Jacobus Marchisius lapidarius faber in cordiacę figurę caute, qui rem demiratus, publico consensu sacris Virginibus custodiendam

tra-

tradidit; opidanis vero non semel prodigiosa imago fuit. Jam extra pomœrium ad pass. D. in ortum, sub exitum sæculi XVI. Minores Observantes haud procul ab arce cœnobium insigne condidere, rem promovente F. Angelo a Neto viro pietatis eximię, civibus certatim stipem ministrantibus. Titulus est illi S. Marię Angelorum. Prope surgit S. Marię Veteris ędes, de qua dixi. Hac pręcipua erat opidi Ecclesia, quum illud sub arce extenderetur. Parietes quadris lapidibus compacti, quorum aliquot varios characteres ætate detritos, & perditæ idcirco lectionis, exhibent, a Mariano Aurispato opusculo de Passione Domini exaratos. Capuccini e loco amœnissimo, sed procul dissito, *Zibili*, in quo anno MDXLV. consederunt, post VII. ferme lustrum ad australem oram se receperunt, nobilem, sed instituto respondentem Conventum ad primum ferme lapidem condidere extra portam, Francisci & Aloysię Comitū auspiciis, qui sub lustralis aquæ fonte tumulari voluerunt. Hac ipsa regione domus nuper constructa Hieronymi Salazaræ opibus, pro Spiritualibus Exercitationibus non angusta. Abest quoque in ęstivum occasum pass. circiter M. celebris S. Spiritus Abbatia sub Canonicorum S. Augustini institutis, Rogerii Comitis, ejusque uxoris Adelasiæ magnificentia, ac divitiis fundata, de qua in Monasticis Notitiis fuse egi. Habet Ecclesia consecrationis insignia cum lapide MCLIII. signato, & pro lustralis aquę fonte urnulam sepulchralem ex marmore, nec non Baptismi vas extra januam, ubi Casalis ibidem extantis olim pueri abluebantur. Æris campani turris surgit adhuc antiquissima, Cupressus, & Monachorum ædes perseverant, quas hodie Mistę occupant Sacratissimę Eucharistię custodię alternatim intendentes, qui Regię Apostolicę

stolicę Legatię Judici cum Abbatis Priore subduntur. Publicis in Comitiis Abbas ipse xxxix. habet locū, ac in SS. Trenitatis, & S. Leonardi *Calatanixettę* ędibus jus dicit. Ad ii. lapidem Prioratus S. Joannis est etiam vetustissimus Rogerio Comite authore, Monasterio de Mileto dudum, nunc S. Anastasiæ Castelliboni Abbati suffraganeus, in cujus hodie Ecclesia Civium sodalitium Animarum Purgantium cultui addictum. Sed ad opidum redeo.

Civiles divitum domus elegantiam præseferunt, nec paucę extant; familiæ enim ingenuæ Comitum presentia illectę, elapsis retro sęculis *Calatanixettę* sedem aliquando statuere. Arx perantiqua, & insignis de *Petra rubra* appellata, ad ortum assurgebat, prærupto ingenti insidens saxo, cujus extant reliquię, turres videlicet, pons ante portam, specula, & imę substructiones cum cisternis viva in caute excavatis. Area illius amplissima, ubi sacra ædes Deiparæ de Gratia dicata, in qua Adelasię Comitissę Rogerii neptis cadaver, caput corona ænea præcinctum habens MDC. detectum cum inscripto nomine, & progenie in lamella, quod Aloysiæ de Luna jussu, una cum aliis veterum Comitum in S. Dominici translatum est. Arcis hujus Capellano tertia *Decimarum* opidi pars designata ab ipsis Northmannorum temporibus, Sub Carolo Andegavensi illius custodię *Castellanus* deputatus, & milites sex. In ea bis Siculos Proceres convenisse historię perhibent: post Jacobi Regis nempe discessum, quum de Friderico II. Petri filio in Regem proclamando actum est; & anno insuper MCCCLXIV. sub Friderico III. cujus jussu Magnates congregati ad diuturnum civile bellum, quo Sicilia acriter vexata, restinguendum. Eadem denique Arx in scuto venit velutī

opidi

opidi ſtemma; quod Comitatus titulo olim donatum, Friderici II. decreto rurſus ea dignitatis teſſera inaugurationis ſuę die meruit honorari; hinc IV. loco illius Dynaſtę in publico totius Regni ſedent concilio; Necis, ac Vitę poteſtatē habent; Magiſtratus deſignant, Quęſtorem ſcilicet criminum, Decuriones IV. Syndicum, & Judices; nec non S. Spiritus Abbates a Pontifice inſtituendos, & opidi Archipresbyteros pręſentant.

Ager fertiliſſimus omnis generis fruges dat copioſas, lacum habet piſcoſum, venationes gratiſſimas, paſcendis gregibus, armentiſque aptus inter primos audit, vini, olei, mellis, fructuum, oleū non incigus, colonis prę cæteris frequens, opidum idcirco non levi Aratorum numero auget. Eo terræ tractu, a *Galfo inferiori* appellato, Aquæ ſanctæ ſub alta rupe fontem aperit, qui gratum lactis ſaporem, & innatantes pingues particulas habens laxandi alvum virtute eſt pręditus. Ad Salſi fluminis dexteram ripam latices quoque continet, qui petroleum ac bitumen Judaico haud abſimile gignunt. *Calatanixetta* laribus hodie 3728. civibus 14829. conflatur; olim porro ſæculo XV. focos 1230. cum incolis 8725. continebat; ſequenti ex Pietro lares 2650. cives 10604, qui in Regiis libris 10080. computabantur. Calataxibectæ Comarchiæ, & Calatajeronenſi Militari Pręfecto ſubeſt, milites in equo XVIII. pedites LXXXIV. educebat. Animarum cura Archipresbytero, ſub Agrigentino Epiſcopo committitur; hic vero Vicarium ſuum pro Clero moderando deſignat. Eſt Archipresbyter Regius Capellanus Friderici Cęſaris reſcripto, ab Rege olim, nunc a Comite nominatur, Collegioque pręeſt Canonico, & tertiam *Decimarum* opidi partem conſequitur; Arcis enim Capellani jura ſibi omnia vindicat, uti ſępius in judicio decretum.

Ubi

Ubi *Calatanixettam* cum aliis munitioribus regionis arcibus, post captum Agrigentum MLXXXVI. Rogerius Comes Sarracenis eripuit, Jordano filio eam attribuit, quo e vivis absque hæredibus sublato, *Mathildi*, sive *Emme* etiam filię dedit. Ex ea, & Ranulfo Montis Caveosi domino *Adelasia* prodiit, quæ Raynaldo de Aquila nupta, *Calatanixettæ*, uti vidimus mortua, anno MCL. & tumulata jacuit. Horum filius Adam N. Regii sanguinis conjugem duxit, & Rogerium de Aquila procreavit. Nulli ex hisce duobus Opidum nostrum fuisse obnoxium constat, *Goffredus* enim Montis Caveosi Comes anno MCLIII. Rogerio Rege S. Spiritus Ecclesiam ab Joanne Barensi Archiepiscopo consacrandam curavit. Idem Neti, & Sclafani Dominus ab Ugone Falcando dicitur, oculisque privatus, quod a Guillelmo Rege defecisset, Messanę in carcere periit. Tunc sub Regia potestate, seu *Demanio* opidum devenisse ad Gallorum usque ętatem affirmo, quod enim a Guillelmo II. *Salurnius Ferro* habuerit, nulla fretus authoritate, Mugnos vulgavit. Primis igitur Caroli Andegavensis temporibus, Corradino Regi, Corradi Capicii opera cum aliis precipuis Siciliæ opidis adhęsit, & Nicolai Malectę virtute contra hostes aliquando restitit; ab eodem Carolo subinde *Fulconi de Podio Riccardo* conceditur, cum Caccabo, & Gallano, cui filius *Parisius* successit, & huic *Sancia*; quamvis hanc Fulcone progenitam Ferrantes de Maria congruentius dicat, de sua familia fol: 400. *Galeasso Estendardo Sancia* copulata conjugi in dotem patris Dynastias detulit. Aragonensibus ad insulæ regimen assumptis, Petri I. munificentia *Raymundus Alemannus*, *Calatanixettæ* Comes evasit, ejusque arcem tenuit ad Friderici II. ætatem

tem, quem inter primos post Jacobi discessum Regem salutavit; nec diu post fato interpellatus *Conrado Lanceæ* locum dedit. Hunc Fridericus II. MCCXCVII. ob sua, suorumque promerita opidi nostri Comitem, ipso inaugurationis suæ die Panormi dixit, cui triennio post vita functo, *Petrus Lancea* successit, Manfredi fratris filius; Hinc in Censu Baronum ejusdem Regis anno circiter MCCCXX habito, *Petrus* idem Nari, & *Calatanixettæ* proventus, cum Delia & Sambuca casalibus possidere dicitur. Filias habuit Joannam, & *Cæsaream* & illi Narum, alteri *Calatanixettam* pro dote designavit. Duxit hanc in uxorem *Joannes* Infans Randatii Marchio & *Fridericum* cum ea genuit, qui a morte Patris Guillelmum Berium in Abbatem S. Spiritus nominavit, fatisque adhuc puer concessit, Soror idcirco *Eleonora* Joannis hæres remansit. Data hæc fuit in conjugem *Guillelmo Peraltæ*, unde *Nicolaus*; qui a Rege Martino hostis declaratus, in arce *Calatanixettæ* ultimum invenit diem, in qua & tumulatus fuit.

Circa hæc tempora Pirrus ex errore Franciscum Vigintimillium, *Calatanixettæ* Comitem Bartholomæo de Politio S. Spiritus Abbatiam contulisse enarrat. Verum Bartholomæus hic a Friderico III. præcibus Vigintimillii institutus ex Regiis literis de anno MCCCLXI. clarissime evincitur. An porro tunc Regi immediate opidum subderetur, anceps sum animi, tot quippe turbis insula discindebatur, ut certi aliquid expiscari nequeat. Coegit in Arce Princeps idem Procerum conventum anno MCCCLXIV, ut dissidentium animos conciliaret, & Franciscum Vigintimillium bonorum spoliatione mulctatum, pacemque abnuentem cum Friderico de Claromonte, ac sociis proscripsit.

Computabatur illa eas inter arces, quæ Friderici Regis fasces recognoscebant; Artalis hinc Alagona Regis studiosus eo delatus, excitos tumultus inter Arcis Præfectum, & opidanos sedasse dicitur. *Eleonora* demum *Infantissa* anno MCCCLXVI. de opidi possessione forte deturbata, *Calatanixettam* hæreditario jure ad se spectare testibus probavit. Quæ sane omnia illud conticere videntur, sub Friderico III. opidum aliquando Regio addictum fuisse *Demanio*. Mortuo *Nicolao* filio, eadem *Eleonora*, *Raymundetto* hujus ex illegitimo toro progenito *Calatanixettam* legavit, quo tamen e vivis erepto, Martinus ad se opidum revocare volens, *Peraltis* reliquas dynastias confirmans, nostrę renunciare persuasit, nec diu *Sancio Rois de Libori* sibi acceptissimo cum Capicio & Mistretta MCCCCVI. attribuit. Sed & *Sancius* XX florenorum M. donatus, rursus opido cessit, illudque Regi restituit, qui MCCCCVII. cum *Mathæo de Moncada* Raymundi filio conventione inita, Augustam ab eo recepit, ipse *Calatanixettam Matthæo* concessit; hinc in Censu de anno MCCCCVIII. ejusdem Comes hic evulgatur. Quod post Sancium *Henricus Rubeus Calatanixettæ* fuerit Dominus invenio; sed brevi temporis spatio hac cohonestatum dynastia illum suspicor, uti & aliis sub Martino Rege accidisse constat.

Ex Matthæo, & Contissella Aragona *Guillelmus Raymundus* IV. Magnus Cancellarius ortus est, qui ex legitima uxore Joanna Vigintimillia hęredem minime assecutus, *Antonio* fratri locum cessit. Hic cum Stephana Isfar filiam habuit *Contissellam*, quæ *Guillelmo Raymundo Moncada* V. Regni Magistro Justitiario Adrani Comiti nupsit. Natus hic ex celebri Joanne Thoma, de quo alibi, genus ex Guillelmo Raym: III. repe-

repetente, & ex *Matthaeo* primo *Calatanisettae* Comite, quocirca & ipse Comitem *Calatanisettae* se appellabat, litemque *Antonio* intenderat, contractis inter utriusque heredes nuptiis diremptā. Ex his *Antonius* II. Ex eo & Joanna Eleonora de Luna Calatabellottę, Sclafani, & Calavulturi Domina *Franciscus* primus Paternionis Princeps, Catharinę Pignatellę sacris vinculis adjunctus, unde *Cesar*, qui per triennium rexit, atque ex uxore Aloysia de Luna, & Vega Bivonę Duce *Franciscum* II. suscepit. Jacet ille in Societatis Jesu Ecclesia. *Franciscus* Mariam Aragonam Montis Alti Ducem sibi copulavit, cujus jure insignem illam Dynastiam est assecutus. *Antonius* III. illorum filius ducta in conjugem Joanna de Cerda, Methymnæ Cœli Ducis filia, *Aloysii Guillelmi* VI. pater effectus est, mox Sacerdotio initiatus, & Societatis Jesu regulam professus, mundo valedixit; Joanna vero uxor in Deiparæ Assumptæ Cœnobio ab se fundato Panormi Deo etiam se consecravit. Pręfuit porro *Aloysius* Siciliæ regno ad biennium, inter Hispanos Magnates adscriptus, tandemque S. R. E. Cardinalis renunciatus. Cum Catharina Moncada Aytonæ Marchionis filia *Ferdinandum* procreavit, qui cum Maria Teresia Faxardo contractis nuptiis *Catharinam* unicam filiam reliquit, Josepho Ferrandinæ Duci nuptam. His *Aloysius Guillelmus Moncada* S. Joannis Dux, Cameratæ Comes sese opposuit; Ejus enim pater fuit Ferdinandus, hic ex Ignatio natus, qui secundo loco genitus ex Antonio III. prodiit. *Aloysius* inter Hispanię Magnates, & Caroli Regis Aulicos claruit, atque ex Joanna Vigintimillia Ferdinandum, & *Franciscum Rodericum* filios habuit. Ille immaturo fato decessit. *Franciscus* Paternionis Princeps, Dux S. Joannis, *Calatanisettae*,

taniseta, & Cameratę Comes, hodie vivit cum Josepha Ruffo copulatus, quæ illi duos peperit filios. Obtinuit enim ejus pater in judicio eas tantum Dynastias, quæ jure illi debebantur.

Illustres Viri: Gabriel Minor Capuccinus, qui ex Pirro vitæ asperitate, & virtutum splendore fuit omnibus admirabilis; Antonius Bellavia Soc: Jesu ab ipsa pueritia virtutis tirocinium inchoavit, & singularibus a Deo ejusque Parente beneficiis meruit honorari. Societatem ingressus, religionis ac doctrinæ insigne specimen prębuit; ad Brasiliæ provinciam fidei præco destinatus, barbaros ad Christianæ legis, humanęquę vitæ consuetudinem adduxit, dum morientibus denique in bello saucius Lusitanis adstaret, in eo charitatis officio a Batavis hæreticis in odium fidei trucidatus occubuit. De eo Aghilera. Hieronymus Gravina gentis origine clarus, *Caletaniseta*, ubi parentes casu degebant, natus, Panormi in Societatem Jesu exceptus, Indicæ peregrinationis desiderium concepit, exactisque humanis, Divinisque scientiis, voti compos, itineri se commisit, & Macaum Sinarum urbem navigavit; mox per varias provincias Christi religionem summis exantlatis laboribus, ampliavit; populos, optimates veræ fidei lumine illustratos sibi demeruit; Sinica lingua de ejusdem dogmatibus librum composuit; Suis ibi cum fructu diu præfuit, summisque virtutibus effloruit. Morienti magno agmine omnium ordinum viri adfuere. Elatus est Sinico funerum more ad Christianam cæremoniam traducto, ac nobili sepulchro honoratus. Traduxit apud exteros annos fere xxx. obiitque ętatis lxx. Blasius de Maira ex Minoribus Capuccinis, elapsi sæculi miraculū, eloquentia religiosis virtutibus, divinis charismatis, ac prophetię dono illustrissimus

Mali-

Militelli anno MDCLXXXIV. in Domino piissime obdormiit, cujus habes vitam typis editam. Philippus Ferrarius, Ordinis S. Mariæ de Carmelo S. T. Magister excellentissimus & integerrimus Ecclesiastes, Romę diu sacras scientias tradidit, & Studiorum Moderator vixit. Martino Regi, & Ferdinando a Consiliis & eleemosynis, ad Romanos Pontifices legatus, Urbani VI. Theologus, Joannis XXIII. Cubicularius, Episcopus Pactensis atque Agrigentinus, S. R. E. Cardinalibus demum accensus, toti orbi notissimus anno MCCCCXXI. senex mortem invenit. Sermones edidit de Sanctis, de Tempore, & de Deiparæ laudibus. Commendatur Tritemio, Possevino, Marracio, Gesnero, & Carmelitis Scriptoribus, ac nostris, Pirro, Mongitori, Cajetano. Thomas Tamburinus Soc: Jesu Theologus egregiam doctrinam moribus integerrimis cumulavit. Scripsit Confessionis Methodum, quam vicies impressam ipse vidit. Decalogi Expositionem, de Ecclesiæ præceptis, in Bullam Cruciatæ, aliaque ingenii monumenta vulgavit. Octogenarius Panormi e vita migravit elapsi sæculi anno LXXV. Lucius San Marco Thomæ discipulus Magistri sui doctrinam edito libro vindicavit. Hunc tamen eidem Thomæ adjudicant. Nicolaus Aronica Juris Cons: eximius inter præcipuos causarum patronos eminuit; Panormitani Prætorii Judex claruit, decessitque MDCLXXX. Vincentius San Marco Oratorii Panormitani primum presbyter, patriæ subinde primus inter mixtas, omni doctrinę genere, sanctisque operibus cumulatus, & eloquentia velmaxime clarus, lucem amisit MDCLXXXVIII. Didacus Philippazzi Soc: Jesu Sacerdos facundię singularis, cujus in Italię, & Sicilię rostris experimentũ præbuit, non sine plausu ubique auditus, Humanis etiam literis & morum Theologia, sacrisque

crisque literis imbutus, Panormi denatus MDCCXXIV. Laudantur a Mongitore Hieronymus Jacona, Hieronymus Guagenti Minores Cappuccini, a gravioribus disciplinis, & larga dicendi copia; Joannes Chrisostomus Calafato S. Augustini Asceta Excalceatus; Angelicus S. Francisci de Strictiori Observantia Ecclesiastes, & Joannes Maria Amico ejusdem instituti, præcipuis in ordine muneribus functus & verbi Dei præco disertissimus. Dignus est denique qui memoretur Marianus Auristutus, hodie in vivis agens, Poeta nedum ingeniosissimus, uti ejus vulgata testantur opuscula, sed in sacris Scripturæ libris, eorumque historia apprime versatus, sęculi licet curis implexus. Celebrat hic Montem in agro a summo ad imum in duas disjunctum partes, ubi passionis Dominicæ colitur memoria. Vulgo enim in morte Domini terræmotu divisum affirmant. Opidi longitudo est grad: XXXVII. XXXVI. Latitudo gradibus XXXVII. XXXVI. respondet.

CALATAVULTURUM Opidum, *Calatabutur* Sarracenis, in colle hodie ad austrum & occasum, olim in rupe altissima, & undique prærupta situm, ubi arcis, & mœnium reliquiæ pertitant, in Mazaræ regione, Cephaleditana Diœcesi, Politii Comarchia, Thermarumque Militari præfectura jacet. Ferrandinę Duces in Hispania Dominos recognoscit, sed Montecatinis subdębatur; *Ferdinandi* enim *Moncatæ* filia *Catharina* Josephum Toledum Ferrandinensem maritum habuit. Assidet Baro loco XXXV. in publicis Regni Comitiis; Magistratus deligit, jure gladii gaudet, & Xillato *Calatavulturi* municipio præest, de quo inferius. Opidi census cum Xillato sæculi hujus anno XIII. fuit larium 1508. animarum 4508, quæ tamen hodie ex novissima recensione ad 3905. rediguntur.

Se-

Sæculo XVI. foci 650. incolæ 2763. Sequenti ex Pirro 1160. lares, & 4195. animæ; ex publicis regestis lares 1058. incolæ 3963. computabantur. Major Ecclesia S. Bartholomæo Apost: sacra in rupe sedet sub arce; sed nostra ætate, quod ardui ascensus omnino esset, deserta manet, & Parochialis SS. Petri & Pauli illi subrogata opidi medium occupat in tumulo. Molire novam opportuno in loco civibus in animo est, manus tamen operi nondum admotæ. Minores Reformati S. Mariæ de Jesu titulo ad ortum, lapidis jactu dissident; in area ante Ecclesiam fons est, unde cives hauriunt. Augustiniani Eremitæ in S. Joannis Baptistæ circa occasum ædes incolunt ante sæculum XVI, & fundatores opidi Dominos, gentis *Spatafora* recognoscunt. Moniales denique Benedictinæ ab anno MDCXXV, corrogata ex piis civibus pecunia, sub S. Mariæ de Nova patrocinio, in austrum conclave ædificato, coaluerunt. Domus Hospitalis, & minores aliæ Ecclesiæ X. majori suffragantur, ad quam communi obsequio sub Episcopi Vicario frequentandam Clerus quotidie convenit. Ager fertilissimus frumenti, aliarumque frugum, vini, olei, & fructuum copiam suppeditat; Venationi idoneus; pinguique gramine vestitus, pecudibus pabula præstat, fluminis ex Xillato originem habentis abluitur aquis, cujus ripas in valle ad II. lapidem pons conjungit.

Opidi & Municipii dominatum sub Northmannis *Adelasiæ* Rogerii nepti obvenit, quæ *Emmæ*, seu *Mathildi* matri successerat. Ex Adelasia *Adam* filius, aliique ex eo progeniti, de quibus jam dixi. Anno MCCCXX. sub Friderico II. juris erat *Friderici de Menna*. Friderici III. dono *Orlandus Cavalerius* eidem dominabatur anno MCCCLXXIV. *Raymundus de Luppiano*

sub seculi xv. initia tenebat, a quo *Henricus Rubeus* emit v. ejusdem anno; mox *Rubeus* Xillato, & Sclafano potitus, eorum pretio Jacobo de Prades soluto, tres hasce dynastias in unam coegit, & a Martino I. illarum confirmationem impetravit. Moriens non diu post, *Raymundum* filium ex illegitimo tamen toro, Alphonso Rege facultatem indulgente, hæredem dixit, cui sine filiis decedenti *Antonius Spatafora* ex *Rubei* sorore progenitus successit. Antonium *Petrus* filius excepit, qui unicam reliquit hęredem *Beatricem*. Hæc Sigismundo de Luna Calatabellottæ Comiti nubens *Joannem Vincentium* peperit, unde *Sigismundus* II. ex quo *Petrus*. Hujus filia unica *Aloysia* Cæsari Moncadæ Calatanixectæ Comiti copulata in gentem Montecatinam *Calatavulturi*, Xillati, & Sclafani jura transtulit. Opidi longitudo est grad: xxxvii. xxxv Latitudo grad: xxxvii. l. Occurrit in via, qua Panormum itur. Imminet rupi, cui arcem insidere protuli, moles alia amplior, sed inaccessa, ubi veteris habitationis reliquiæ visuntur.

CALATRASIS Arx acutæ rupis undique præcisæ occupat verticem, in colle parum acclivi, sed lapidoso, qui circa aquilonares oras proprii nominis amne abluitur, & olim opidum sub Sarracenis non infrequens habuit, cuius extant monumenta, ad Northmannorum usque tempora memorata; & priscę fortasse originis; effossum namque Gigantis cadaver Fazellus suo ævo, MDL. anno, ab illis haud procul, testatur. Ager circumpositus salebris & ipse respersus, sed fœcundissimus, juris olim fuerat *Gaufredi Malconvenant* Siciliæ Talassiarchæ, ejusque filiorum *Joannis*, *Gualberti*, & *Gulielmi*, qui cum arci, tum agro cesserunt, Guillelmi hujus nominis primi favore, aliis ab

eo

eo bonis anno MCLXI. vicissim donati. Guillelmus subinde II. Montis Regalis Monasterio attribuit ex literis mense Octobris MCLXXII. Martino Rege annuente, quum esset per Laicos castellum occupatum, Archiepiscopo ejusdem Ecclesiæ restituitur. *Calatrasii* fluvius in feudo Petrælongæ fontes habet, a quo nomen primo accipit. Malvelli fluenti mox auctus aquis, sub arce cursum agens, ubi ponte trajicitur lapideo, in Belicim tandem Fractinæ amni adjunctus, se exonerat.

CALATUBUM Castrum, & dudum Casale ab Alcamo haud procul ad septentriones; Ex Pirro *Calatum* dicitur, & Mazarensi clauditur Diœcesi; Memoratur hinc in Rogerii Comitis, & Paschalis II. Rom: Pont: literis, quibus illius fines describuntur. Fuit olim sub *Friderico de Antiochia*, quo a Regibus desciente, *Raymundo Peraltæ* conceditur. In Martini Regis censu *Margaritæ* Nicolai Peraltæ filiæ ditioni subditur, cujus subinde hæredes tenuere. Hodie in Calatabellottæ Comitatu venit.

CALBACA Casale anno MCCCXX. ditionis *Masini de Michele*, uti in Friderici II. sępius laudato Regesto.

CALCARA Insula parva contra Drepanum. Turrem habet, & in S. Alexii memoriam ædiculam.

CALCHES hodie Caccabus, sed ex Pirro *Carcacis* feudum, quod Invegius negat. Vide *Kalches*.

CALLISIUM Casale *Josephi Amato de Cardona* circa MCCCXX. sub Friderico, cum Xilinda, & Villanova. Eadem MCCCCVIII. *Joannis Amato de Cardona* juris erant.

S. CALOGERUS Mons supra Thermas Himerenses, veteribus *Euracus*, subrigitur ab aquilone, ortu, & meridie solitarius, ab occidente vero humilio-

ribus adjunctus collibus, ubi Caccabus sedet. In ejus præacuto supercilio ędicula, quam olim sanctissimæ conversationis Monachus incoluit, a cujus morte in sacram commutata monti nomen dedit. Monachi enim apud Græcos *Calogeri* dicuntur. Alio nomine Cracus vocatur, & Eurachus, uti Cluverius est author. Ad illius radices Brucatum; & subinde Thermæ Himerenses vetus urbs, sed circa antrum recens opidulum Xara. Vestitur multa arbore, & ad clivum usque virescit. Ardua est ad cacumen ipsum via, quo singulo quoque anno voti caussa circumpositę gentes evadunt.

S. CALOGERUS Mons ad Thermas Selinuntinas, hodie Saccam, olim *Cronius*; a solitario etiam sanctissimo viro nomen invenit; & Sarracenorum ęvo *Giummariorum*, a voce *Gemmar*, quę sylvestrem significat palmam; his enim fruticibus passim ager circumpositus, ipseque mons abundat. Cajetanus in S. Calogeri vita a figura fuisse olim montem appellatum *Cronium* affirmat; hominis quippe calvariam imitatur, vel forte, quod nudus omnino, nec arbores, nec graminis quidpiam fert, perpetuaque sterilitate damnatur, *Cronium* dicitur. Circa ejus latera Thermales aquæ, & ad balnei usum cryptæ, quas supra descripsi, de Aquis Selinuntiis loquens. Antrum ibi quoque visitur, ubi *S. Calogerus* diu vixit, hodie in Ecclesiam eidem sacram commutatum.

CALTAREGIUM Casale in agro olim Agrigentino; quod jacet.

CALVARIUS Mons pass: circiter M. a Sutera dissitus, cui collis alter minor adjungitur, a summo ad imas radices ex terræmotu discissus. Vulgo id factū in Christi Domini morte referunt; hinc in majori

colle

colle varia ſurgunt in Paſſionis Dominicæ memoriam monumenta. Et ex his nomen illi *Calvarius*.

CAMARATA Opidum a Camera, ſeu Crypta in colle proximo dictũ, Comitatus teſſera ab anno MCCCCXII. quum illud *Fridericus Abbatellus* teneret, inſigne, ad collis ejuſdem nominis latera, in Diœceſi Agrigentina, & Caſtrinovi Comarchia ſedet. Ex antiquiſſimi Camichi ruinis ortum habuiſſe putant Ortelius, & Leander; Inycum ibi ſtetiſſe credunt alii, & Aretius Camarinam. Falluntur tamen, Camicum, quippe & Inycum urbes veteres, & celeberrimas alibi ſitas dicam. Camerina vetus & ipſa, quam longiſſime locata inde abfuit. An ante Sarracenos extiterit controvertitur; quum primis Northmannorum annis ejuſdem eluceat notitia, ſub Sarracenis conditum jure affirmant. Declive occupat ſolum ad auſtrum, ſacris, & civicis ſplendet ędibus, arcemque oſtentat olim munitiſſimam. Majus templũ S. Nicolao dicatum, veteri reparato, in auguſtiorem formã Guillelmus Raymundus Moncada erigendũ curavit. Archipresbyter primitias opidi habet; nam Decimas Agrigentinus Archidiaconus aſſequitur. Parochialis alia Eccleſia S. Viti Martyris titulo a Rodulfo Pio Epiſcopo ad incolarum commodum inſtituta cum minoribus aliis XV. primariæ ſubditur. Sed S. Mariæ de Capinſerio, & S. Luciæ de Monte extra pomœrium Cephalędenſis Pontificis faſces recognoſcunt, quas olim Lucia opidi Domina MCXCI. illi Eccleſiæ *cum burgenſibus in territorio habitantibus* conceſſit. S. Mariæ autem Joannes Barenſis Archiepiſcopus, Luciæ ejuſdem precibus conſecravit; ubi & Minores Reformati dudum habitaverunt. Jam in antiquiſſima S. Blaſii æde Philippini Presbyteri primum coaluere, Franciſco Caruſo, & Jacobo Maio

authoribus, unde in S. Didaci, opportuniorem nacti locum, demigrarunt. Nobile Minoritanum de Observantia cœnobium sub magno colle ad aquilonem, loco amœnissimo, Matthæus de Agrigento MCCCCXXVIII. anno, stipem Comitibus suppeditantibus condidit, quod Reformatis aliquando cessit, rursusque ad primos rediit MDXLII. Fuit pro Conventualibus olim etiam domicilium, quod hodie nullum est. Suum Capuccini locum habuere, uti & Carmelitæ, sed in proximum S. Joannis opidum recessere. Perstant Prædicatores Fratres in S. Antonii hospitio, quod illis Franciscus Abbatellus MCCCCLXX. attribuit. S. Augustini Excalceatos Francisco Branciforcio fundatore MDCXXVIII. decens excepit Monasterium. Duo Monialium Ordinis Benedictini conclavia decorem opido conciliant; alterum sub nomine S. Mariæ de Infirmis sęculo XVI. Comites de Abbatelli ędificarunt. Aliud S. Dominicę Virg: sacrum a Branciforciis ortum recognoscit, quorum dos decentissima & alumnarum congruus est numerus. Mons denique pietatis, & domus hospitalis dives ex Comitum munificentia, & Civium larga vigent religione.

Ad Cleri moderamen Episcopus Vicarium constituit suum; Magistratum opidi civilem Dynastæ jus gladii habentes, deligunt; Hi in Comitiis loco VIII. inter Comites sedent. Militari Agrigenti Præfecto *Camaratenses* subdebantur; Signa equites XIX. pedites CX. sequebantur. Lares Fazelli ævo 1806. animę eodem sæculo 8092. Pirrus sequenti sæculo laribus 2295 incolis 8704. auctum opidum dicit. Decurrentis anno XIII. *Camaratæ*, & S. Joannis municipii lares 2085. animæ 7645. sub censu venerunt, & novissime 7802. Polaris elavatio est grad: XXXVII. XL. Longitudo ad grad: XXXVII. XX. extenditur. Sub Northmannis juris erat

Cama-

Camarata Luciæ ejusdem cum opido cognominis, nobilissimę fœminę, cujus est maritus ignoti quidem vocabuli, sed filii Adam, Galgana, & Sibilla in diplomate de anno MCCLI, jam supra indicato, subscribunt. Manfredus subinde Rex *Friderico Malettæ* consanguineo, sive ex notho filio, nepoti, Regni Præsidi, *Camaratam* attribuit, suis literis MCCLVII. Hic juxta Erycem a Gabano Theutonio gladio confossus in Annalibus memoratur. Sub Jacobo Aragonense *Manfredus Maletta*, vulgo *Manfreducini* Friderici nepos, Menarum Comes, & Paternionis Dominus opido potiebatur. At Fridericus II. Jacobi frater anno MCCCII, quod Manfredus cum filio ad Gallos defecisset, *Vincigverræ Palitio* Regio Cancellario dedit, ex quo *Macalda* unica superfuit filia, *Sancio Aragonio* nupta. Hic Petri I. ex illegitimo toro filius dicitur. Hinc in ejusdem Regis Censu MCCCXX *Sancii de Aragona* hæredes *Castrum & Terram Camaratæ* cum adjunctis casalibus possidere dicuntur. Pirrus anno MCCCLXI. *Conrado de Aurea* Januensi obnoxium opidum affirmat; sed alibi *Sancii* filium *Fridericum de Aragona* fuisse lego, ex quo & Joanne de Aurea conjuge *Sanciolus*, & *Vincigverra* Aragonii; *Sanciolus* Luciam Politiam uxorem duxit; unde *Mariottus*; qua porro ex caussa opido privati *Aragonii* fuerint, non habeo; nam *Conrado Ottobonus Aurea* ejus frater successit, qui arcis author, seu instaurator fuisse refertur. Eo ab Rege desciente, *Vincigverra Aragonius* MCCCLXXV opido potitur; Fratris enim *Sancioli* filius improles defecit. Ex *Vincigverra Bartholomæus*, qui Martino Rege primum acceptissimus, mox vero infensus hostis evasit, diuque sese in *Camaratensi* arce continuit, ac defendit; Victus tandem a Bernardo Cabrera bonis

omni-

omnibus spoliatur. Tunc *Bernardo Queralto*, Siciliæ ultra flumen Salsum Vicario, Martinus *Cameratam* attribuit; nec diu post *Guillelmum Raymundum Moncadam*, quod hic Leocatę juribus cesserit, ea cohonestavit, MCCCXCVI. Ab hujus hęrede *Joannes Abbatelli* florenis XL. M. emit sęculi XV. anno XXXI. Hic Regni Præses, Panormi Prætor, aliisque muneribus clarus, Eleonoræ de Claromonte, Andreę sororis, sacris adjunctus vinculis vixit, cum qua *Fridericum* genuit, ab Alphonso Rege MCCCCLI *Cameratæ* Comitem appellatum. Primis & ipse in Regno muniis condecoratus ex N. de Luna conjuge *Francisco* auctus est, meritis, dignitatibus, dynastiis pręcessoribus haud impari. Margaritæ hic de Cardona copulatus *Antonium* filium habuit, qui a Rege Ferdinando anno MDI. quidquid Patris jure possidebat, ratum obtinuit. Patriæ Prætor, Regni Quæstor, Magistri Justitiarii locum tenens, & Messanę Strategus effulsit, ac cum Isabella Brancifortia *Margaritam* procreavit, *Friderico Abbatelli* Sabucæ Baroni, patrueli, *Francisco* enim fuit procreatus, nuptui datam. Patrię patris nomen *Fridericus* meruit, Siciliæ Talassiarcha, legatus ad Regem inclaruit, Motycę Comitatum, Eleonorę de Claromonte aviæ jure, diu sibi deberi contendit; insimulatus tandem, quod adversus Regem conjurasset, infelici fato periit. *Margarita* uxor ab ejus morte *Cameratæ* domina, Regia munificentia evadens, *Blasco Brancifortio* nupsit, Tavis Baroni, Messanæ Stratego, Philippi II. Aulico, ejusque militiæ gradibus functo, ex quibus *Hieronymus Brancifortius* est ortus. Hunc literis instructissimum Mongitorius in Bibliot: celebrat, egregiaque cum laude Proregis partes in Valle Demana gessisse tradit. Peperit illi Hippolyta Septima, & Bar-

& Barresia filium *Herculem*, qui primus S. Joannis Dux est dictus MDLXXVII. Ex eo & Isabella Aragonia *Hieronymus* II. Huic & Catharinę Joenię *Franciscus* est natus Antonię Cajetanę vir; unde *Hieronymus* III. Genuit hic cum Aloysia Moncada Josephum in ipsa infantia mortuum, & *Cajetanam*, quæ *Ferdinando Moncadę* ex Principibus Paternionis, Ignatii filio data est uxor. Ex his *Aloysius Gulielmus* Joannę Vigintimillię adjunctus, *Ferdinandi Cameratæ* Comitis morte immatura interpellati, & *Francisci Roderici* pater. Vivit hic postremus Josephę Ruffo maritus, Calatanixectæ etiam Comes, Paternionis Princeps, prole auctus.

Est *Cameratæ* ager frugum fœcundissimus, & amœnitate pręcipuus; irriguum quippe complures reddunt fontes. Mons ejusdem nominis, de quo paullo infra, multa arbore convestitus, venationem jucundam pariter & utilem reddit. Fluvius S. Petri, & a Platanis etiam appellatus, pisces abunde sufficit; sed omnis generis fructibus locuples adeo terra videtur, ut & vicinos non modo populos, sed & remotiores, ipsamque Panormum fertilitatis suę participem reddat. Ut de pingui gramine, & lętis pascuis nihil hic proferam, de vitibus, oleis, melle, lino, cannabe, aliisque commodis, quibus coloni affluunt silebo. Sub colle ad III. pass. M. agro *Califerrero* ad ortum, medicinalis aquæ fons, quam purgatoriam, sudoriferam, & antifebrilem incolæ experiuntur. Nec procul bini gurgites fetidi, & nigri, quorum aquæ resiliunt unde emergunt. Salis demum fodina est ibi celebris.

Illustres municipes commendantur Pirro: Joannes Clementius Minor de Observantia Laicus, in orando assiduus, qui a Demone multa passus, atque in ventre, itaut viscera effluerent, percussus, a Deipara

Vir-

Virgine visibiliter apparente sanitati restituitur. Cujus sub altari S. Mariæ, corpus jacet, ubi prodigium evenit. Andreas Aragonius ejusdem ordinis Sacerdos, cum in vita, tum in morte a Deo prodigiis honoratus. Andreas Laurentius Laicus omnium virtutum genere imbutus, sui obitus horam, & imminentem fossoribus, sub rupe operam navantibus, ruinam prædixit. Antonius Æthyops vir supra modum humilis, & charitate in egentes insignis; Angeli tutelaris diebus aliquot ante mortem apparitione dignatus, & miris etiam operibus illustris. Petrus ordinis Carmelitarum, cujus cadaver apud Senas magna est in veneratione. Floruit elapso sæculo Joseph Taberna Capuccinus virtutibus & morum innocentia præstans, arctissimæ paupertatis. & pœnitentiæ studiis intentus, supernis denique a Deo donis, & propheticæ spiritu locupletatus, Panormi decessit prope octogenarius MDCLXXVIII. Celebrantur apud Mongitorem in Biblioth: Mauritius de Gregorio ex Fratribus Prædicatoribus eruditione, & doctrina clarissimus, muniisque primariis in Ordinis sui lyceis, & provinciis functus, Viris principibus summe acceptus. Neapoli diu vixit in S. Catharinæ de Formellis cœnobio, cujus Pharmacopolium variis antiquæ ætatis monumentis, variisque naturalium rerum arcanis, & prodigiis ornavit, quæ olim ingenti cum animi voluptate vidi, & ipse peculiari libello descripsit, anno MDCXLII. typis edito. Ibi post novennium decessit, relictis compluribus ingenii; omni disciplinarum genere exculti fœtibus ab eodem Mongitore longo catalogo exaratis. Ludovicus Lalomia eximius Juris utriusque Doctor, Comitatum, Dynastæ vice rexit; Panormi mox splendide degens Allegationes Jurium in Caussa Spolii vulgavit. Franciscus

Dis-

Dispensa Jurisconsultus & Poeta non vulgaris Neapoli vivebat MDCXXXVI; Joseph Taberna Minor Capuccinus, & Jacobus Virga Sacerdos, Siculos inter scriptores relati, de Josepho jam supra. Nostris diebus Petrus Vincentius Platamone generis nobilitate, & ingenii pręstantia clarus, Ordinis S. Dominici Magister, post Siculam provinciam summa prudentiæ laude administratam, Liparitanus Episcopus renunciatus ad plures annos optimi pastoris opinione eam Ecclesiam rexit. Denatus est anno MDCCX.

CAMARATA Fluvius. Vide *S. Petri*, & *Platani*.

CAMARATA Mons ex Cascino a Kamara Gręco vocabulo appellatus, quod *Fornix*, *Testudo*, *Camera* est Latinis; in eo enim Crypta, sive antrum longissime concameratum extat, ab Ecclesia S. Eliæ circa occasum patens, atque ad oppositum montis latus, *Tibricum* appellatum, a flumine S. Petri haud procul exitum præbens. E regione occidua mons surgit *Rosarum* æqualis pene altitudinis, & ambos cum *Camerata* monte, Quos proin Gemellos Plinius, Cascinus & Invegius credunt. Quamvis Cluverius Gemellos Montem Mellis, eique proximum esse affirmat, cui Maurolycus accinit. Vide *Gemelli Montes*.

CAMASTRA recentis nominis opidulum, Ducatus titulo ab anno MDCXXV. Philippi Regis diplomate clarum, aliter *Ramulia*, in Narensi Comarchia, & Agrigentina Diœcesi sub colle sedet ad austrum. Lares Pirri ævo habebat 40. incolas 70. Ex censu MDCLIII. in Regiis libris computati sunt multo plures. Anno MDCCXIII. focis 98. incolis 328. constabat, qui hodie 414. Major sacra ędes & Parochialis sub Presbytero Curato, SS. Salvatori addicta, Jacobum Lucchesium authorem agnoscit, qui MDCXX. Opidum primus instituit.

Agrum jure matris *Macalde de Josa*, anno MCCCCVIII. tenuit *Matthaeus Palagonia* inter Reginae Mariae custodes cum primis adscriptus. Sed longe ante a Friderico II. *Galeanus Bonsilius* dono acceperat; Ex Matthaei heredibus *Joannes Antonius* Nari oriundus, *Bernardo Lucchesio* civi suo vendidit, sive uti alii evulgant, in filiae Philippae dotem assignavit. Ex *Bernardo* & *Philippa Palagonia* circa XV. saeculi exitum *Antonius Lucchesius*, unde *Bernardus* II. Et ex eo *Matthaeus Jacobi* pater, qui primus *Camastrae* Dux, Summantini Dynasta, & opiduli fundator. Hujus unica filia & heres *Joanna* data est uxor *Joanni Octavio* Lanceae, Trabiae Principi anno MDCXXV, ex quibus *Laurentius* prodiit, qui cum Aloysia Moncada *Octavium* genuit; Sed Ducatus honorem *Josephus Lancea* Laurentii frater est assecutus. Fuit ille Ordinis Equestris de Alcantara, Panormi Pretor, primis militiae gradibus ornatus, ac Proregis vices Catanae gessit, quam terraemotu dirutam anno MDCXCIII. instaurandam curavit. Ex uxore Melchiora Castello Joannam filiam tulit, quae *Ignatio Lancea* Octavii filio nupsit, & *Camastrae* titulum illi reddidit. Ager fertilissimus audit.

CAMICUS Urbs vetustissima Sicanorum aevo, de cujus situ variant opinionibus Scriptores. Stephani Epitomator: *Camicus urbs Siciliae, in qua Cocalus imperavit*. Hanc Daedalus ad Cocalum a Minoe fugiens construxit, ipseque Minos in ea Cocali dolo balnei aquis praefocatus interiit. Hinc Cretenses, Regis sui mortem ulturi, *Camicum* quinquennio obsederunt; quumque nec expugnare eam possent, nec diutius permanere, illa relicta, tandem abierunt, quorum major pars per varia insulae loca sese effudit, sedesque diversas occupavit. Id certum in Sicania *Camicum* fuisse sitam, uti

enim

enim alibi dictum, Sicania ea pars insulæ fuit, in quam Sicani populi a Siculis primum, inde a Græcis aliisque compulsi sunt, quæque ad occasum hybernum vergit. Cluverius Cannarum fluvium describens: *Citra hunc*, ait, *mille ferme passus, totidemque a mari recedens, Opidulum est, aspero, & natura munito situ, quod vulgo incolis nunc vocatur Siculiana. Id ex situ antiquum illud esse Camicum opidum collegerim.* At vetustus Historicus Diodorus lib. iv. *Dædalus*, scribit, *apud Cocalum, & Sicanos multum temporis consumpsit; & apud omnes ob artis excellentiam in summa fuit authoritate, & honore singulari. Edidit in hac insula opera quædam, quæ ad hæc nunc usque tempora perseverant.* Mox subdit, *In Agrigentino, qui nunc vocatur ad Camicum, agro urbem in petra omnium munitissimam statuit.* Urbem hanc fuisse postea Agrigentinæ urbis Arcem constat ex Polybio, & aliis, qui de Agrigento loquentes *Arcem in Camico* appellant. Herodotus aliunde alibi, Diodoro, & Polybio longe antiquior, Agrigentinos, testatur, sua ætate incoluisse *Camicum*. Strabo quidem lib. 6. *Camicum* interiisse dicit, quia jam sui juris non erat, & in Agrigenti arcem commutata urbis formam amiserat. Fazellus intra Agrigenti fines *Camicum* constituens, certum judicare situm non audet; Ortelius, & Leander apud Camaratam, uti innui, stetisse dicunt; at enim longe munitioris situs fuisse *Camicum* constat, in qua Cocali gazas Dædalus servandas locavit. Qui denique Inycum seu Inyctum idem cum *Camico* fuisse credunt, toto errant cœlo. Nam Dædalus *Camici* author a Cocalo in urbe regia Inyco degente, exceptus dicitur a Pausania in Achaicis; adeoque Inycum ante Dædalum extabat. Quod Omphaces fuerit *Camicus* appellata,

lata non inani conjectura alii evulgant, qui Agrigenti Arcem Onphacem quoque dictam adstruunt; Cętero *Camicus* una tantum via, & angusta adiri poterat. Subdam hic Bocharti verba de *Camico*, ne quid intactum relinquam, ad hanc urbem vetustissimam spectans: *Cluverii somnium est duas fuisse Camicos, unam Agrigenti partem, alteram, quo loco diximus. Neque enim quidquam obstat, quo minus ad hanc pertineat, quidquid de Camico legitur apud veteres. Dædalum quippe Diodorus Camicum condidisse scribit ad eam Agrigentinam, quæ nunc in Camico dicitur; sed non debet id ita accipi, ac si Camicus fuerit pars Agrigenti urbis. Tantum vult regionem illam, in qua Camicus condita est, suo tempore dictam fuisse Agrigentinam in Camico, idest Agrigentini Agri partem, quæ ad Camicum amnem sita est*. Sed huic Bocharti censioni abunde respondet Josephus Pancratius Thesaur: Antiq: Sicul: Tom: 1.

CAMICUS Fluvius Cluverio, & Bocharto post Agrigentum, qui hodie *Cannarum* dicitur; aliis vero Agragas ipse; Quum enim illi *Camicum* urbem ad Siculianam statuant, *Cannarum* amnem, de quo mox dicam, circa Siculianam ortum habentem *Camicum* putant. Contra, qui Agrigentinam arcem pro *Camico* intelligunt, flumen hodie Agrigentinum, olim *Camicum* appellatum evulgant. Duris Samius urbem *Camicum* ab eo sumpsisse nomen affirmat.

CAMIS Mons. Consule *Canis*. Dicitur etiam *Camus*

CAMPUS BELLUS *Ad Leocatam* novissimæ originis opidulum in agro cognomine, qui supra Ravanusam, Leocatensis ditionis, late extenditur; & fertilitate celebratur. *Obnoxius* hic olim fuit sub Friderico

rico III. *Simoni de Matthaeo*, subinde MCCCCVIII *Sancio Dexeo*. Nec diu post ad *Marinum de Matina* devenit MCCCCXXX, aliosque ejusdem familiæ; Tandemque elapsi sæculi initio ad *Matthæum Trigonam*. Ex qua nobili gente *Asdrubal* floruit MDCXXIX. Hujus soror Joanna Trigona Vincentio Raymundetto Sanmartino nupsit, inter Catanenses Patricios nulli secundo, unde Raymundus, & Joannes. Ille in patria subtitit, & Pardi Princeps MDCLXXXIV. evasit; Joannes legum scientia clarus, supremas in Regno assecutus dignitate , cum Isabella Mari *Raymundum*, aliosque progenuit. Hunc *Campibelli* hæredem Asdrubal junior *Herculis* filius moriens dixit, cui *Æmiliam Trigonam* sororem nuptui dederat. *Joannes Maria* horum filius Montis Albi Dux renunciatus Regi a Cubiculo, quartum Panormi Prætor, ex XII. Regni Viris, magnificentissima publica opera vario tempore molitus, Regiam urbem, ejusque maritimam oram elegantiorem reddidit. Morte demum interpellatus MDCCLVI. Antonium filium reliquit cum Maria Riggio generatum, Regię Militię Tribunum, ac Triremis *Præfectum*. Paræcialis *Campibelli* Ecclesia sub Archipresbytero, S. Joannis Baptistæ titulum refert, atque Agrigentini *Episcopi* fasces recognoscit, qui suum deligit Vicarium. Dynastæ domus elegans est; situs in levi tumulo amœnus; viæ rectæ, & æquales; fontes in agro uberrimi, messes, vindemiæ divites, pascua pinguia, lares anno MDCCXIII. 113. incolæ 202. sed hodie 1356. Longitudo demum grad: XXXVII. XL. Latitudo grad: XXXVII. XV.

CAMPUS BELLUS Opidulum in Comarchia, & Ecclesiastica provincia Mazarensi, aliter *Berribayda* sive *Perribayda* ab antiqua Sarracenica arce ejusdem nominis, quæ ex Fazello ad radices collis Cozzi in

aqui-

aquilonem sedet, circa dexteram Arenæ amnis ripam III. circiter pass: M. a Selinuntino littore, & Triumfontium promontorio. Est Campusbellus situs parumper declivis sub arce in austrum; amplis, rectisque viis describitur; laribus 95. incolis 234 Pirri ævo; sed focis 203. hoc sæculo, incolis 842. & novissime 1018. conflatur; Ducatus titulo ab anno MDCXXXVIII. gaudet, circa quod tempus originem recognoscit. Majus & parochiale templum S. Mariæ de Gratia nomen præfert, quod dudum sub Fratrum Prædicatorum inspectione, teste eodem Pirro, fuerat. Ducis satis elegans pene in centro domus assurgit, qui necis, & vitæ potestatem habet, & in Comitiis votum 12. pronunciat. Ex his primus *Joseph Neapolis* Troinensis, supremus in Hispaniis pro Italia Regens, cujus decessores in *Perriboyda* Feudo alibi dabo, Heredes vero, & *Campibelli* Duces, de Resuttana loquens reddam. Ager Baccho, & Cereri amicus, ut Poetarum utar vocibus, & oleis, piscuisque dives audit.

CAMPUS FRANCUS Diœcesis Agrigentinæ oppidum, sub Castrinovi Comarchia, sed in Suteræ ditione, Principatus insignibus ornatum, in agro *Fontis Rosarum* anno MDLXXIII. ortum, authore *Petro Campo* invenit. Tumuli dorsum leviter declive occupat ad aquilonem, & orientem vergens sub Sutera, a qua pass: MD. circiter dissidet. Æde majori S. Joanni ante Portam Latinam sacra, sub Parocho Archipresbytero, ac tribus aliis minoribus Ecclesiis decoratur; necnon Minorum Conventualium cœnobio S. Francisci titulo ab anno MDXCV. juxta Cagliolam, vel MDLXXX, ut Pirrus scribit, fundato, ac Principis demum palatio eleganter constructo fulget. Illius census anno MDCLIII. fuit larium 341. incolarum 1146 Pirrus vero auctum

dicit

dicit laribus 481. Anno MDCCXIII. lares 537. numerabat, opidanosque 1830, & in ultima descriptione 2254. His specialis est Patrona S. Anna Deiparę Mater. Jus gladii Dynastis competit, & in publico Regni concilio locus XIX. inter Principes. Quorum series hęc est: *Petrus Campus* primus opidi Dominus & fundator, *Joannem* habuit filium cum Isabella Castello procreatum, & Apolloniam, quæ N. de Afflicto nupsit. *Joannis* hęres *Franciscus* anno MDLXXXI. Dynastiam est assecutus, ex quo *Hercules*, & *Petrus*. Hic se a patre vocatum dictitans, *Eleonoræ Herculis* filiæ litem intendit, sed repulsam passus nepti locum cessit, quę *Fabritio Lucchesio* nupta. Hic anno MDCXV. *Campifranci* Princeps renunciatus ex *Eleonora Franciscum*, & *Antoniam* filios tulit. Ille sine prole decessit, *Antonia* mundo renunciaverat; hinc *Stephanus Riggius*, Campiflöridi Princeps, ex Apollonia Petri I. filia jus habens, in *Campifranci* possessionem inductus est. Uerum *Antonia* avitam hæreditatem adiens, *Salvatori Lucchesio* adjuncta, huic principatum MDCLXIX. detulit. Eorum filius *Joannes* Stephanam Boscho uxorem accepit, unde *Emmanuel* prodiit, qui cum Dominica Gallego *Antonium* genuit, Regis hodie a cubiculo, Equitum Tribunum, humanis studiis, Poesi præsertim addictum qua tantum valet, uti ex tempore de qualibet proposita materia, eruditissime soluto Hetrusco carmine pangat. Ex Anna Maria Thomasia prole est auctus. Fontis Rosarum ager, ubi *Campus francus* fertilissimus est, aquisque abundat, ac inter Salsum & Platanum amnes jacens, nulli ex vicinis decedit.

CAMPUS MINERVALIS prope Himeram veteribus celebratus, in quo thermales aquæ. Minervam eum sibi delegisse fabulantur ob earumdem aquarum

usum

usum. Dicitur hodie S. Nicolai ad Himeræ septentrionalis, seu Fluminis Magni sinistram ripam. Ubi Bonfornellus Arx.

CANALOTTUS Fons in Clusitano agro, cujus aqua lapidescit. De eo Fazellus.

CANDICATTINUM Opidum hodie copiosum montis hæret declivi in ortum, IV. pass. M. ab urbe Regia Naro in meridiem. Inęqualis est schematis, viis nempe angustis, indirectis, arduisque, ac torrentis alveo dividitur, ubi pons lapideus, sed publicis, ac privatis ædificiis non ignobile splendet. Princeps Ecclesia S. Pancratio Episcopo sacra, cujus est festum celebre cum nundinis, in ipso pene centro, mole, ordine, & amplitudine spectanda, ultimam expectat manum; Parochus hinc, ac *Mansionarii* XII. *Almutio* insigniti in S. Sebastiani æde ad inferiores plagas assurgente, curam agunt animarum, divinisque ministeriis intendunt. Majori septem aliæ subduntur, quas inter S. Blasii ab anno MDCCLIII, ad sacra incolis ministranda, in sociam adscita, fulget. S. Francisci Conventuales ab anno MDLIV. coaluisse Philippus Cagliola affirmat; Pirrus Philippo Bonanno Dynastę fundationem attribuit sæculi XVII. initio ad ortivas oras in levi tumulo; ubi decens claustrum, magnifica Ecclesia, plastico opere, picturis, & sepulchro marmoreo, ornata visitur. Assurgit prope frequens opidi regio citra torrentis alveum, qui ad fori venalis usque crepidines extenditur, & ad amœnissimos subjectos hortos ducit. Carmelitarum Cœnobium septentriones versus, elapso etiam sęculo ineunte, originem cognoscens, amplum, sed pene desertum cum adnexa sacra æde spectatur a majori foro haud procul. Prædicatorum Domus anno MDCIX. in humiliori solo ad meridiem,

Phi-

Philippi Bonanni mox laudati opera constituta, elegans, & spatiosa assurgit. Minores Observantes ab anno MDCXXXIII. circa aquilonares supremas oras locum occupant, claustra, & Ecclesiam sub S. Spiritus nomine spectatu dignissimam habent, ubi Dynastarum exuviæ conduntur, & S. Didaci Patroni sollemnis dies cum munditiis celebratur. Sanctimonialium denique sub Benedictina regula Conclave medio pene opido, in tumulo ad occasum late patens circa MDCL. Christi annum erectum, decorem illi conciliat. Prope S. Sebastiani Domus Hospitalis ad infirmos, & peregrinos fovendos subrigitur, in cujus Ecclesia insignis S. Joseph imago, aliæque tabulæ admirationem merentur. Deiparæ Collegium nuper originem cognoscit.

Sacris hisce ædificiis publica alia opera respondent; nam tumulo ad aquilonem, ubi dudum Arx, Principis Palatium, ad austrũ respiciens sedet. Laxioribus aulis, cameratis conclavibus illius superna distinguuntur, vario ornatu, pictura, ac splendida supellectili exculptis; Inferiora officinis, & armamentario deputantur. Celebris per insulam universam *Candicattinensis* Armamentarii permeat fama. Militares enim omnis generis armaturas, equestres præsertim, longo ordine continet, auro, & argento vermiculatas, communis nedum, sed & proceræ etiam ac giganteæ staturæ, quas inter Clypeus, & Cassida dimidii Anaglyphi opere eminent; tum bellica manualia tormenta, varii, & peregrini artificii, binis, tribusque, aut fistulis, aut rotis, & plures idcirco glandes uno ictu explodere apta; sclopos pneumaticos, machæras, gladios, cuspides, lanceas, sicas, clavas, capulis elegantissimis, ensemque præcipuum, quem vulgus Rogerii Comitis olim fuisse tradit, ac alia demum id genus innumera, nec qui-

dem vulgaria complectitur a priscis dudum Baronibus gloriæ cupidis collecta. In hujus porro basilicę satis ampla area turris cum horologii opere conspicitur. Stetisse eodem loco veterem opidi arcem non inficior, apud Historicos memoratam, ejus tamen vestigium extat nullum. Jam duplex est venale forum, supremum unum, quod fons e marmore Ligustico, aquis redundans, cum Mercurii statua exornat, *Burgalinus* appellatus; Majus ad imam regionem aliud, in cujus centro fons etiam longe elegantior, triplici ordine assurgit; nam labro, vase, Neptuni simulacro, aliisque emblematis, & Famę signo in summo ad artis miraculum concinnatur, latices ingenti copia fundit, clatrisque ferreis vallatur. Ad opidi fines larga via in austrum M. circiter pass: protenditur, Narum ducens, viridi, opaca arbore utrinque septa, quam statim, ubi incipit, conspicuam reddit late affluentibus aquis marmoreus fons; mediam mox fons alter condecorat magnificentior ad occasum, Adæ, & Evæ statuis, obeliscis, numismatis, ferarum signis, gentis *Bonanno* demum stemmate excultus. Ingens vivarium ubberrimas ejus excipit aquas, ubi pisces nutriuntur, & amœnissimum succedit viridarium in ortum. Moles hasce cum utraque in via, tum in foro Princeps *Jacobus* III. diu *Candicattini* commoratus, ære suo post elapsi sęculi CX. annum, jussit, instituit, fundavit, merito idcirco novus *Candicattini* conditor dicendus. Gaudet opidum aere temperato; computatur in Comarchia Narensi, & Diœcesi Agrigentina, cujus etiam urbis Militari Pręfecto, equites III. pedites XVII. emittens, subditur. Longitudo grad: XXXVII. XXX. Latitudo XXXVII. XX. colligit. Gladii potestas Dynastæ competit, ac inter Barones locus XVII. Idem Decuriones, alios-

que

que administros deligit. Clerus ab Episcopi Vicario pendet, Cives commode degunt, Aratores ob agri prę-stantiam uberes messes experiuntur.

Conflatur *Candicattinus* ager duos inter fontes Nari fluminis, Dammisa, Vitosoldano, Palco, Casalotto, aliisque feudis. Singula porro pascuis lætissimis rem pecuariam augent, saltibus, & sylvis idoneam venationem suppeditant, solo frumenti, aliarumque frugum fertilissimo utuntur, vina præcipua, oleum, fructus, olera, mella, sufficiunt. In Vitosoldano, de quo dica, dudum Deiparæ marmoreum signum detexerunt, atque in opidum II. passi m. inde dissitum retulere. Rudera quoque veteris habitationis, nec pauca, columnarum fragmenta, numi cujusque metalli, præsertim Consulares, aliaque monumenta agricultoribus occurrunt; unde cum Æthnicorum, tum Christianis temporibus locum mortales coluisse assequimur. Dammisa III. passi m. distans in ortum, Palcus, Casalottus nonnisi ad pass. m. in septentriones, vetustas quoque ędificiorum reliquias ostentant; ex quibus & proximum *Candicattinum* recentis originis non esse arguimus. Ejus quidem mentio, quamvis in Rogerii Comitis ætatem vulgo referatur, ex Regiis tamen libris nonnisi sæculo XIV. elucet, *Lucas* enim de *Formoso* Agrigentinus, Castri Dominus memoratur, qui Martino in censu, quod Raymundo Moncada adhæserit, & carceri cum filio mancipatus, sæculo XV. in gratiam receptus dicitur; Sed an fuerit in Castri possessionem immissus subdubito; in ejusdē quippe cēsu de anno MCCCCVIII. *Salvatori de Palmerio* obnoxium *Candicattinum* invenio, ab cujus filio *Antonio* MCCCCLIII. *Andreas de Crescentio*, Agrigentinus & ipse, numerata pecunia emit. Hic ab Alphonso, Casalis fines dilatandi facultatem impetravit. Ex-

cepit *Andream* filius *Joannes*, unde *Raymunda* prodiit, *Calogero Bonanno* Calatajeronensi equiti nupta. Confirmatus *Calogerus*, gladii potestate MDVII. auctus est; missusque ad Ferdinandum Catholicum pro patria legatus, militari cingulo ab eodem Rege insigniri meruit. Ejus filius *Philippus* Eleonora Platamone Syracusana in uxorem ducta, militari gloria, ingentique animi virtute sub Carolo V. floruit, ad quem pro patria nuncius est destinatus. Cum Vassallo Gravina Belmontis, & Cansariæ Domino, in Terræ novæ arce aliquando armis contendit, quē cum suis in fugam egit. Ludis Equestribus delectatus, dexteritatis, & peritiæ insigne præbuit specimen. *Candicattinensi* demum Armamentario nitido cultu expolito, relictoque *Joanne Baptista* filio post sæculi XVI. medium mundo eximitur. *Joannes* Isabellam Roccam sibi conjunxit, cum qua *Philippum*, aliosque procreavit. Ex *Philippo* & Antonia Romano Columna Montis Albani Domina *Jacobus* prodiit. Literis hic, & armis clarus, de Patria Syracusa, cujus edidit Historiam, egregie meruit. Primus Montis Albani Dux Candicattinum publicis elegantissimis ędificiis instruxit, literatos viros fovit, multisque se nominibus commendavit. Reliquit ex Antonia Balsamo Liminæ Marchionis, & Roccæfloridæ Principis filia, & hærede *Petrum*, & *Philippum*. Ille utrique parenti successit, Burgundorum Equitum Proregis custodum Centurio, atque ex XII. Regni Viris fulsit; sed ex Violanta Notarbartolo uxore prolem non habuit; hinc *Jacobus Philippi* filius eidem subrogatus est MDCLXI. Ductaque Francisca Marini in conjugem *Philippi* pater effectus, unde *Franciscus* Catholicæ etiam Princeps, de quo & aliis alibi.

CANIS MONTANEA *Canne*, *Camis* etiā Mons

dici-

dicitur, in agro Caccabi, post Thermas Himerenses, maris habens prospectum, ubi veteris opidi reliquiæ. Crypta in eo, unde lapis educitur alchalicus, olim in pulverem redactus, *Terra Tabernarii* appellatus, variis morbis præsens remedium. Fontes quoque habet circa radices cum aquis saluberrimis; Achates, jaspides, porphyritides, aliosque id genus continet. Nautis noctu lucidissimus sese offert, in ejus aquilonaribus lateribus carbunculus, aut simile aliquid, syderis instar, qui ubinam situs, nusquam, diurna affulgente luce, indicari potuit. Non deesse ibi Metallicas quoque venas, quibusdam persuasum; hinc Sarracenis Mons Aureus appellabatur; Et si vani homines ob thesauros in eo absconditos appictum illi nomen vulgo affirmant. Venationi demũ aptissimus evadit, feras enim nutrit, vulpes, lupos, asperrimis præsertim, inviis, sylvosisque in saltibus, qui sępissime per cuncta occurrunt montanea.

CANIZARUS Fons in agro Panormitano, Sarracenis *Ayunnizzarus*, *Kemonias* in Guillelmi II. literis de anno MCLXVI. Oritur ex fonte prope Parcum, defluensque per vallem a *Fica* appellatam molas convolvit triticeas; copiosas adeo, e profundissimo angusto fonte, statim profundit aquas. Olim post irrigatos Panormitanos agros in urbem illapsus, veterem, & novam urbẽ Paleopolim, & Neapolim disterminabat, ubi hodie *Albergaria* regio; hinc Northmannorum ęvo *Kemonia*, idest *Torrens* dicebatur. Ejus ripas Malaterra lib: II. commendat, quód arboribus utrinque consitis refertę amœnissimum spectaculum oculis afferrent; nunc inOretum se exonerat. Sed pluviali tempore nimium auctus recta ad urbem tendit, sub regio Palatio mœnia pulsat, derivatusque per alveũ,arte paucis ab hinc effossum per eisdem mœnibus australibus, sub propugnaculo

culo a Græcis appellato, mari sese admiscet. Alio nomine Fluvius *Malitemporis* dicitur, quod pluviis nempe ingruentibus auctus, Panormum usque decurrat.

CANNARUM Fluvius, olim *Camicus* juxta Cluverium & alios, ad cujus nempe ripas *Camicus* Cocali Regis metropolis sedebat, de qua urbe jam supra scripsi. Duris a Fluvio nomen *Camico* appictum affirmat, Bochartus vero urbem fluvio nomen mutuasse tradit. Oritur supra Siculianam opidum, quod ab ora maritima pass: MD. dissidet, auctusque aquis ejusdem agri, in Africum se condit.

CANNATELLUS Amnis ex fonte ejusdem nominis, Opiduli S. Margaritæ fines abluit, & in Carabum influit.

CANNAVERA Fons Jati fluminis sub Scala Curiæ, de quo Fazellus Dec: 1. lib: 7.

CAPACIUM Opidulum in Panormitana ditione, ad pass: circiter XII. M. aquilonem versus, ab ora vero maritima pass: MD. sub colle, contra Feminis insulam, seculi XVI. medium origine haud excedit; Comitatus insignibus ab anno MDCXXV. clarum, hodie *Hieronymo Pilo* subditur. Aretius Motyam Polybio, & Thucididi memoratam circa hanc regionem stetisse affirmans, illius reliquias haud procul esse in prædio, cui *Capicis* est nomen, scribit. Dynastæ magnifica domus opiduli centrum occupat, circa quam majus parochiale templum S. Erasmo Episcopo dicatum assurgit, minoresque duæ aliæ Ecclesiæ sub Archipresbytero videntur, & Mazarensis Episcopi jura recognoscunt. Incolę sub annum MDXCV. erant 321. sed Pirri ævo in laribus 141. opidani 615. habitabant. Anno MDCCXIII. lares 221. incolę 882. numerabantur, & novissime 1057. censentur. Feudum ejusdem nominis *Flos de Ciissario* cum Falconara possi-

possidebat anno MCCCVIII. Sequentis sæculi initio *Gilibertus de Bononia Capacis* Baro dicitur, cui filius successit *Franciscus*, & huic *Hieronymus*. *De Francisco* legimus, quod Regias partes secutus, Joannis Lucæ Squarcialupi conatibus sese cum aliis opposuerit, eumdemque tandem confecerit. Fuit Cephalæ etiam Dominus, Marinei opidi author, & Siciliæ Quæstor, uxoremque habuit Antonellam. *Hieronymus* porro ante patrem florenti ætate decessit, *Franciscum* idcirco *Gilibertus*, Marinei primum Comes, mox Marchio excepit, ex quo *Vincentius* Panormi Pretor, XII. Regni Vir, Messanæ Strategus. Hujus, & Æmiliæ Aragonæ filii *Franciscus* & *Julia*. Ille Hippolytam Larcan duxit uxorem, cum qua Beatricem procreavit, Joanni Bononiæ nuptam, XXII. ætatis anno absque prole fato interceptam. *Julia* hinc *Francisci* soror ab ejus morte obtinuit, quam *Vincentius Pilo & Calvello* sibi copulaverat. Huic Comitis *Capacis* Philippi IV. privilegio, titulus obvenit, ac *Laurentius* est natus, Aloysiæ Ortoles maritus, qui prole caruit, Ejus idcirco frater germanus *Hieronymus* MDCXXXIII. dynastias assecutus annos LV. tenuit, sterilem cum Anna Valle & Perna torum expertus. Post eum alter *Hieronymus* junior suffectus, Vincentii filius, Francisco Hieronymi senioris fratre progeniti. Is Roccępalumbę etiam Princeps, Proregis per insulam Vicarius, & patriæ Prætor effulsit, filiumque ex Ursula Migliaccio *Ignatium* habuit; ex quo & Joanna Francisca Dente *Hieronymus* hodie vivens. De his rursus ubi de Marineo. Ad *Capacis* littus Turris subrigitur specula.

CAPILLERIS Nemus ad Montis Regalis Pontificem spectans, & in ejus Ecclesiæ Regestis num: XLIII notatum, post Parcum vetus, inter Corleonis, Pla-

nae,

næ, & Marinei territoria, Busamar montis radices occupat; Dumetis, saltibus, & salebrosis tumulis asperum, quercubusque, ilicibus, aliisque id genus arboribus densum late extenditur; Apris, damis, cervis, dasypis, ferisque passim abundat.

CAPRARIA Insula a Capris, quę, teste Homero, ibi alebantur, appellata, Græcis idcirco *Ægusa*, hodie *Favignano*. Vide infra.

CAPRIANUS Mons. Consule *Restsius*.

CAPUT ALBUM, seu promontorium inter Sicelianam, & Platani fluminis ostia. Ibi Turris specula. Ejusdem nominis & vulgo *Punta Alba*, est promontorium inter Hypsæ fluminis, seu Nari fauces, & Montem Clarum. Contra scopulus in mari ad D. passi ab ora, *Petra Podella* dicitur, passusque cc. in gyrum habet.

CAPUTARSUS Pons, Himeræ meridionalis, sive Fluminis Salsi ripas conjungens sub collibus, quibus Calatanixecta insidet, unico constat fornice, ac rupibus altissimis utrinque innititur; ad quem levis ascensus patet concameratus, ubi pro iter habentibus diversoria. Carolo v. Cęsare, Joanne Vega Prorege, publicis impensis anno MDLIII. constitutum inscriptio docet, cum Regiis insignibus, binisque columellis & effato: *Plus ultra*. Fornicis altitudo est palmorum LXXX, latitudo CXIII. Æs in eo profusum II. M. uncias exhausit.

CAPUT BOEUM Promontorium insulæ ex tribus præcipuis unum, aliter *Lilybæum* occasum versus.

CAPUT COFANI in occidua ora post S. Viti Caput, sub Eryce, ubi Turris ad littoris custodiam a S. Joanne appellata. Nomen illi a proximo *Cofano* colle obvenit, ad cujus radices fons *Bayhutus*, cutaneis morbis curandis aptissimus.

CA-

CAPUT FŒDERIS, vulgi vocabulo: *Feto*, in Mazaræ urbis littore occiduo, quod Africę oppositæ proximius adhæret, Fazello, & Camiliano authoribus; Turrim habet speculam. Statio ejusdem nominis hinc sequitur, quò minores naves tuto se recipere possunt.

CAPUT GALLI in Panormitanna aquilonari ora post Mundellum ad collis radices, a *Gallo* & Mundello appellati. *Gal*, ait Cascinus, Arabis est Collis.

CAPUT GRANITOLUM, seu *Trium Fontium* in Selinuntino littore ad austrum haud procul a portu Mazarensi cum turri specula.

CAPUT RAMA. Sinus Castelli Maris inde initium habet ad ortum, ubi Turris.

CAPUT S. VITI. Celebre Promontorium ab ęde ejusdem S. Martyris, *Ægitarsus* veteribus, sive *Ægitallus*. Sinum Castelli Maris ab occasu claudit, atque ob varia celebratur monumenta. Ultra Ecclesiam, quæ barbaris ipsis eo fortefortuna appellentibus, venerationi semper extitit, puteus haud procul dissidet, cujus aquæ canum morsibus sanandis aptissimæ ob S. Viti intercessionem, qui cum Crescentia e patria fugiens eo appulsus dicitur. Lucus etiam Aretio memoratur, cujus virgulta variis medicis virtutibus prędita. Crypta insuper aquæ guttas fundens, quæ mox lapidescunt, teste Cordice in Erycina Historia. Conterranam ibi olim stetisse Jacobus Adria affirmat. Hinc Scopulus D. pass: a littore recedens Conterrana dicitur, de qua suo loco. Mons S. Viti circa hæc ipsa loca, in quo Equi sylvestres degunt, consurgit.

CAPUT URSÆ, post insulam Fimis, seu Fœminarum in aquilonari latere, cui haud longe Murus Carinis abest, de quo inferius. Cum Gallo Carinensem sinum complectitur.

CAPUT ZAPARANÆ. Sarracenis *Zaferan* est *Sibilare*, quamque mari circumfluus sub Gerbino Monte scopulus subrigatur, cum Turri specula hodie diruta, in sinus Panormitani cuspide ad ortum, ubi marini fluctus sonitum, sive sibilum edunt, a *Zaferan* idcirco illud vocatur. Gascinus in Carthaginiensi sinu ejusdem esse vocabuli promontorium scribit, unde nomen Siculo Panormitano factum adstruit.

CAPUTUS Mons agro Panormitano ad hybernum imminet occasum, amplisque extenditur radicibus; & ubi circa extrema latera austrina parumper declivis æquatur, Montem Regalem, Archiepiscopi sede decoratam urbem substinet, olim vero suburbanis Regum Siciliæ ædibus nobilitabatur, qui venationis delicias ibi perquam sæpissime delibabant. Ad aquilonem porro, & occasum aliorum collium jugis adhæret, suspensasque convalles gramine, & fruticibus amœnissimas respicit, ac insigne S. Martini cœnobium de Scalis appellatum habet; Circa orientalem verticem lata planities sternitur, frutetis, vineis, oleisque dives; Ad radices S. Marię de Rocca sedet asceterium. Supremus circa occasum clivus celebri urbis Metropolis viæ a Cassaro nuncupatæ respondet, arcemque inædificatam Northmannorum temporibus ostentabat, quæ integros nunc muros, fornices aliquot, & scalas servans vetustatem cum magnificentia præsefert, & Castellacium appellatur, de quo inferius. Ubi Mons Regalis sedet copiosis aquarum venis urbem recreat, hortos, & pomaria ad imas usque valles irrigat. Hæc vero tanta ubertate fructus suppetunt, ac tam amœno cultu virescunt, uti inter insulæ agros primatum referant. De Monte Regali suo loco fuse reddam.

CARABUS Fluvius, veteribus *Atys*, de quo non-

nulla

nulla procul, & *Acithis*; perperam ab Ricciolio, & Ferrario *Isburus* creditus; oritur sub Calatabellotta ad occidentem, dilapsusque, *Favaram*, seu S. Joannis fluentum, circa Sambucam originem habens suscipit. Augetur paulo subter Cannatello, de quo dixi, admissisque aliis fontibus, & copiosis aquarum venis post Saccam ad pass: м. v. mare ingreditur. *Carabus* dicitur S. Bartholomæi Ager, ubi olim casale, cujus memini.

CARINIS Opidum, *Hyccara* olim celebris urbs, aut si Aretio credimus, *Cetaria*; collem amœnissimũ frutetis, vineis, oleisque consitum, haud procul ab aquilonari littore, & pass: м. xviii. ab urbe Metropoli, occupat, agrumque Panormitanum post Capacium opidulum excipit. Ejus origo, sive instauratio incerta; nam stetit *Hyccara* ad promontorium, ubi hodie Murus *Carinensis*, Subinde ante Sarracenos in loco, ubi hodie S. Nicolai diruta Ecclesia cum opidi veteris reliquiis constitutum affirmant, quod pass: circiter м. ab hodierno diffidet, & *Carinis* vocabulum referebat, Episcopali cathedra decorabatur, & Pauli Diaconi testimonio a Sarracenis dirutum dicitur. Rogerius Comes integrum invenit, ab eisdem utique barbaris restitutum; Parochiam quippe Mazarensem designans, *Carinim* memorat, ejusque agrum Panormitano confinem asserit. Arx igitur in rupe hodie aquilonem versus conspicitur, laxiores excipiendis dynastis aulas, externasque munitiones habens, quam *Pirrus* Manfredo Claromontano adscribit, cujus ostentabat insignia; At *Carinenses* id negant, nullamque tesseram extare, unde Arcis author ille dici possit, mordicus contendunt. S. Juliano olim sacram Principem Ecclesiam idem author evulgat, ab anno мcccc. & huic S. Viti

Mar: ędem successisse, in cujus portę superliminari annus MDXXXII. extat adscriptus, demumque parœcialia jura in Deiparæ ad cœlos assumptæ elegantissimum templum translata scribit. Atenimvero, dum hujus ędificia promoverentur, quæ circa elapsi sæculi medium completa sunt, in S. Viti, uti decentiori loco, sacram synaxim fuisse celebratam cives enarrant, retroactis hinc temporibus hoc ipsum Assumptę Virginis unicum & perpetuum parochiale extitisse sustinent. Surgit circa opidi centrum, estque illius Curator Archipresbyteri titulo insignis, Divinis officiis cum subjecto Clero quotidie intendens. Ubi situs haud procul suspenditur, amplum venale forum spectandum se præbet, cui Fratrum Prædicatorum S. Mariæ de Rosario cœnobium hęret, Mariani Vechii, viri æque probissimi, ac docti opibus MDXXX fundatum, quo etiam tempore depressiori in loco Carmelitis Vincentii de Grua Talamanca Dynastæ pietas claustra construxit, ac ditavit. Minoribus Conventualibus ædes S. Rocchi ab anno MDCXII. data est; sed ejusdem instituti Reformatos hodie deletos S. Antonii *Lamancusa* excipiebat. Minores de Observantia primum in S. Mariæ Magdalenæ prope locum Belvedere ad pomœrii oram, inde MDCX in S. Laurentii vetustam Ecclesiam, quæ in editiori sedet jugo, migrarunt. Hanc porro olim Pactēū Episcopo dedit Rodulphus Bonellus Comes, subinde Fratres de Mercede occuparunt, quibus recedentibus, Observantes tenuere. Capuccinis extra opidum edita, & amœna planities anno MDCIII. obtigit, Cęsaris, & Agathæ de Bisco opera, quorum Conventum nobilem Pirrus appellat. Moniales ordinis S. Dominici dudum sub S. Mercurii titulo cœnobium habebant a fluento haud procul; quo relicto, elapsi sæculi

anno

anno xxxi. salubrioris aeris obtentu, novum S. Vincentii coluerunt, stipem Vincentio' Dynasta suppeditante, extructum; Domus demum Hospitalis S. Spiritus pro egenis, sacrarum ædium claudit seriem. Prætoria Basilica elegans, reliqua honestiorum civium ędificia, decenti cultu opido ornamentum conciliant, antiquas enim divitesque familias illud complectitur; ex quibus deligit Princeps Magistratus annuos cum potestate gladii.

Clauditur *Corlnis* Panormitanæ Comarchiæ finibus, & in Monregalensi militari *Præfectura* computatur; sed oræ maritimæ, quæ ad opidum spectat, custodiendę indigenę milites intendunt. Agrum possidet amplissimum, in quo vina proveniunt præcipua; eorum idcirco ingentem quęstum incolę Panormi faciunt. Mellitis olim cannis consitus idem ager, utpote aquosus, saccarum non levi copia eximium suppeditabat; at quum inde infestus aer incolis noxius evaderet, segetem hanc pluribus ab hinc annis parum curatam videmus. Fons *Polysenus* eodem in agro celebratur, cujus aquę purgandi virtute sunt prędite; Puteus quoque in S. Rocchi cuspide venas habet lactis sapore, & oleosis particulis innatantibus, insignes. Census sæculi xvi. fuit larium 460. incolarum 3343. Sequentis lar: 1014. civium 4134. Anno mdccxiii. lar: 1183. incol: 3826. novissimus 4376. Latitudo gradum xxxviii. xv. Longitudo grad: xxxvii. vix excedit. Gloriatur Matthæo Orlando cive S. T. Mag: ex ordine Carmelitarum, ejusdemque post omnes emensos gradus Generali ad annos xii. designato, sed viii. vix elapso, ad Cephalędensem in Sicilia cathedram assumpto. Floruit ingenio, moribus, prudentia, aliisque virtutibus, ob quas summis Pontificibus, & Sęculi Dy-

nastis

nastis acceptissimus fuit. Patrium cœnobium exornavit, auxit, suum hęredem moriens anno MDCXCV. instituit. Illustris etiam municeps fuit Joannes Baptista Paganus ex S. Francisci tertio Ordine amœnioribus literis, solidisque scientiis egregie instructus, Philosophus, & Mathematicus presertim ingeniosissimus. Recenset utrumque in sua Biblioth: Mongitore. Memorantur apud Agiographos *Carinenses* Episcopi, de quibus, an nostrę Siculę, an alteri ejusdem fortasse nominis in Calabria sint adjudicandi, dubitatur. S. Gregorius Rhegiensi Episcopo scribit, uti *Carinensem* destitutam Pastore, suæ uniret, eo quod locus esset desertus. Quorsum hæc si *Carinis* esset in Sicilia? Idem Pontifex Barbaro *Carinensi* Epis: mandat Ecclesię Panormitanę visitationem ob *Victoris* mortem vacantis; & loci propinquitas impellit, uti nostrę *Carini* præfuisse Barbarum credamus. Res itaque in ancipiti posita videtur. Superest de Opidi Dynastis disserere.

Tenuit *Carinim* sub Northmannis *Rodulphus Bonellus* inter Apulię Comites nobilissimus, qui uti vidimus S. Laurentii Ecclesiam Pactensi Episcopo donavit sexan. Huic *Matthæus Bonellus* successit, in Siculis annalibus ob Majonis Cancellarii necem, Guilelmi I. ævo celebris. *Palmerius Abbas Carinis* Dominus, Joanni Procidæ ac sociis in Gallis profligandis magno adjumento fuit, Regibusque Aragonensibus ad mortem usque suam probavit fidem, quam ex vulneribus navali in bello acceptis, anno MCCC. obivit. *Palmerium Nicolaus* excepit; in Censu enim Friderici II. Cephalæ, Asinelli, Caromacis, Ciminnæ, Cabiscudi, Inichi, & *Tirrafinis* arces & castella, sua sub clientela tenebat. *Tirrafinis* autem in *Carinensi* ditione computatur. Idem porro Cephalę castrum Joanni Claromontano MCCCXXXX

vendi-

venditit. Post *Nicolaum* ejus filius *Henricus* sufficitur, ex quo *Riccardus*. Hic a Martino deficiens bonis privatur; cujus tamen filia *Allegrantia* Matthæo Moncadę nupta *Carinis* opidum, ejusdem Principis beneficio obtinuit. Verum Moncatis etiam deficit e bus, *Antonius Bosco* anno MCCCXCVI. *Carinis* & Cephalæ dynastiis donantur; Nec diu ad *Ubertinum de Grua* a Regiis rationibus MCCCIII. *Carinis* devenit. *Alteriam* hujus filiam *Gilibertus Talamenca* tulit uxorem, & simul opidum est consecutus, ea lege, uti ipse deinceps, ac successores de *Grua* cognomen & arma simul assumerent, ex quibus *Ubertinus* prodiit, Dianę Castagnę copulatus. Nati ex eo conjugio sunt *Gilibertus* II. & Joannes. Ex illo & Margarita Vigintimillia unica superfuit filia; jure hinc Francorum *Petrus* Joannis filius obtinuit MCCCCLXXVIII. cujus hæres *Joannes Vincentius* cum Hilaria Adiuvame Christo *Petrum* II. procreavit. Obtigit huic Maria Tocco, & Manriques (Eleonoram alibi lego) Regii sanguinis Fœmina; unde *Vincentius*. Ex quo *Cæsar* Angelæ de Bosco maritus. Hęc illi peperit *Vincentium* hujus nominis II. qui Philippi IV. privilegio MDCXXII. *Carinis* Princeps, Panormi quartùm Prætor, ac inter XII. Regni viros pluries adscriptus floruit, habuitque cum Vincentia de Comitibus *Cæsarem* filium Villæ Regalis Ducem MDCLXIX. renunciatum. Fuit & ipse tertiùm patriæ Prætor, ex XII. Regni viris, aliisque muniis clarus. Nupsit primum Annę Crisaphi, ex qua Vincentium suscepit florenti ætate amissum; secundum hinc ascendit torum cum Laura Bellacera, lucemque senex MDCLXXXII. deseruit. Suffectus post illum *Vincentius* ex Antonino ortus Cæsaris altero filio, qui & ipse ad multos vixit annos, variis muneribus illustris. Victorii quippe Sabaudi

baudi Ducis a Cubiculo, XII. Regni Vir, bis Panormi Prætor, prudentia, & authoritate plurimum valuit. Duplici matrimonio, cum Joanna Oneto, & Hippolyta Sanfilippo, Cryptarum Duce contracto, Antonium tulit ex secunda, *Carinis* Principem, Cryptarum Ducem matris jure, & ob ductam Mariam Bellaceram Rahalmicis Marchionem, aliisque dynastiis ornatum. Gessit tertiùm patriç Preturam laude non vulgari; XII. Regni Vir, Regi a Cubiculo, & Quæstor Criminum claruit; XVII. inter Principes locum occupat, vivitque Vincentii Villæ Regalis Ducis pater, Lucretiæ Brancifortiæ ex Buteræ Principibus conjugio adjuncti, ex quibus extat proles: Ex hac Procerum serie colligas: Claromontanos nusquam *Carinim* in clientelam habuisse, ejusque legitimos fuisse Dominos. Insignia, quç arci appicta vulgo dicuntur, nullibi, uti innui, a se visa *Carinenses* affirmant. Coetero, quod sibi forte Claromontani usurpaverint, quum omnia in Sicilia ad libidinem exercebant, certo negare quis posset?

CARINIS MURUS. Rudera veteris Hyccaræ sunt, de qua suo loco, ad caput Ursç, sinus *Carinensis* occiduum. Turris ibi subrigitur ad oræ maritimæ custodiam.

CARMORACIS Casale juris *Nicolai de Abbate* sub Martino, uti in ejusdem Regis censu.

S. CAROLUS Opidulum, aliter *Zafuris* seculi XVII. anno XX. conditum, moxque Comitatus titulo auctum, in Corilionensi Comarchia, & Diœcesi Agrigentina humili insidet colli ad austrum, sub Clusa, & Juliana ad I buri fluminis dexteram. Pirri ætate laribus 28. incolis 108. hodie focis 35. incolis 136. conflatur, cujus est unica Sancto cognomini dicata parœcialis

cialis Ecclesia. Pratum fœcundum aquę per varias venas exilientes reddunt. *Idus Lercaris* Januensis Eques, qui primus in Siciliâ sęculo XVI. exeunte, patrię negotia tractaturus, transmisit, & Hieronymę Placamonię maritus evasit, homines congregavit, & Comes est renunciatus; *Hippolytamque* unicam filiam *Lancellotto Castello* Castriterrati Principi nuptui dedit. Ex his *Gregorius*, cujus filius *Lancellottus Ferdinandus* avo successit; ille enim ante parentes lucem amisit. Duxit uxorē Margaritam Columnam, obiitque senex absque prole. Eum idcirco *Joanna Lancea*, Melchiorę Sororis, & Josephi Lancea Camastrę Ducis filia excepit. Ex qua & Ignatio Lancea, *Joseph* prodiit S. Caroli hodie Dominus, Trabię Princeps. Comitis enim titulum Antonius Grignano obtinuit. Circa eamdem regionem vetus Scirthea stetit, de qua suo loco.

CARTHAGO SICULA. Invegius totus est, ut evincat, urbem in nostra hac insula extitisse *Carthaginis* nomine insignem; cui Caccabus inędificata, civitas hodie Dynastis obnoxia, gentis de *Amato*, de qua fusius jam actum. Stephani enim Epitomator habet: *Hippana opidum circa Carthaginem, authore Polybio in lib*: 1. & alibi *Myssistratum opidulum circa Carthaginem. Polyb: lib*: 1. Utrumque porro Polybio in Sicilia memoratur, Sicilia proin urbem habuit *Carthaginem*, prope quam Hippanam & Missistratum Stephanus constituit. Cluverius nihilominus errasse Stephanum docet; aut forte intelligendum, quod Hippana, & Missitratum opida sita fuerint circa eas regiones, quę sub Carthaginensibus degebant, affirmat; cui quidem censioni facere satis idem Invegius conatur. Cœtero Punice *Carthago* Africana *Kaccabe* dicebatur; Si a Punico igitur idiomate Siculi opidi *Car-*

cabi nomen deducas, jure optimo *Carthago Sicula* inter alias recensebitur.

CASACCA. Vide *Oleastrum* opidulum.

CASALE EPISCOPI. Consule *Bizir*.

CASALE GRÆCORUM. Vide *Plana*.

CASALE MONACHI. *Marius Biglio* anno hujus sæculi VIII. ejusdem Dux Philippo V. indulgente est dictus, subinde Princeps, post quem *Emmanuel Franciscus* sufficitur, ejus & Annæ Platamone filius, qui est hodie Alcaræ etiam Dynasta, & Bifaræ Marchio. *Casalis Monachi* prope Panormum *Joannes Aragonius* Sancii Filius in Censu Friderici II. Dominus appellatur.

CASALE VETUS in agro Caccabensi. De eo Invegius, qui Rupis *Samnitæ* olim dorso impositum illud evulgat.

CASTANEA Mons, *Quisquina*. Vide infra.

CASTELLATIUM Arx vetus in Caputi montis summo vertice, alio nomine *S. Benedicti Castellum*, quod olim juris fuerit Monachorum. Panormo imminet, ejusque præcipuæ viæ rectà respondet. Integri perstant illius externi parietes, turresque externę VII. Scala, & criptę fornicatę in substructionibus. Ad septentriones porta aperitur, ad meridiem Ecclesia satis ampla sita videtur, seu nudi ejusdem muri. Illius author passim Gulielmus II. vulgatur. Durabat ad annum MCCCLXX. integra, quam Joannes Claromontanus, ut hostibus suis pręsidium adimeret, labefactandam jussit, cujus conatibus Urbanus V. Rom: Pont: sese opposuit, & reficiendam præcepit. Aliquando S. Martini monachos apud eosdem Claromontanos, quod arcem factiosis credere constituissent, delatos lego. Fazellus Cœnobii speciem habere *Castellatium* scribit, ædem

ædem vero sacram columnis suffultam, & cœteras Monachorum officinas, licet antiquitate jã deformatas, exhibere, tradit, sed nullum hodie hujusmodi vestigium perseverat. De Fabula Monstri Panormitani ex hac arce egressi, non vacat hic sermonem texere.

CASTELLATIUM Arx ruinosa inter Thermas, & Torti fluminis ostia, a littore parum abest; Brucati dudum Casalis pars.

CASTELLATIUM Arx diruta in clivo Montis *Cozzi* agri Mazarensis, sub quo ad aquilonem sedet hodie Campusbellus opidulum; olim Perribayda.

CASTELLATIUM Arx sub Siculiana ad Halyci fluminis sinistram ripam, supra Caput Album; Circa quã vetusta monumenta, & aquęductus rudera visuntur.

CASTELLATIUM Mons post Leocatam, ubi dirutæ Arcis reliquiæ. Vide *Dedalius*.

CASTELLATIUM recens opidulum hodie, sed arx vetustissima, occurrit post Bayhariam passibus circiter m. M. & ab Accia viculo haud procul, unde *Castellum Acciæ* aliter dicitur. Parochialis ędes magnifica cum tholo Deiparę Immaculatę Conceptionis sacra, sub Archipresbytero. Lares 183. incolę 400. Ager fœcundus, in quo subalbi marmoris sunt massę. Is juris erat gentis *Spatafora*, mox *Requesentia*; Hodie Opiduli Dominus *Ignatius Vincentius Abbas* Longarini Marchio.

CASTELLATIUM Scopulus in littore Panormitano sub colle Gerbino, undique fluctibus percussus.

CASTELLATIUM Turris specula in ora maritima Saccensi, a Palma recenti opido haud procul.

CASTELLUM MARIS Opidum, de *Gulfo* vulgariter dictum, quod in extrema sinus ejusdem nominis ora situm; Sinus enim *Gulfus* nobis dicitur, ut a *Castello Maris*, Arce scilicet Panormitana distinguatur.

tur. Aquilonaris littoris post Caput Rama, ingens tractus sinuosus, circa occidentem, Scamandri fluminis, vulgo S. Bartholomæi aquas excipit, arcemque habet rupibus impositam aquis circumfluam, sed opido murato ad austrum ponte adjunctam, quod ipsum quoque aquis undique vallatum, ponte, amplo suburbio adnectitur; utrumque hodie non infrequens, celebri frumenti emporio conjungitur. In arce Dynastæ palatium extat, duplici concameratione, quarum superior tormenta ex ære sustinet bellica, ad hostium arcendos insultus locata; media aulas, & conclaves laxiores, solum, quod aquis tunditur, officinas complectitur, & cisternas in saxo excisas. Opidum, quod rupes perpetua pariter declivis sustinet, majori parochiali Ecclesia S. Nicolai titulo, eleganti schemate nuper instaurata fulget, & mœnibus cingitur. Eadem porro Ecclesia de Suffraganeis dudum erat Regiæ S. Petri de Palatio Capellę, uti Pirrus testatur, qui Minorum Cœnobium ibidem stetisse memorat, hodie antiquatum. In suburbio Clerici Regulares infirmis ministrantes decentissimã possident domum, paucis abhinc extructam. Minores Ecclesiæ cum in opido, tum in Suburbio assurgunt sex. Emporii horrea amplissima succedunt, quæ sane omnia urbis non exiguæ speciem navigantibus exhibent. Ejus olim lares sæculo XVI fuisse 125. Fazellus testatur, opidanos MDXCV. Regii libri 463. censent. Pirri ęvo foci 207. incolę 790. sed anno MDCCIII. foci 323. animæ 1279 sunt computatæ. Decurrente demum ætate lar: 416. incolæ 1558. & novissimè 2258. Mazarensis Diœcesis, & Salemitanę Comarchię *Castellum Maris* comprehenditur finibus. Urbana militia proprię orę custodiendę intendit; Civilis Magistratus ex Dynastæ pendet arbitrio; Archipresbyter

presbiter animarum curam, Episcopi Vicarius clerum commissum habet. In agro feracissimo, cui nomen *Fraginisis*, mons ab opido haud procul assurgit, cujus latera cryptę immanes occupant. *Gugliardittus* quoque fœcunditate soli haud impar, sepulchra longo ordine in saxo excisa exhibet. Hinc Segestæ veteris dirutæ urbis celebres ruinę, & Templum pene integrum videtur. Quocirca Emporium Segestanum nostrum passim cum veteres, cum recentiores appellant. Sed jam ad Optimates.

Perstabat arx sub Sarracenis, sed opidum Aragonensibus regnantibus crevit. Ex his Fridericus II. dominum illius *Fridericum de Antiochia* constituit; Quo ad Gallos deficiente, tradita Roberto Andegavensi Arce, quę non diu post recuperata, Petrus II. anno MCCCXXXVI. *Raymundo de Peralta* concessit. Unde ad *Guillelmum*, & *Nicolaum* Raymundi hæredes sub Friderico III. transiit. Ob hujus postremi defectionem, Martinus Rex *Joanni Perolla* MCCCXCIX. attribuit, moxque *Calcerando de Peralta* restituit, inter Proceres MCCCCVIII. enumerato. *Petrus Spatafora & Russo* Henrici Rubei nepos, atque ex sorore hęres subinde obtinuit, cujus filia *Beatrix* cum Sclafani Comitatu, & Roccella primum *Gaspari de Spes* Siciliæ Proregi, hinc *Sigismundo de Luna* secundo conjugi ex dote contulit. Tunc *Nicolaus Afflictus* ex his pretio exoluto habuit, qui *Jacobo Albata* Regni Cancellario, tradita illi in uxorem filia, assignavit. Sed ad *Petrum de Luna* rursus redit, atque ad hujus filiam *Aloysiam de Luna & Vega*, quę anno MDXCV. *Castelli Maris* Domina dicebatur, & *Cesari* Moncadæ nubens, *Franciscū* procreavit, ex cujus Nepote *Aloysio*, *Francisca Balsamo & Aragona*, Roccę Floride Princeps

anno

anno MDCXLIX. emit, moriensque *Petro Balsamo* filio dedit, cui primo loco *Didacum Aragonam Taglioviam*, secundo *Joannem Vigintimillium*, Hieracis Comitem; tertio denique *Balthasserem Nasellum* substituit, si *Petrus* sine prole decederet; quod sane evenit. Hinc *Didacus* successit, quem quoque improlem *Joannes* excepit. Joannis filii *Rodericus*, *Blascus*, & *Rogerius* Vigintimillii, virili progenie destituti etiam periere, *Balthassar* idcirco *Nasellus* MDCXCVIII. alterius vocati nepos, *Castellimaris* Dominus evasit, cujus successores alibi de Aragona loquens reddidi. Vivit hodie *Aloysius Naselli*, Stephanę Morso maritus. Latitudo opidi est grad: XXXVIII. V. Longitudo XXXVI XL.

CASTELLUM MARIS Panormitanum in ora urbis Principis orientali sedet. *Arx vetus* Fazello, & *Vetus Palatium* Ugoni Falcando; exiguę civitatis imaginem amplitudine referens, munimentis cum naturę, tum artis paucis in Sicilia decedens; ab austro enim ortu, & aquilone maris undis tunditur, ac pene totum lapideæ moli incubat, ab occidente vero omni artis industria septum videtur. Urbem idcirco contra quosvis assultus defendit ab hostibus, molem portus tutam reddit, ut olim binas portus veteris fauces defendebat, quarum una tantum superest. Creditur passim priscorum temporum opus, sed instauratio Sarracenis adscribitur, qui antequam novum constituerent palatium, illud in Amiratum sedem delegerunt, ac multa turrium densitate munivere, Maumeddanę superstitionis ęde inibi instituta. Sed & Robertus, Rogeriusque iisdem exactis Sarracenis, novis munitionibus auctum voluere, uti ętas ferebat, Carolus denique V. Cæsar ingentibus propugnaculis instruxit, quod & Caroli successores, ubi opportunitas postulare videbatur, pręstitisse

stitisse constat; Nam sub Philippo II. Joannes de Cerda Prorex anno MDLX. supremam propugnaculis, a Carolo institutis coronidem imposuit, ac novissime Uzadæ Dux sæculi hujus initio, prętento muris agere, validius illud reddidit. Claudit hodie Ecclesiam parœcialem; pro supremo militiæ Præfecto, qui secundas tenet post Proregē, amplissimas habet aulas; pro noxiis ex plebe carceres; pro viris nobilibus custodias. Dudū hac ipsa in arce ad jura administranda Consulares cogebantur, & publica Regni tabularia asservata scimus. Anno enim MDXCIII. succenso ex inopinato casu pulvere pyrio, ingens ibi exorta ruina, interiora arcis labefactavit, multosque oppressit. Quocirca Tribunalia, uti vocant in Regium palatium translata non diu post fuerunt.

CASTELLUM NORTHMANNUM Opidulum, alio nomine *Vallis Ulmi*, de quo suo loco.

CASTELLUM THERME *Opidum*, vulgari voce *Termine*, & alio nomine *Mons Auri*, ad Platani fluminis dexteram ripam, sub Sutera in occasum hybernum, Agrigentinam parochiam, & Castrinovi civilem ditionem cognoscit. Novi est nominis, sed incolis frequens; ejus enim census, & primus, uti arbitror, fuit anno MDCLII. laresque 544. opidanos 2276. computavit. Decurrentis sæculi XIII. anno lares 1324. numerati, incolę 5171. & novissime 5245. Situs est leviter declivis ad austrum, Princeps basilica unica parœcialis, Beatę Marię Virgini de Rosario sacra, sex alias sub se habens, Archipresbyteri curę committitur; in editiori loco Minores Capuccini ab anno MDCCXXII. constituti; Dynastę Domus decentissima, quam *Castellum* appellant, cum ampla satis area; unde late patens & recta describitur via, ad Ecclesiam pergantium

ma-

manium, quæ nimis decora fulget. Viam porro civium non inelegantes utrinque ambiunt ædes. Spectat hodie ad Castriveterani Principem, Terrænovæ Ducem, gentis Pignatellæ, cujus alibi memini; sed Principatus honorem *Vincentius Maria de Thermis*, Philippi privilegio anno MDCXXIV. obtinuit, ac ad suos transmisit, Isnelli hodie, & Bauciæ Dominos. Ad eamdem gentem de *Thermis Castellum* olim spectasse tradit Franciscus Emmanuel, unde inter Principes locus est illi tertius & tricesimus; Terrænovæ nihilominus Duces & Castri Veterani Principes, uti *Montis auri* Barones, votum proferunt III. in Comitiis, Gladii potestate fruuntur, & Magistratum designant. Subjectus ager angustus est, sed solo utitur fertili; proximum tamen Fontis Frigidi feudum, Bastillæ Comiti obnoxium incolæ frequentant, unde uberes messes, non levi fœnore illis proveniunt. Gradus ejus longitudinis sunt XXXVII. XXV. latitudinis XXXVII. XLV.

CASTELLUM VETERANUM Opidum, Siculo ore *Castelveterano*, aliis *Castrum veteranum*, in Diœcesi & Comarchia Mazarensi, olim Fazelli ævo Comitatus titulo insigne, ab anno vero MDLXIV. Principatus tessera auctum. *Antiquitus*, ait Pirrus, *Castrum Entellinum dicebatur*, quod Aretius primus vulgavit: *Extant Entellini vicini populi, antiquam colentes Entellam, ab Entello Acestis socio sic dictam, quam Castrum Entellinum deinde vocatum apud Siciliæ Annales invenio, hodie vero Castrum Veteranum*. Sed antiquus scriptor Isaacius Tzetzes Entellam Acestis uxorem facit, unde veteri Siculo opido nomen, quod alibi stetisse suo loco ostendam. Cluverius Electhium potius *Castelli Veterani* situm occupasse tradit, quod alibi etiam examinandum. Est porro *Castellum Veteranum*

ranum

ranum dives & copiosum, sedetque in campo parumper declivi ad meridiem & ortum, vias rectas habens & latas, arcemque magnificentia eximiam, ubi Dynastæ palatium. Claudit illa S. Petri templum insigni Canonico Collegio ornatum ab anno MDCLXX. Sed princeps sacra ędes Dei Genitricis in cœlum Assumptæ titulo, ad opidi dexteram, altera parochialis S. Joanni Baptistæ præcipuo Patrono nuncupata ad sinistram, sub uno Archipresbytero, mole, amplitudine, & ornamentis eximiæ assurgunt. In S. Joannis tamen signum ejusdem divi elegantissimum e marmore colitur, Cagni celebris Sculptoris opus. Filiales, uti appellant, Ecclesię, & sodalitiis Laicorum nonnullę addictę, duo de viginti enumerantur; sub variis institutis asceteria decem, & Monialium unum visuntur; quorum hęc designatur origo:

Prædicatores fratres in S. Mariæ de Jesu fundavit Antonius Tagliavia opidi Dominus, ut esset Ordinis Academia. Minores Conventuales extra portam S. Francisci nomine ab anno MDXXXIV. situ amœnissimo degunt. Reformati S. Mariæ de Odigitria & S. Luciæ, Zenobiæ Aragonæ & Gonsagæ opera, sęculi XVII. anno XIII. occuparunt Ecclesiam. Capuccinis primùm Caroli Aragonii Principis munificentia anno MDLVIII. locum attribuit, ac sub S. Annę patrocinio Ecclesiam condidit, subinde publico ęre S. Rosalię Virginis ędes, & laxior conceditur Conventus. Carmelitæ cum in S. Mariæ de Miraculis, corrogata civium pecunia extructo, tum in altero S. Nicolai antiquiori cœnobio coaluere sæculo XVI. S. Augustini Monachis Angelus & Leonardus de Maia nobiles viri anno MDLXXXIV. cum Deiparæ de Consolatione Ecclesia, dotem congruam & situm designarunt. Cujus etiam ordinis Re-

formatis Centuripinę Congregationis, S. Mariæ de Præsentatione æde attributa, sub titulo de *Auxilio*, decens ad opidi oram MDCXXXVII. cessit domicilium. S. Teresiæ Cœnobitæ post medium elapsum sæculum ortum recognoscunt; Paulenses demum sub S. Fundatoris nomine ab anno MDCVII. Joanna Aragona, & Pignatelli in S. Leonardi regione intra pomœrium constituit, & laudati de Maia suppetiis adjuverunt. Sacrę Virginis B. Dominici regulam profitentes, claustra ab antiquo habent & Virginis Annunciatę titulo gloriantur. Puellarum collegium ab anno MDCXXII. juxta S. Jacobi Ecclesiam Dynastarum pietas construxit; Mons Pietatis, & domus Hospitalis ad egenorum commodum ab Sodalitii Alborum fratribus administrantur. SS. Trinitatis Deliæ, seu Ficani Benedictinum Monasterium in agro cognomine pass: M. X. in occidentem, Regii juris Patronatus, consurgit antiquissimum, de quo alibi erit sermo.

Quod spectat ad civiles, publicasque ędes, quum honestę & ingenuę, censibus affluentes familię opidum incolant, frequentes privatas domus, & satis concinnas invenies; nec fora desunt insignia, nec decens Prætorium desideratur. Arx in veteri opido paullo supra olim sita, fulmine percussa, magnam passa est ruinam, cujus reliquiæ perdurant. Sunt porro lares hodie 3455. cives 11979. Pirrus lares numeravit 1284. incolas 5081. Sed in Regiis libris circa idem tempus MDCLIII. lares 4041, animas 15367. (nisi error irrepserit) invenio. Sub Carolo Cæsare erant foci 1323. animæ 10229. Magistratus ad Municipalium legum formam Principis arbitrio annuus. Huic jus gladii, & locus in Comitiis II. competit. Pro Episcopo Vicarius Clero præest; Militiam indigenam peditum LXXXVIII

equi-

equitum xxxv. Saccensis Præfectus administrabat. Amplissima *Castelli Veterani* prata aquarum venis undique irrigua, & alicubi paludosa, inter Arenæ & Madiunis flumina, aeris parum salutaris habentur; sed segetum cujusque generis ubertate luxuriant; pascuis lætissimis & pinguibus armenta copiosa nutriunt, vina præcipua & exquisita suppeditant, oleum, fructus, mella dant; Salis albissimi mineras aperiunt; saltus denique & nemora, latissimè patentia claudunt, aprorum, aliarumque ferarum venationem frequentem, & viris principibus jucundam præbent.

Illustres municipes memorantur: Pacificus ordinis Capuccinorum spectatæ vitæ, pluribus a Deo signis, & profetiæ dono illustratus, cujus est corpus in summa apud suos veneratione. Angelicus ejusdem instituti Clericus, VII. probationis mense jam cœlo maturus, mundo eripitur MDXCIV. Anima in splendentis flammæ speciem rectà cœlum conscendere visa est. Joannes M. Luna Minor etiam Capuccinus, virtutibus, literis & in rebus agendis prudentia insignis, quã in provinciæ præfectura ostendit, de quo Pirrus. Joannes Quartararus Sacerdos vitæ sanctimonia illustris, Piorum operum Panormi, ubi diu vixit, promotor. De eo Mongitore, qui ejus virtutum adhuc famam vigere scribit. Bartholus Magius inter caussarum Patronos Panormi non ultimus effulsit, sed charitatis officii perpetuo intentus, Pauperum defensioni se totum impendit, expensasque in judiciis pro iisdem suppeditavit. Deiparæ, ejusque Sanctissimo Sponso, ac Divino filio stipem sub egenorum specie petentibus aliquando dare, uti ferunt, promeruit. Virtutibus, & contemplationi addictissimus, magna cum sanctitatis opinione Panormi decessit MDCXXVI. Odorem mor-

tuus efflavit suavissimum, & lucis radios e vultu emisit, uti vitæ scriptor testatur. Uxorem habuit Vincentiam Svegliam fœminam æque ab eximiis virtutibus commendatam, ac filios Hieronymum, & Franciscum Mariam Magium egregios, ac celeberrimos viros, quos jure *Castello Veterano* oriundis accenseri possumus. Raphael Maffeus ordinis Prædicatorum, vir ingenio clarissimus, doctrina, & vitæ integritate commendatus, Carolo II. Neapolis Regi a sacris fuit, cujus tamen offendit animum ob editum de *vera Urbani* VI. *Pontif. electione* librũ, immeritus idcirco carceri addicitur, nec nisi a Caroli morte liberatur. De eo Fontana, Altamuranus & alii. Simon Aragonius S. R. E. Cardinalis Caroli celeberrimi *Magni Siculi* filius, Panormitanus designatus Archiepiscopus. Petrus de Luna Juris Consultissimus, cujus *Collecta Consilia* typis edita, nimium laudantur, & Mſta opera doctrinis referta Mongitore commendat. Felix Brandimarte Ordinis Capuccinorum sacris scientiis, & eloquentia abunde imbutus. Tractatum luci commisit *de Sacra concionandi arte*, & varias orationes, cursumque Theologicum prelo paratum reliquit. Georgius Tagliavia Societatis Jesu, ex Dynastarum gente, in quo ingenii fœlicitas insignis, solida virtus, & prudentia claruit singularis. Variis idcirco regendis Collegiis adhibitus, Venetam provinciam moderandam suscepit, & Apostolicæ Pœnitentieriæ Romæ domum rexit. Apud primarios sæculi principes magna claruit authoritate. Clausit ibidem dies MDCLIX. Joseph Pomius Mathesis Philosophiæ & Medicinę studiis, nec non amœnioribus literis addictus, Panormi non vulgari nominis fama diu vixit, & morum integritate etiam effulsit. Prælo commisit *de putridis febribus curandis Tractatus*, & totius

totius Medicinæ artis absolutum opus paravit. Petrus Magius Panormitani Oratorii Sacerdos, gravioribus disciplinis, culta eloquentia, & omnigena sacra eruditione refertus, *Diœcesis* Panormitanæ Examinator Synodalis, aliisque honoribus clarus fato cessit MDCLXXI. Commendatur in Bibliot: Sicula. Petrus Martyr Scandariatus Ordinis Prædicatorum, vitæ integritate præcipuus, in scholastica & morali Theologia, sacrisque Canonibus, humanis literis, Latina & Italica eloquentia versatissimus, de quo Mongitore. *Blasius* Militellus Juris scientiæ addictus, & Mathesis etiam studiis delectatus, Magni Siciliæ Architalassi curiam Judex rexit, a doctrina, & integritate, vulgatisque operibus in Sicula Bibliot: memoratur. Ibidem Franciscus Magius Musices peritissimus, & Paulus *Anca* ordinis S. Augustini laudantur.

Jam vero *Castelli Veterani* primus occurrit dominus *Thomas Corvinus*, qui Friderico Regi infensus evadens, bonis ab eo spoliatur, nostro scilicet opido, Petra Belici, & aliis, quibus *Bartholomæus Tagliavia* Eleonoræ Reginæ Aulicus ab eodem Rege ex literis Politii scriptis MCCXCVI. donatur. Peribaydæ floresta, & Madiuni flumine seclusis. Huic *Antonius* filius successit, *Ninus* vulgo appellatus, qui in ejusdem Friderici censu MCCCXX. Summantini etiam Dynasta dicitur. *Ninum Matthæus* excepit a Ludovico Rege confirmatus, & hunc *Antonius* filius, de quo est mentio in Martini Regis Regesto MCCCCVIII. sub *Nini* vocabulo. *Nino Balthassar* est natus, unde *Joannes* anno MCCCCLIII. investitura donatus, ex quo *Ninus* hujus nominis III. MCCCCLXXIX. & rursus post novennium sub Antonini nomine authoramento adstrictus. Post *Ninum Joannes Vincentius* Beatrici de Aragona innuptus, cui

plenum

plenum in suis opidis jus, sive gladii potestatem MDII. Rex Ferdinandus concessit. Prodiere ex his *Franciscus*, & *Joannes*. Ille Antoniam Aragonam Abulæ, & Terræ novæ Dominam duxit uxorem, nullaque relicta prole e vivis abiit; hinc Romani Pontificis speciali indultu, *Joannes* gloris Antoniæ conjux effectus, Abolæ & Terrænovæ Marchio evasit, & Siciliæ Talassiarcha effulsit. His *Carolus* filius obtigit, qui primus *Castri Veterani* Princeps MDXLIV. Philippi II. Regis beneficio est dictus, summisque muniis ac dignitatibus perfunctus, *Magnus Siculus* appellari meruit. Hujus successores de Abola loquens reddidi. Hodie *Fabritius* Pignatellus Princeps audit, cujus est uxor Constantia Medici ex Principibus Octaiani. Proximis elapsis annis Fabritius cum Constantia aliquando *Castri Veterani* sedem statuit, bono subditorum prospexit, ac rebus suis simul consuluit. Veteris opidi perstant reliquiæ a recenti haud procul; ferunt autem vulgo id a Veteranis Romanis militibus conditum fuisse, quibus vacatio a militia dabatur, & terræ, quas colerent, designabantur, unde deinceps nomen obtinuit. Est *Castellum Veteranum* latitud: grad XXXVII. XLIV. longitudinis XXXVI. XXIII.

CASTRUM ENTELLINUM Aretio Castellum Veteranum, de quo mox actum.

CASTRUM PHILIPPI Opidulum in agro Libigini, quod circa annum MDCXXXIV. *Stephanus Montegallis* Methymnæ Ducis Siciliæ Proregis a secretis status, ac Regii ærarii subinde Magister condidit; Ducatus autem titulo Vincentius Cigala anno MDCXXV. auxit, qui locum in Regni publico consilio IX. inter Duces obtinuit. Opidi Parochia B. Virgini de Rosario sacra per Archipresbyterum administratur, qui

alii

aliis 11. Ecclesiis minoribus etiam præest. Pars est Agrigentinæ Diœcesis & Narensis Comarchiæ, sedetque in plano tumulo ad ortum æstivum circa ejusdem Nari hybernum occasum, & dexteram cognominis fluminis ripam, cum Dynastæ palatio in ora occidua, rectis, amplisque viis descriptum. Laribus ex Pirro 210. opidanis 784. sed ex Regiis libris de anno MDCLII. lar: 283. incolis 1116. constabat, qui nostro hoc seculo 868. in laribus 246. & novissime 1021. computantur. Juris erat *Libiginis Pini de Monteperto*, sive *Jacobi* circa MCCCCVIII; cui & Cometæ feudi media portio obnoxia dicitur in Censu. Vendidit Pinus *Venuto de Brando* Agrigentino MCCCCXV; cujus proneptis *Constantia* MCCCCLXXXI. nupsit *Giorlando de Porto*, eique *Libiginium* cum adnexis, uti hæres pro dote assignavit. Ex *Giorlandi* nepotibus post elapsum pene seculum *Stephanus*, de quo dixi emit, opidumque constituit. Ducta hic in uxorem Francisca Landolina aliis auctus est bonis, & *Michaelem* cum illa suscepit. *Vicecomitis Cigale* sororem sibi *Michael* desponsavit & leviro opidi clientelam attribuit, qui Philippi III. Regis literis *Castri Philippi* Dux renunciatur. Ab cujus morte Mauritius ex sorore nepos, & Michaelis filius obtinuit. Hic cum Margarita Montaperto *Dominicum* procreavit. Ex quo & Melchiora Montaperto *Mauritius* II. & *Josephus* prodiere. Improles ille florenti ætate raptus, fratri locum cessit, Hyppolitæ Valguarneræ MDCXCVIII. adjuncto, unde *Dominicus*, Dux anno MDCCXI. confirmatus. Ex prima uxore Catharina de Farina nullam *Dominicus* retulit prolem, ex secunda vero Felice Paternò ex Biscaris Principibus, *Mariannam Josephum* & *Joannem* habuit, obiere hi infantiæ adhuc annos nondum egressi; *Marianna* idcirco vivit hodie Castriphilippi Dux, & Montisregalis opiduli

Domi-

Domina. Ejusdem est pene latitudinis cum *Candicattino*, a quo pass: M. distat in occasum; longitudine vero grad: XXXVII. XXV. attingit.

CASTRUM NOVUM Regii juris opidum mediterraneum, Agrigentinę Diœcesis, & Comarchię caput, sub se habens novem alia Dynastis obnoxia, publicis in libris Civitatis Fidelissimæ nomine distinctum; Arcem pro tessera habens, e cujus pinnis Aquila coronata evolare veluti videtur, in Regni denique Consilio locum habens XXXV. arduas inter rupes sub ingenti mole situm, meridiem & ortum respicit. Supra molem perstantes ruinæ, ibi olim stetisse mortales clarissimè ostendunt, nomen idcirco *Novum*, uti recentis ædificii indicium esset, retulit; sed vetus origo omnino incerta. Proferunt Gualterius & Cajetanus ex albo marmore tabellam in hodiernæ majoris Ecclesiæ solo hęc habentem: *Hic Requiescit in Pace Placidia Univera, Quæ Vixit Ann: Pl. M.* XXXV. *P.C. Basilii V.C. Per Indictione Quarta Anno* XXC. Quod epitaphium fuisse scriptum, ait Gualterius, post Consulatum, Basilii Ind: IV. quæ incidit in Christi Annum DLXVI. Cajetanus in Animad: *Annus* XXXV. scribit, *post Consulatum Basilii* Ind: IV. erat annus Christi DLXX. Imper: Justini Junioris VII. Atenim non advertit vir doctus notas illas XXXV. annos indicare, quos plus minus Placidia vixit, non autem annos a Consulatu Basilii. Dixerat porro de antiquo *Castrinovi* conditu: Vetustæ Civitatis nomen incompertum sibi esse, sed suadere antiquitatem I. ruinæ, & rudera veteris urbis eversæ, quæ in monte supra *Castrumnovum* spectantur. II. Giganteæ magnitudinis ossa, quæ in plerisque urbis locis reperiuntur. III. pictæ imagines Græco more, quo vetus Sicilia utebatur, in ædium antiquarum parietinis, ut in Ecclesia

S. Georgii

S. Georgii in monte, & S. Basilii de Melia. Spectatur etiam Baptisterium antiquum Græcorum more in imo perforatum, unde aquæ, peracto Baptismate, fistula emittebantur. IV. Lapides, Inscriptionesque cum Græce tum Latine &c. *Ex quibus constat civitatem, cui nomen hac tempestate Castrum novum, conditam antiquis temporibus, Christianisque institutis imbutam fuisse.* Hinc ipsam vetustatem Pirrus ex Monasterio S. Basilii de Melia III. passuum ab urbe disito eruere pergit, cujus jam Cajetanus meminit. Nam multo antiquius ante Sarracenos id fuisse cœnobium constat, quod B. Vitalis Abbas, ejusque discipulus Elias, cives *Castrinovenses* incolatu suo nobilitarunt. Florebant quippe illi vexantibus Siciliam Sarracenis.

Hos porro oppidum delevisse referunt, quod Rogerius Comes loco apriori, sub impendente colle delecto, sed ardui nihilominus adscensus, instauravit. Ejusdem Rogerii opus Arx fuit, quæ toti oppido dominatur, uti & Princeps fuerit Basilicæ, quam S. Mariæ de *Audientia* dicatam suo Vigintimilliis oppidi Dominis, Pirrus vulgavit. Sed & Manfredus Claromontanus anno MCCCLXXV. prope arcem magnificentiorem eamdem jussit, ac S. Georgio Martyri, gentis suæ speciali Patrono sacram, uti antiquæ trabis inscriptio docet, voluit. De longe nobili subinde templo maximo moliendo sub SS. Trinitatis auspiciis, cives cogitarunt, brevique ad omnem elegantiam novum extruxere, circa elapsi sæculi medium, cui Archipresbyter cum aliis ex Clero, celebrandis Divinis officiis intendens, præest, ac sexdecim alias minores Ecclesias administrat, quas inter S. Rosaliæ Virginis peculiari a civibus cultu honoratæ effulget. Minorum insuper Conventualium cœnobium, Octoboni de Aurea liberalitate fundatum ab anno MCCCXXVI. in S. Rocchi ad jactum lapidis a pomœrio coaluit.

luit, quod intra muros hodie S. Francisci titulum refert. Primam in Siciliam Capuccinorum coloniam, authore Bernardino Georgio ejusdem ordinis vitę sanctimonia clarissimo, *Castrinovi* deductam, S. Nicolai ad primum lapidem locum occupasse MDXXXIII. prodit laudatus Pirrus, sed eo relicto, sequentis sęculi anno XXV, antiquissimam S. Marię de Balnearia ędem ab arce haud procul fratres occuparunt. Carmelitę dudum in S. Simonis, sub exitum sęculi XV. degebant, sed recessere. Monialium Claustra, vulgo Abbatia Magna, Benedictinæ regulæ ad ædem S. Antonii Abb. circa orientalem opidi oram ante annum MDLXXX. perstabant, mox ad S. Catharinæ translata, utriusque titularis retento nomine, opidi decorem augent. Sed & parva Abbatia S. Agathæ titulo, puellas parentibus orbatas ab anno MDCXV. excipit. Domus demum Hospitalis & Mons Pietatis ad pauperum egrorum & peregrinorum levamen, civium religionem commendant. Antiquissimas Equitum Theutonicorum *Præcepturas* S. Marię de Miraculis, quæ extat, ac S. Andreę extra moenia, cujus prostratum est templum, ex membris Panormitanæ Mansionis, in hujus notitia memorat Mongitore. Monasterium Basilianum, de quo nonnulla dixi, sub Sarracenis collapsum, iis exactis ab Jaymo de Milatio Benedictinis Monachis de Balnearia in Calabria attributum fuit, cujus Ecclesia S. Basilio sacra, de *Melia*, ab agro, ubi condita, dicebatur, ac plura vetustatis monumenta servabat. Aliud denique & nobile templum erat, S. Petro sacrum, in quo MCCCXCI. die X. Julii Primores Siculi adversus Martinum Regem comitia coegere. Id fuisse arbitratur Pirrus *S. Petri in Castronovo*, quod Rogerius de Barnavilla, ejusque uxor Eliusa Pactensi Ecclesiæ donarunt, uti

Roge-

Rogerii Comitis literis de anno MXCIV. eruitur, ubi quotannis festum cum nundinis celebratur.

Varia *Castrinovi* fortuna ex Dynastis, quibus fuit obnoxium, elucet. Rogerius enim Comes, mox ut restituit, illud *Rogerio de Bernavilla* inter suos equiti nobilissimo, ac strenuo in clientelam dedit. Ejus fuit uxor Eliusa Serlonis filia, Comitisque proneptis. Ferunt tamen alii *Serloni* cum Jeracio *Castrum novum* a Rogerio attributum, Eliusæ filiæ subinde cessisse, cujus jure *Bernavilleus* accepit. *Eliusæ* & *Rogerio* nati sunt Raynaldus, & Rocca, ille improles vita excessit, Roccam Hugoni de Creone Rogerius idem Comes despondit; at *Castrum novum* fortasse sibi reservavit; Manfredi enim munificentia *Guillelmus Vigintimillius* circa annum MCCLX. est assecutus, cujus hęres *Lucianus* fuit, a Pirro memoratus. Sub Friderico II. *Conradus de Aurea* Januensis, Siciliç Architalassus *Castrinovi* Dominus dicebatur; & in Censu ejusdem Regis *Raphael Conradi* filius venit, cui *Octobonus* successit. Hujus contumacia Rex Fridericus III. ad se opidum revocavit, mox vero *Manfredo de Claromonte* attribuit MCCCLXXIV. *Blascus Alagona* non diu post obtinuit. *Alagonis* & *Claromontanis* a Martino Rege descientibus, hic *Antonio Moncade*, qui Salemim sui juris opidum Regi renunciavit, mox *Gueras de Queralta* subjecit. Anno MCCCXCVIII. in Comitiis Syracusanis *Castrumnovum* inter Demaniales Civitates enumeratum invenio. At quum Augustę Comitatum *Mattheus Moncada* Regi cessisset, hic Calatanixectam, & *Castrumnovum* rursum illi obnoxiū fecit *Mattheus Gastono* filio designavit; Quo sine prole defuncto, *Guillelmus Raymundus* Matthæi primogenitus est assecutus MCCCCXX... Verum acceptis florenis XV. M. opidum hic

resignavit, quod deinceps sub Regia potestate ad hæc usque tempora perstitit. Emit quidem *Hieronymus Joppulus* unc... & *Castrinovi* Princeps est dictus, sed corrogata pecunia per cives post biennium, solutoque *Hieronymo* pretio, irrita venditio declaratur. Censi sunt sub Carolo V. *Castrinovi* lares 955. cives anno MDXCV. uti Regii habent libri 3452. Sub Philippo IV foci 986. incolę 3518. sed ex Pirro sub idem ferme tempus lares 1285. incolę 5084. computabantur. Sub Victorio Amedeo lares 973. opidani 3791. novissime 4555. Magistratum Decuriones IV. Syndicus, & Criminum Quęstor constituunt. Urbana Militia, Equites nempe x. pedites LVI. Agrigentino Pręfecto subdebantur. Ager amplissimus & fœcundus fruges copiosas, & optima pabula porrigit; Vino, oleo, melle, fructibus colonos ditat. Mineras ingentes flavi marmoris habet; unde columnarum moles enormes ad Regium Casertę palatium concinnandum eductę.

Seriem illustrium civium S. Vitalis Abbas ducit, qui Sarracenis insulam invadentibus, in Calabriam e Monasterio Agyrensi, ubi vitam professus monasticam, aliquando sanctissimè vixerat, secessit, diversisque peragratis locis, sanctitatis suę monumenta ubique reliquit, tandemque in Monasterio S. Adriani a se constructo, Abbatis munere perfunctus, inde ad aliud prope Rapollam digressus, sanctissimo obiit quievit. Socium habuit, & discipulum B. Eliam fratris filium, qui & ipse vitę innocentia, aliisque virtutibus patruum ęmulatus, sanctum quoque vitę exitum sortitus est. Floruerunt circa MCCCCXXX. annum, quorum festus dies a civibus IX. Martii die solemni ritu celebratur. In Sicula Bibliot: Siculis Scriptoribus accensetur Bartholomęus Comandus *Castrinovensis* ex Minoribus Conventualibus

ventualibus Magister, qui Romę Sacras & Naturales Scientias, nec non Ecclesię Canones publice est interpretatus, & Basilicæ SS. XII. Apostolorum perpetuus Parochus fuisit, ac Hieronymus Traina Minor Capuccinus ferventissimus Dei præco, eximiusque Theologus.

CATANI Casale juris Joannis de Lochira sub Friderico II.

CATHAL Casale in Rogerii Comitis diplomate anno MXCIII. memoratum. *In proprietate*, ait, *Domini Giorlandi Episcopi Agrigentini, & aliorum post eum Episcoporum est Casale Cathal cum centum villanis*. Apud Fazellum leges *Catha*. Idem Rogerius Syracusanę Parochię fines describens, uti in Urbani II. literis legitur, habet: *A Castro Limpiadot usque ad flumen Salsum &c. A Syracusa usque ad Castrum Limpiadot, quod est Catha, ubi cœpit divisio*. Et alibi *Castrum Limpiadot, quod est Licata*.

S. CATHALDI Amnis in littore sinus Castelli maris occiduo ostium habet. Vide *Nocilla*.

S. CATHALDUS Opidum, Marchionatus tessera ab anno MDCXXVII. insigne, ejusdem sęculi initio originem habuit, in agro circa Calatanixectam a *Flumine Salso* appellato, quod Himera Meridionali, alio vocabulo: *Flumine Salso* alluatur. Nomen a S. Cathaldo Tarentino Episcopo invenit, cujus servat ossium fragmenta, sedetque in solo leviter declivi ad meridiem, & ortum, rectis viis, & amplis distinctum. Major Ecclesia & parochialis Deiparę sine labe conceptę sacra, pene in centro, paucis ab hinc summa magnificentia extructa, undecim Sacerdotum collegio, sub Archipresbytero decorata fulget, cui septem alię minores subordinantur. S. Marię de Mercede fratribus satis amplum, decensque Cœnobium, ubi tyrones ad pro-

professionem emittendam educantur, nec non Capuccinis nostro hoc sæculo locum attribuit *Joseph Galletti* Dynasta, cujus opera opidum elegantissimo insuper palatio instructum, incrementa suscepit. Subest Episcopo Agrigentino, qui suas in ea curas Vicario committit; censetur in Comarchia Calataxibettensi, ac per Magistratus a Marchione designatos administratur; Profert hic in Comitiis votum xxix. gaudetque mero & mixto, uti dici solet, imperio. Primus opidi census anno MDCLII. fuit larium 373. incolarum 1366. Hujus sæculi anno XIII. larium 974. animarum 2659. ac in ultima 4794. Ager frumenti, & frugum ferax, aquarum venis longe fœcundior redditur, armentisque nutriendis aptissimus evadit, colonos hinc locupletat, ac aratores frequentes habet, nec vineis caret, aut oletis, nec venatoribus ingratus audit.

Gens *Barresia* olim terras habuit obnoxias. Fridericus autem II. *Bernardo Seniscalco* MCCC. attribuit. *Riccardellus de Testis Isoldæ Siniscalco* maritus hinc tenuit, uti in Martini Censu. *Mazzullus Salamone*, mox jure uxoris *Eleonoræ* de Testis MCCCC... *A Violanta Salamone* dotis nomine *Antonius de Jatu* accepit, quorum filia & hæres *Vincentio Galletti* MDXXXVIII. nupsit. Ex his *Asdrubal*, unde *Vincentius & Nicolaus*. Illo decedente, secundus obtinuit, qui opidanos congregavit; cujus & Camillæ Macinghi filius *Vincentius* primus Philippo VI. concedente *S. Cataldi* Marchio. Ejus fuit uxor Maria Neapolis, cum qua *Josephum* primo loco genuit, florenti ætate sublatum; hinc *Vincentius* frater, Caroli II. decreto Fluminis Salsi Princeps renunciatus. Fulsit S. Jacobi Eques, Panormi Justitiarius, aliisque muneribus perfunctus. Ex Maria de Gregorio filios habuit Petrum, *Ignatium*, Josephum, & Nicolaum. Primus Sacræ militiæ addictus

dictus, S. Antonii Panormi primùm Parochus, de rebus Fidei Quęsitor unicus, & Supremus, Pactensis & Catanę Episcopus, virtutibus denique & scientia eximius nonagenario major decessit. *Ignatius* absque prole obiit juvenis; *Josephus* de suis subditis optime meritus, Alcantarę Miles, ex XII. Regni Viris, Panormi Prętor, Regi a cubiculo, nullo cum Perna Gravina filio generato, MDCCLI. in *S. Cathaldo* mortale exuit; *Nicolaus* idcirco, qui dudum Marchio fuerat appellatus, Opidi Dominus, & Fluminis Salsi Princeps evasit. Fuit & ipse ex XII. Regni Viris, & cum Victoria Vernagallo filium acquisivit *Victorinum*, *S. Cathaldi* Marchionis titulo decoratum, Hippolytę de Grua conjugem, ex qua prole auctus, cum patre vivit. Latitudo est grad: XXXVII. XXVII. Longitudo XXXVII. XXXV.

S. CATHARINA Opidum in Comarchia Calataxibettæ, & Agrigentina diœcesi, in ęquo solo ad ortum & meridiem situm, ampla via, cui rectę minores respondent, distinguitur, cujus jacta sunt fundamenta *Julii Grimaldi* opera, circa elapsi sęculi initium, in agro *Risicallo*, vulgo *Risicbidia*. Servat hic Arcis adhuc vestigia II. pass: M. ab opido, quę rupibus olim imposita. Parochialis ędes B. Marię Immaculatę Conceptionis hodie, sed novam moliri sub Annunciatæ Virginis titulo cogitant opidani. Male Pirrus hanc S. Cataldo sacram evulgat. Dynastę domus decentissima est; Minores alię Ecclesię V. enumerantur. Præcipua Patrona S. Catharina V. & M. quæ nomen attribuit, quamvis author *Julius* familiæ suæ vocabulum opido primùm appinxerit, & *Grimaldum* appellarit. In Censu Friderici II. de anno MCCCXX. *Risicalla* & Cipunię feuda *Manfredus de Claromonte* possidebat, qui & rursus *Risgalla* & Fabariæ Dominus ibidem vulgatur.

gatur; Sita porro in *Tenimento Castri Joannis* dicuntur. In Martini I. Regesto MCCCCVIII. in eodem Ennensi territorio *Antonium de Modula* pro uxore Feudum *Risigallæ* obnoxium habere; & in Calataxibettæ territorio *Risicalliæ* feudum ad *Antonium Ferrer* spectare invenio. *Julius* cœtero *Grimaldus Risicalliæ* agro præerat MDCI. cujus filius *Petrus Andreas* Philippi IV. privilegio *S. Catharinæ* Princeps anno MDCXXV. renunciatur. Ex eo & Maria Grimaldi Ii ilius Dominus *Julius II.* qui ducta in uxorem Agatha Bononia *Petrum Andream II.* mundo dedit. Oppidum hic Scipioni Cottone Altamiræ Marchioni, Basusi subinde Comiti, MCCL. aureis acceptis, anno ejusdem sæculi LXI. vendidit, qui ad suos transmisit, de quibus alib. *Risicallæ* nihilominus jura, & Principatus titulum *Petrus Andreas* retinuit, uti & filius *Julius* natus ex Æmilia Castello illius conjuge. Excepit hunc *Petrus Andreas III.* qui mox vita functus, sorori *Æmiliæ* hæreditatem reliquit, *Didaco Jardina* S. Nymphæ Marchioni desponsatæ. Anno MDCII. constabat epi[illegible]um 392. incolis 1021. sed ex Pirro 360. foc[illegible], incolisque 725. sæculi [illegible] anno XIII. lar: 484. anim[illegible] 1752. recenter 2092. computantur. Sedet S. Catharinæ Dynasta inter Barones loco LXVII. gladii pote[illegible] fruitur, pinguesque proventus ex agris colligit, qui frugum ditissimi, herbis frequentes, colonorum industriæ respondent. Longitudo grad: XXXVII. XL. Latitudo XXXVII. XXXVII.

CATHOLICA Oppidum recens, sed copiosum, Comarchię & diœcesis Agrigentinæ finibus conclusum. Tribuerat Fridericus Cæsar Siciliæ Rex Panormitanæ Ecclesia *Casalia Platani & Capredis cum omnibus tenimentis suis*, ex literis Panormi datis mense Octobri

MC-

MCCXI. Hęc juxta Pirrum de *Platanis & Platanellis* subinde sunt appellata, & ab Archiepiscopis Panormitanis sub censu annuo variis Dynastis concessa. Anno hinc MDCXII. *Franciscus Isfar & Corilles* Siculianæ Dominus, ad quem Casalia devenerant, sed omnino deserta, opidi *Catholicæ*, ad Halyci fluminis, hodie Platani sinistram ripam, fundamenta jecit, eo loco, quem *Ingiflonem* vocabant, utque Joannæ filiæ nomine, id Principatus titulo donaretur ab Philippo III. Rege MDCXX. exoravit. Solum porro leniter declive, ortum & meridiem spectans, in tumulo occupat, rectis ac latis viis describitur cum Principis satis magnifica æde; majoremque parochialem Ecclesiam S. Spiritui sacram pene in centro magnificentius moliri cœptam habet, sub qua minores duę alię Archipresbytero administrante degunt. Pirri ævo S. Marię de Mercede Fratres, quos in templo sub Immaculatę Conceptionis titulo ab anno MDXV. *Catholicæ* coluisse constat, peritabant; hos tamen ille memoriæ lapsu præteriit, & Carmelitas primę Reformationis recenset, in S. Annunciatæ MDCXXVI. post Carmelitas Conventuales suffectos, opera & divitiis *Joannæ de Bosco & Corilles*, qui defecisse omnino creduntur; eorum quippe nulla extat memoria. Augustinenses Congregationis S. Adriani Eremitæ in D. Joannis Baptistæ æde extra opidum, ubi pervetustum est templum S. Mariæ de Platani, incolunt. Collegium denique B. Mariæ pro puellarum Institutione nuper construitur.

Gloriatur *Catholica* sub S. Rosaliæ Panormitanæ Virginis tutela esse. Stemma ostentat suum, tres scilicet colles flammis e vertice conspicuos, supra quos Stella. Lares Pirri ætate numerabat 655. indigenas vero 2599. Sed in Regiis libris de anno MDCLII. lar: 1072.

incolę 4288. censebantur. Sub annū MDCCXIII. foci 1407 cum opidanis 4588. computati, qui novissime 6560. His Magistratum Princeps annuum designat, gladii potestate gaudens & in Comitiis locum XIII. occupans. In agro feracissimo olim S. Mariæ de *Platani* Ecclesia, cujus supra memini, qua temporum injuria in ruinas abeunte, altera S. Mariæ de Ponte nomen referens, est condita. Pons quippe supra *Platanim* amnem III. circiter pass. M. ab opido, magnificus dudum surgebat, Claromontanis adscriptus, ex cujus VII. fornicibus unus supererat; unde aliorum moles qualis esset, dignoscebatur. Pascuis idem ager amplissimis, & pinguibus distinguitur, rem pecuariam, & armentorum greges augens: vino, melle, fructibus celebratur.

Sed Principum prosequar seriem. Nupsit *Joanna Isfar*, unica *Francisci* proles *Vincentio Boscho* Misilmeris Duci, Aurei Velleris Equiti, qui pluries Regni XII. viris accessus, & Panormi Prætor fuit. Ex his *Franciscus* Alcantaræ Eques, & Siculæ militiæ Præfectus, MDCLV. Princeps renunciatus, duas tulit uxores Magdalenam de Bazan, Marchionis Sanctę Crucis Hispaniç Magnatis filiam, qua mortua, Thomasiam Gomez de Sandoval, Roderici Ducis de Infantado Siciliæ Proregis sororem, cum qua *Josephum*, & Rosaliam genuit. Ille Victorio Amedeo de Sabaudia a cubiculis, & SS. Annunciatæ Eques claruit, nullamque ex binis uxoribus Constantia Doria ex Ducibus Tursiç, & Anna Gravina prolem tulit. Rosalia Philippo Bonanno Roccæfloridæ Principi adjuncta, *Franciscum Bonanno & Boschum* habuit filium, qui & *Catholicæ* Princeps est dictus MDCCXX. post Josephi avunculi mortem. Aurei Velleris Equitibus & Hispaniarum Magnatibus *Franciscus* adscriptus; ad Victorium Sabaudię Legatus, Regi

nostro

nostro a Cubiculo & Carolo VI. Cæsari ab aulicis intimis consiliis, pluries Patriæ prætor, ex XII. Regni viris; Proregis demum Vicarius, aliisque muneribus perfunctus vixit ad annum MDCCXXXIV. Ejus fuere uxores Isabella Morra, & Anna Maria Filingeria, ex qua ultima *Josephum* suscepit, Justinæ Borromeæ & Grillo conjugem, Hispaniarum Magnatem, & Regis Cubicularium, in vivis hodie, prole auctum agentem. Extenditur ad longitudinis gradum XXXVIII. *Catholica* & XXXVII. XXX. latitudinis. De colle eidem proximo multa feruntur, alibi examinanda.

CAULONIA Opidum olim Siciliæ. Stephanus: *Caulonia opidum Italiæ; Est & aliud Siciliæ: Opidanus inde Cauloniates, & Caulonius*. Apud Antoninum in Itinere: *A Catana Agrigentum mansionibus nuper institutis* M. P. XCI. *sic: Capitonianis* XXIIII. *Philosophianis* XXI. *Callonianis* XXI. *Capitoniana* ex Cluverio locus est, ubi *Centuripa* prope Aydonum, sed Tomo I. dixi incongrue illic eam stationem reponi, atque ad *Capezanam* in agro *Camopetro* ex Pacio statui debere asserui. Philosophiana haud procul a Platia stetisse demonstravi. *Cauloniam* hinc Stephani, quæ & *Calloniana* Antonini, locant nonnulli ad Petrapretiam a Platia pass. M. XV. circiter dissitam, quod non procedit; remanet enim ad dexteram iter habentibus Agrigentum, & intervalli numerus, qui teste eodem Cluverio minime videtur corruptus, aliunde non congruit. Post Himeram amnem meridionalem, seu Salsum flumen, circa fines Vallis hodie Mazarensis, videtur locanda *Caulonia* media inter Platiam & Agrigentum; sed situs est omnino incertus.

CELLARIA Casale prope Mazaram, quod Guillelmus Malconvenant Siciliæ Talassiarcha cum uxore

sua Margaritha Hospitali S. Joannis Messanensi anno MCCII. concessit. *Est hodie*, inquit Pirrus Not: Prior: Messan: *Membrum, sive Grangia Commenda Marsalensis*,

CENA Opidum vetus, ubi Siculiana XVIII. pass: M. ab Agrigento, uti Cluverius ex Antonini Itinerario per maritimas stationes eruit. En illud: *Agrigento Cenas* XVIII. *Allava* XII. *Ad Aquas* XII. Cluverii verba sunt: *Fazellus* Siculianam Opidum *a Friderico Claromontano conditum fuisse tradit, at Ego ab eo instauratum, sive restitutum, quum bello destructum foret, crediderim. Certe multis sæculis ante istum Fridericum, opidum hoc situ appellatum fuit Cena*. Et paullo infra: *Ab Agrigento vero ad dictum opidulum Siculianam* XVIII. *computantur eo itinere millia, unde id esse Cenam illam Antonini manifestissimo indicio liquet*.

CERDA Viculus haud veteris fundationis, Marchionatus titulo, ad præclaram S. Stephani gentem spectans; aliter *Tabernanova*. Occurrit iter habentibus Panormum inter Calatavulturum, & Thermas in plano solo paullo ante Fluminis Torti trajectum, Ibi Pons lapideus a Meretrice appellatus, qui hodie nullius est usus, longe enim a publica abest via. Paræcia opiduli Deiparę sub Immaculati Conceptus nomine sacra. Dynastæ domus decentissima; lares XVI. ex censu MCCXIII. incolæ 82. Ager *Calense* nomine venit, *ubi Cerda* sedet; jus in eo olim fuit *Gilberto Centelles* Colesani Comiti; inde *Lucianus Vigintimillius* Castrinovi Dominus tenuit; unde ad *Bardi* gentem pervenit. *Antonius* quippe *Bardi* emit MCCCCLVII. & Salvatori filio reliquit, qui congregandi homines a Carolo V. Cesare facultatem obtinuit MDXXVI. Habuit, soluto *Bardis* pretio, *Joseph Sancto Stephano & Cerda*

Fon-

Pontanæ Muratæ & Vallislongæ Dominus, qui ædificium promovit MDCLVI. & Cerdæ Marchio Philippi IV diplomate post triennium evasit. Ex eo & Josepha Bertola *Alexius* MDCLXXIV. Dynastias assecutus, qui cum Antonia Notarbartolo *Josephum* genuit. Vivit hic Regiæ militiæ Tribunus, Arcisque Molis Panormitanæ Præfectus, conjunctusque sacris vinculis Eleonorę Vanni *Alexium* filium ex ea suscepit. Gaudet gladii potestate, & in Regni postremo Consilio MDCCLIV. votum protulit. *Calcusæ* solum fœcundum, sed colles, vallesque frequentes feudum occupant, colonorum industria frugibus etiam feraces.

CEPHALA Arx editæ rupis supercilio inhęrens, quę undique pręcisa, ad VI. M. pass. circa radices per circuitum patens, aditum in septentriones & occidentem, arduum habet. Nomen ex Fazelli mente a Saracenis appictum; sed ex Cajetano Græcum est; nam ΚΕΦΑΛΙΣ *Caput*, & referre *Caput* rupes videtur, ubi in acutum desinit clivum arci suppositum, ab ora australi, vel maxime conspecta. Paropum ibi vetus opidum stetisse nonnulli tradunt, quibus Cluverius refragatur; hinc alibi Paropum locatum inferius ostendam. Arcis frons præcipua ad meridiem & ortum vergit, ædificium multiplici concameratione assurgit. Porta & atrii muri videntur muniti, & intra muros Ecclesia. Occulta in ipsa rupe excisa est scala, unde ad radices usque descensus, eo loci, ubi Thermales aquę, alibi descriptę promanant. Hodie opidulum condi cœptum ad occiduas oras & septentrionales cum paræcia Agrigentino Episcopo subjecta. Abest porto *Cephala* ab urbe Metropoli pass. M. XX. in austrum. Ducatus tessera insignitur, licet olim illius Domini Barones dicerentur, ac ex præcipuis insulæ essent; gladii pote-

potestate gaudent, ex quo agro frugum omnis generis divite pingues census percipiunt. *Cephalæ* mentio extat primis Northmannorum temporibus cum in diplomate Rogerii Comitis, quo Diœcesis Agrigentinæ fines designat anno MXCV. tum in Institutione Præbendarum ejusdem Ecclesiæ ab Rogerio quoque facta Urbano II. Rom: Pont: confirmante MXCIII. ubi hæc lego: *Quarta Præbenda fuit de Cephala, & tenimento suo præter Ecclesiam S. Mariæ & Hospitale via Panormi. Cephala autem commutata fuit pro mensa Clericorum pro quingentis tarenis: de Busaquino scilicet de excambio Montis Regalis*. De Busaquino jam dixi; quæ sit Ecclesia S. Mariæ incertum; Domus autem Hospitalis illa sub S. Laurentii titulo censetur, a Regibus Siculis in agro *Cephalæ* fundata, cujus Friderici Cæsaris ævo, Rector erat Goffridus Capellæ S. Petri Clericus, uti apud Pirrum habes. An porro *Cephala* juris tunc fuerit Episcopi Agrigentini, aut alicui Dynasti obnoxia haud satis dispicio.

Anno MC... *Palmerius Abbas* ea potiebatur, cui *Nicolaus* filius successit in Siculis Annalibus celebris. Ex eo emit MCCCXXIX. *Joannes Claromontanus* Motycæ Comes: unde *Manfredus*, qui *Friderico de Fridericis* Saccensi MCCCXX. florenis III. M. vendidit. Ab hujus potestate revocavit *Riccardus Abbas* Nicolai filius, qui Martino Regi infensus bonis spoliatur. Ab eo Principe *Fridericus* idem primùm, mox alii *Thomas* scilicet de *Ulozonellis*, *Joannes de Aprilia*, tandemque *Petrus Raymundus de Falzar* MCCCCIV. obtinuerunt, qui postremus elapso vix anno, *Joanni de Abbatellis*, unciis ab eo DCCCC. acceptis concessit, Rege eodem suis literis confirmante. In censu hunc de anno MCCCCVIII authoramentum *Joannes* dedit. Habuit uxorem Eleo-

noram

noram Claromonte Manfredi filiam. Cameratæ Comes, Regni Præses sub Alphonso, aliisque muneribus claruit; Primogenitum Fridericum Cameratæ, alterum sibi cognominem filium *Joannem* Cephalæ Dominum moriens dixit MCCCCLIII. Cui sine prole decedenti *Manfredus* frater successit, unde *Fridericus*, jure uxoris Gibillinæ Dominus, ex quo *Joannes Manfredus Friderici* genitor. Hujus filii Catanam se receperunt, ipse apud Pactas vivere desiit MDXXIII. *Franciscus Bonanius* exinde *Cephalæ* Baro evasit, qui & Marinei proximi opiduli Comes erat, filiumque *Gilibertum* habuit. Ex eo ad gentem de *Boscho* devenisse tradunt, sed anno MDXXX. *Jacobo Scavattio* obnoxium *Cephalæ* agrum invenio. *Jacobum* excepit *Aloysius*; cujus hæredes pio Operi in S. Ursulæ ad purgantium manium levamen Panormi instituto legarunt. Operis Rectores MDCXX. *Nicolao Diana* vendiderunt. Hunc *Guillelmus* filius excepit. Ex quo & Agatha Colnago *Nicolaus* primus *Cephalæ* Dux Caroli II. privilegio MDCLXXXIV. appellatus. Hic cum Antonia Parisia *Michaelem* genuit; Æmiliç Castellç conjugem; unde *Joseph Nicolaus*, hodie in vivis agens, Bonaccursi etiam Marchio, Academiæ Agricultorum nuper Panormi institutæ, Mecenas, quibus amplum, elegansque viridarium extra portam de Castro, ad eruditas exercitationes aperuit ab anno MDCCLIV. Ejus est uxor Felicitas Pilo & Tassis, ex qua prolem suscepit. Idem novi opiduli author dum hæc scribo, homines congregat: Gradum latitunis XXXVIII. non excedit & XXXVII. XXVI. longitudinis attingit.

CETARIA Opidum vetus maritimum, a Ptolemæo inter Bathym fluvium, hodie Jatim, & Panormum ponitur; putantque idcirco nonnulli, ibi stetisse

prope

prope litus, quod colli subest, ubi ex Fazello Elyma stetit, & hodie vulgi voca bulo *Palamita* dicitur; habet enim veteris habitationis vestigia. Cluverius tamen, qui ad Palamitam Parthenicum statuit, uti videbimus, Fazello adhęrens *Cetariam* inter Segestæ Emporium, vulgo Castellum Maris, & S. Viti Promontorium locandam censet, ubi antiqui opidi manifestissima apparent vestigia, cum turri specula ab vicinis populis de *Scupello* appellata. Hic quippe magna copia cetæ, seu thymni in prędam nautis veniunt, & sale condiuntur, unde olim loco nomen Romanis Latina lingua impositum. Plinio *Citarii* memorantur populi a *Cetaria*.

CHIDIA Casale vetus jacens hodie; sed ejus in agro *Castellum Thermæ*, valle intermedia post Suteram, surrexit, de quo actum.

S. CHRISTINA Opidulum novissimæ originis, decurrentis scilicet sęculi, in Panormitana ditione, & diœcesi, ab Casali Gręcorum haud procul. Ritum hinc Græcum servant incolæ. Parœcia S. Virgini cognomini sacra est.

CIAMBRE S. Marię Monasterium in asperrimo ejusdē nominis colle, a *Burgetto* opido haud procul, quod Andreas Guardabaxo nobilis Panormitanus Monachis S. Benedicti e proximo Monasterio evocatis attribuit, anno MCCCCX. Ibi Joannes Senesius a B. Angelo germano fratre S. Martini fundatore Abbas constitutus, aliquando vixit, Nec longe inter dumeta, quercusque Julianus Mayalis vitam quoque solitariam duxit. Insignis denique Folengius Monachus, aliter Merlinus Coccajus, Poeta ingeniosissimus, ibi diversatus, musis indulsit, locumque suis versibus celebravit. Aquę apud agrum *Ciambre Corbellam* salutares, diureticæ, purgandi vim habentes, memorantur.

CIAN-

CIANCIANA Opidulum, *S. Antoninus* alio vocabulo, & olim *Chincana*, Principatus insignibus ab anno MDCCXXVII. auctum, ad sinistram Mavhasoli amnis, Albę, seu Allavę ripam, sub arce Petrę Amici, ubi Alexandria, ad austrum sedet, natalesque post elapsi sęculi medium recognoscit, Didaci Joppoli opera, *Cianciane* feudi Domini, & *S. Antonini* Ducis. Parochialis Ecclesia SS. Trinitati nuncupata, ac sacra Purgantium manium ædes, sub Archipresbyteri cura in Agrigentina diœcesi degunt. Incolarum Patronus S. Antoninus, cujus basilicę Minorum de Reformatione Conventus adhæret nuper institutus. Primus opidi census in Regiis libris anno MDCCXIII. lares 698. municipes 2302. exhibuit, qui hodie 2874. numerantur. *Chincana* in Cameratę territorio Casale juris *Bartholomei de Brundusio* civis Catanensis Friderico II. Regni potente, fuisse invenio; sub Martino vero *Berengarius de Orioles* obtinebat. Anno MDCLXVI. ab *Hieronyma Ficarra* emit feudũ *Didacus Joppulus* S. Antonini Dux, Regii Ærarii Præses, Magistri Justitiarii locũ tenens, Supremi demum Italię Consilii Regens, ex quo & Sigismunda de Onofrio *Antonius* prodiit Rationum Magister, Panormi Prætor, qui Principis insignia a Carolo II. Rege impetravit; & S. Blasii Dux etiam claruit. Ejus fuit uxor Antonia Gianguercia, unde *Petrus*. Ex eo & Agatha Spatafora *Antoninus*, *Ludovicus* & *Didacus*. Obiit ille sine filiis. Alter Hispaniarum Magnatibus accensus, in Catholici Regis exercitu Equitum Tribunus, strenue contra Mauros sub Orano decertans, MDCCXXXII. occubuit. *Didacus* ducta in uxorem Isabella Pescatore, quam sibi *Ludovicus* desponderat, Regi a cubiculo, Hispanæ militiæ Vice Imperator fulget. *Petrus Ludovici* & Isabellæ filius

lius S. Antonini Princeps, ex Magnatibus Hispaniarum, Vallonæ Custodiæ Vice-Centurio vivit. *Giarcianæ* ager fœcunditate præcipuus habetur.

CICALDIS Casale olim Scalori de Ubertis, inde ad Montapertos spectans, in quo hodie Mons Alegrus opidulum, aliter Andegavium, vulgo *Angiò*.

CIMINNA Opidum novi nominis ex Fazello, & vino nobile, in Thermitana Comarchia, & Ecclesiastica Panormi Provincia, Ducatus tessera decoratum, pass. M. V. a Caccabo in meridiem, in collibus ex imo in altum se subrigens, sedet ad fluminis Thermarum sinistram ripam, cujus arx loco editiori ruinas hodie ostendit. Majus templum sub Archipresbytero, Clero famulante, S. Mariæ Magdalenæ nuncupatum, sub arce præcipuo assurgit situ. Prædicatorum fratrum Cœnobium S. Dominici titulo insigne, seculo XVI. fundatum; Minoritanum Conventuale B. Francisco sacrum eodem ferme ævo ex Cagliola Manifest. Ord: Min: & Capuccinorum extra pomœrium amœno in tumulo ab anno MDLXXXVIII. conditum, decenti cultu nitent. Nec illud Paenitentium S. Viti Ecclesiæ opidanorum Patroni adhærens anno MDCVIII. constitutum, minoris est opido ornamenti. Carmelitæ olim locum habebant, sed congruis destituti censibus recessere. Monialium sub S. Benedicti nomine, ac regula, nobile claustrum, Deiparæ Virginis nuper extructum Collegium, domusque demum Hospitalis ægris & peregrinis aperta, incolarũ pietatem commendant. Horum equites V. pedites LIV. sub Thermarum Præfecto indigenam militiam augebant; Foci sub Carolo V. 1030. apud Fazellum, animæ 4346. anno MDXCV. computabantur. Sequentis sæculi medio lares 1449. incolæ 5716. censi sunt. Anno MDCCXIII. foci 1442. cives 5419. & novissime 5376. numerati.

merati. Jura administrant Magistratus, quos Dynastę designant annuos; Clero Archiepiscopi Panormitani Vicarius præest. Dynastis porro, qui olim Barones, mox Duces ab anno MDCXXXIV, locus competit in Comitiis X. ac plena gladii potestas committitur. Horum est series, quæ sequitur.

Sub Gallis datum *Ciminnæ* opidum a Carolo II. Neap: Rege, qui veluti Siculus etiam Princeps se gerebat, *Virgilio Catanæo* testatur Borellus Vindic: Nobil: Neapol: Northmannorum hinc ætatem *Ciminnæ* ortus, aut excessit, aut ęquavit. *Peraltis* subinde obnoxium invenio. Inter *Matthæi Palicii* dynastias computatatum vulgavit Apriles in Sicul: Hist: Sed Aragonensis Friderici II. evo *Matthæus Sclafanus* eo potiebatur, uti in Censu ejusdem Regis de anno MCCCXX. Ejus & Bartholomęæ Incisæ filia fuit *Aloysia*, quę Guillelmo Peraltæ anno MCCCXXXIII. data est uxor cum dote *Ciminnæ*, unde *Guillelmonus*. Hic cum Juliana opido *Ciminnam* commutavit, ac Guillelmo Vigintimillio MCCCLXIX. attribuit, rem Friderico III. suis literis apud Corileonē datis, biennio post firmante. Hic Regis Senescalcus effulsit, & Martino I. operam suam egregie probavit, cujus hęredes in ejusdem Principis Regesto *Ciminnæ* Domini dicuntur. Barberius in Capibrevio *Guillelmo* filium successisse ejusdem nominis tradit, cujus unica proles *Isabella* Joanni Vigintimillio Hieracis Marchioni nupsit, secundisque vinculis Guillelmo Moncadę Calatanixectę Comiti conjuncta vixit. Verumenim vero turpiter allucinatus ille hæc protulit; Vigintimillius enim Montecatino annis circiter VII. supervixit, & solus idcirco *Isabellæ* maritus fuit, qua mortua aliam duxit. *Guillelmus* hinc Moncada *Ciminnæ* Dominus anno MCCCLIII. evasit, ob sibi copu-

latam *Joannam*, *Isabellæ* & Hieracensis, Marchionis filiam, cui a morte matris *Ciminnæ* obtigit. Improles porro hęc cum primo conjuge, ad secundas convolasse nuptias creditur, cum alio gentis suę viro ignoti nominis, moriens enim *Joannem Guillelmum Vigintimillium* ex se natum *Ciminnæ* hęredem dixit. Ex *Guillelmo* Paulus, qui sæculo xvi. ineunte vivebat, unde *Guillelmus* v. MDXVII. Hunc *Hieronymus* excepit, eique *Guillelmus* vi. successit, cujus unica superstes filia *Antonia* Mario Graffeo Partanę Domino a sponsa, *Guillelmum* vii. peperit, primū ejusdē opidi Principem MDCXXVII. renunciatum. Ex eo & Eleonora Bononia *Marius* Philippi iv. privilegio *Ciminnæ* Dux MDCXXXIV. creatus. Ejus successores de Partana loquentes dabimus.

Illustres viri *Ciminnenses* Elisabeth Tripodis vitę innocentia clarissima, quę Oblatarum S. Benedicti vestem induta, virtutum omnium speculum facta, sancto fine quievit. Ejus vitam Sanctorus Gigas & Antonius Toroamira scriptis consignarunt. Octavianus Bulgarinus ex ordine Prædicatorum, cui sese Neapoli addixit, inculpatę conversationis exemplis & doctrinę radiis effulsit. Supremos in ea provincia gradus omnes conscendit, sibi semper æqualis subditorum amorem, & virorum principum existimationem promeruit. Scripsit vitam F. Dominici Octomani. Paulus Amatus Sacerdos Mathematicus & Machinator singularis, Panormi ingenii sui, artisque eximię non pauca edidit monumenta. Vixit octogenario major, vulgavit de Prospectiva viris doctis probatum librum, & alium paravit. Felix Ursus Sacerdos Theodoro Trivultio Cardinali, & Siciliæ Proregi a Sacris, cum quo in Sardiniam profectus, Romam inde se recipiens, variis ibi nominibus commendatus decessit. Vincentius

Ama-

Amatus Musicus peritissimus, ejusdemque artis Panormi in cathedrali templo ad plures annos Moderator. Ejus celebrantur Sacrę cantiones, adhuc hodie summo cum plausu exceptę. Bonaventura Battaglia Tertii Ordinis S. Francisci Magister & Generalis Definitor, gravioribus disciplinis & amœnis literis imbutus effloruit. De his omnibus in sua Bibliotheca Sicula Mongitore. Agri *Ciminnensis* fœcunditas celebris habetur, sed vineis pręcipuè illius terrę consitę Baccho gratissimę evadunt. Vini idcirco quęstus apud incolas Panormum usque non levia parit illis commoda. Est ejusdem cum Caccabo longitudinis grad: circiter xxxvii. xxx. latitudo vero xxxviii. pene attingit. Memoratur ipso in opido sub S. Viti Ecclesia fons aquas sale infectas emittens.

CINISIS Casale olim *Matthæo Pipitoni* ab anno mcclxiii. obnoxium, cujus neptis *Alexandra Nicolao Bilingherio* nuptui tradita, *Violentæ* filiæ *Facio de Facio* mcccxlix. adjunctę, hęreditatem reliquit; conjugum horum donatione mccclxxxiii. & mcccciii. S. Martini de Scalis Benedictino Monasterio obvenit. Malaterra *Cinisum* ab Rogerio Comite captum cum Jato memorat lib: 3.cap: 20. sed an de nostro intelligat, non affirmo. Jacet non longe a littore aquilonari, in leniter declivi solo auctum incolis m. iii. circiter, adeo ut opidum jure possit appellari, cujus major Ecclesia parochialis S. Pharę Abbatissę Virgini sacra anno mdcxxii. fundata, Josepho Cicala Mazarensi Episcopo indulgente (ad hujus enim Diœcesim *Cinisis* spectat) quadriennio post in Archipresbyteralem crevit, cui dotem laudatum S. Martini Cœnobium designavit, cum jure eligendi & pręsentandi Archipresbyterum ex suis monachis unum. Primus hinc munus gessit Seraphinus

nus Gonsalez ab eodem Pontifice institutus. Abbas porro nedum Parochum, sed & Decuriones, aliosque sęculi Magistratus deligit, uti Dominus, plenoque jure per suos monachos res administrat. Torrentis alveo Favarotta opidulum circa meridiem, & occasum a *Cinisi* dividitur, de quo inferius. XXXVII. longitudi gradum non attingit, XXXVIII. XV. latitudinis habet. Ager frugum ferax audit, sed oleas fert ingenti copia, & siliquas; Frassinis vero, quæ incisę mannam electam producunt, tam longe, ac latę consitus videtur, uti mensurę modum aliquando gummis ejusdem quęstus excedat, & non exiguum pariat lucrum. Aquarum indigum dudum erat solum, sed nuper derecti latices abunde irriguum reddiderunt. *Cines* in literis Rogerii Comitis, Mazarensis Parochiæ fines describentis, memoratur, & pro *Cinisi* id esse Casale accipiendum Pirrus docuit.

CITTA Opidulum in Drepanensi ditione, vulgo *S. Laurentius*.

CLUSA Nobile Opidum, & Comitatus caput, Adrani Comitis Matthęi Sclafani anno MCCCXX, juxta Fazellum, conditum opera, passim creditur. Sed enim enunciato forte anno *Clusa* extabat, & Casale dicebatur, juris ejusdem Matthęi, qui in Friderici II. censu *Chisę* Casalis Dominus venit. *Chisę* enim vocabulum amanuensis vitio loco *Clusę* irrepsit. Nomen ex eodem Fazello, & Pirro invenit, quia ad equorum pascua clausum habebat agrū Matthęus, ubi illius fundamenta sunt jacta: verum alii, quod tres inter colles, ac duos Isburi fluminis ramos opidi sit situs, clausumque idcirco videatur, retulisse vocabulum evulgant. Tumulo insidet ad aquilonem & ortum, quadrangulari pene schemate, mediumque totū valle sciinditur, quam

ex nimia pluvia torrentis aquę passim efformarunt, adeout in pręceps civium quoque ędes abierint. Princeps hinc parochialis Ecclesia S. Nicolao Episcopo dicata, subjectam habet S. Catharinę, ubi divinis administrandis opera etiam navatur; illa scilicet regionalibus citra vallem loco depressiori, altera civibus ultra vallem in suprema ora hodie deputantur, uno tantum Archipresbytero, & Sacerdotibus XXXVI. Dei famulatum in utroque accurantibus.

Ornatur præterea *Clusa* variis Monachorum ędibus, ac novem filialibus, uti vocant, Ecclesiis. Nam S. Leonardi extra, quam *Nicolaus Peralta* Monasterio S. Martini de Scalis, anno MCCCXCI. ut esset monachis hospitium, unitam voluit, Congregationis Olivetanę ascetis anno supra sesquimillesimum, LXXV. cessit, qui ad jactum lapidis ab opido, novum, ac celebre cœnobium editiori, & amœnissimo situ MDCXXIV. condiderunt. Prædicatores fratres S. Mariæ Ecclesiam ab arce haud procul, Alphonso de Cardona Comite stipem, dotemque suppeditante MDXXXII. tenuere, ac templum subinde S. Rosarii jam perfectum inhabitarunt. Conventualibus Minoritanis MDXLV. S. Antonii ædes circa B. Catharinæ paræciam, opera Thomę Pinaroli ordinis Magistri obvenit. Observantes ad I. lapidem ejusdem Alphonsi liberalitas in S. Viti Ecclesia MDXXXVI. constituit, decentique cœnobio donavit, quod Innocentio Caidarera ejusdem instituti, vitę innocentia eximio rem promovente XCII. ejusdem sęculi anno, Reformatis est attributum. Ibi Christi Domini vultus simulacrum magna religione colitur, insignesque Sanctorum reliquię ex dono ejusdem Innocentii asservantur. Capuccinis ab anno MDLXXXI. sub S. Viti, locus extra opidum designatur. Augustiniani in S. Nicolai juxta

pomœ-

pomœrium ab anno MDCXXV. degebant, sed recesserunt. Virgines sacræ sub S. Benedicti regula pervetustum, ac dives, mole, & ædificiis satis spectabile, prope majus templum in ortum, habent Monasterium, Deiparę Annunciatę addictum; Orphanis puellis, corrogatis Romæ pecuniis laudatus Innocentius domum constituendam curavit sub S. Annę titulo, cui pio operi Laurentius Joenius Comes suppetias contulit. Paucis ab hinc Deiparę Collegium de Lumine appellatum coaluit. Domus denique Hospitalis decens extat, quam Alborum sodalitium administrat. Celebrat Pietrus S. Salvatoris, Purgantium manium, & S. Catharinæ etiam sodalitates, easque insignes appellat.

Comitis Palatium, seu arx, dudum conspicua, hodie ruinosa, præcipuo sedet situ; in cujus area S. Bartholomęi Patroni festo die nundinę habentur celebres; Civium ædes decenter per Opidi regiones assurgentes, illi decorem conciliant. Gladii potestate Comes utitur, & magistratus annuos, qui jura populo reddunt, designat, sedetque in Comitiis loco x. Clerum Agrigentini Episcopi Vicarius dirigit. Monregalensi militari Præfecto, pedites XXVIII. equites XVI. subdebantur, Corilionis demũ Comarchia *Clusa* comprehenditur. Lares sub Carolo V. 924. opidani MDXCV. censi sunt 4454. Sub Philippo IV. anno MDCLI. foci 1368. incolę 5297. Anno MDCCXIII. foci 1277. incolę 4867. & recenter 5675. Respondet situs pene longitudinis gradui XXXVII. & latitud: grad: XXXVII. XL. attingit. Clusam *Matthæus Sclafanus*, uti dixi, primus tenuit, cujus filiam *Aloysiam Guillelmus Peralta* uxorem duxit cum *Clusæ* & aliarum ditionum ultra flumen Salsum dote. Ex his *Guillelmus*, unde *Joannes* secundo loco genitus, cui *Clusa* ex patris testamento obvenit.

Hujus

Hujus & Elisabethæ filius *Nicolaus* junior in Martini Regis censu memoratus prole caruit; hinc *Catharina* soror *Alphonso de Cardona* Rhegii Comiti nupta obtinuit. Claruit hic Regni Magister Justitiarius. Ex eo *Antonius* Julianæ etiam Dominus, & Siciliæ Prorex; Cujus filius *Alphonsus Clusæ* Comes, Caroli Cæsaris privilegio anno MDXXXV. evasit, hæredemque amitam habuit *Catharinam*, quæ *Laurentio Joenio* Castrileonis Marchioni nuptui tradita. Anno quippe MDXCIII. Diana Alphonsi soror Vespasiano Gonsagæ Proregis filio desponsata improles obierat. Porro *Laurentio* successit Joannes, & huic *Alphonsus*, qui ex Maria de Avalos nullam suscepit prolem. *Thomas* hinc *Joannis* frater primus Castrileonis Princeps, *Clusæ* Comes est dictus. Reliquos consule ubi de Aydone tom. I.

Municipes illustres: Innocentius Caldarera Ordinis Minorum Laicus, de quo jam supra. Ejus admirabilem vitam habes typis editam. Floruit cum in Sicilia, tum Romæ, Viris Principibus, & Summo Ecclesiæ Pastori Urbano VIII. acceptissimus, a quo variis munusculis donatus, ea ad patrium Cœnobium transmisit. Miris a Deo prodigiis honoratus, prophetiæ dono illustris, diutinis morbis vexatus, Romæ tandem lætus mortem aspexit MDCXXXI. Clemens de Martino Olivetani Ordinis Abbas, & Generalis in Sicilia Visitator, quartum suum de Nemore Monasterium rexit. De Patrio autem S. Leonardi optime meritus, illud magnificentius prope pomœrium anno MDCXXIV. moliendum curavit. Ejus meminit Pirrus. Joseph Riccius Juris Consultus insignis, & ingeniosissimus Poeta, edidit *De Publicis Judiciis* tomos duos, literatis viris apprime probatos, variasque metro Italico opellas vulgavit, quas enumerat Mongitore. Apud eumdem Nico

laus Blaschus memoratur humanis literis instructissimus, qui de Grammatica scripsit, & Siculas Musas egregie illustravit. De Agro pascuis [illegible], frugum feraci, olerum, fructuum, mellis, olei, vini abundantia celebri, id passim affirmant, paucis illum per insulam decedere, tam large enim in eo omnia proveniunt, uti & vicinis ac remotis, quæ ad vitæ necessitates, ac delicias optari possint, affluenter suppeditat. In eodem ex Fazello, *locis, quibus Jardinello, & Cavaletto est nomen, aquæ lapidescit*, quod Pirrus alique affirmant; Sed enim Massa in sua *Peregrata Sicilia* testatur loci incolas de hujusmodi laticibus interrogatos omnia ignorasse, quod aut illas non adverterint, aut venis occlusis, omnino ætas deleverit.

COFANUM Caput, a monte ejusdem nominis appellatum. Vide *Caput Cofani*.

COLLES Agri Panormitani. Regio est ad septẽtriones, suburbanis Dynastarum magnificis ędibus, villis, hortis, viridariis, vineis, oletis, fontibus, cum primis celebris, amœnissima, ac veluti ad delicias facta. Nomen invenit, quod inter *colles* jacet, ac longe pass. m. XIII. circiter, lateque VI. extenditur. Suburbanũ Ressuttanensis Principis parochiam habet. Alia & numero, & elegantia urbe media non indigna, ne longus evadam, omitto.

COLUMBARIA, olim *Pleiades*, Insula parva, seu scopulus in Drepanensi portu, urbis extimæ parti ab austro adjacens, arcem munitissimam, ac pene inexpugnabilem veteri ævo conditam, & Fazelli ætate instauratam substinet. Putant veterem turrim Trojanorum opus esse, qui cum Ænea in hanc oram delati, loca proxima tenuere; hinc antiquum aliquod ut exprimant incolæ, *Colombara Drepanensi* annos habere

re passim dicunt. Alii Carthaginiensibus eamdem adscribunt, ibique illos Pharum locasse tradunt, quam Græcis, aut Sicanis e Drepano pulsis, urbem occuparunt. Zonaras *Numerium Fabium*, tradit, Romanum Consulem in Drepanensi obsidione insulæ *Columbariæ* & arci, quam Pœni præoccupaverant, esse insidiatum, missis noctu militibus, qui occiso præsidio, illam tenerent: *Hoc audito*, subdit, *Amilcar, mane contra illos profectus est, quibus, quum opem ferre Fabius nequiret, ipsum Drepanum aggressus est*. Amilcar vero ea territus re, intra muros se recepit; Fabius hinc *Columbariam* occupavit, & interjectum angustum spatium palustre aggeribus continenti adjunxit, uti facilior fieret oppugnatio. Lucioque Metello & M. Buteano Consulibus *Columbariam* Romani sibi vindicarunt. Arx, quam Sergius Ricciolius jussu Friderici II. reparavit, subindeque novis mœnibus & propugnaculis Joannes Vega Prorex instruendam curavit, cisternam ostentat latissimam ad pluvias aquas servandas, & tormenta ænea cum sugestis, militem denique præsidiariũ cum Præfecto habet. Objicitur urbis mus in ento, a S. Francisco appellato, & pass bus circiter ccc. ab eo disjungitur, vicinisque scopulis dominatur. Turris olim Constantiæ Friderici III. conjugis incolatu nobilitata; quùm Drepanum ex Aragonia appulsa, Guidonis Vigintimillii Urbis Præfecti, omnia tunc audentis jussu, classis excentione, ne sponso adjungeretur, inhibita, eò ad dies aliquot divertit, ut in Annalibus scriptum.

COLUMBARUM Insula parva, in eodem maris tractu, a sylvestribus columbis, ibi ingenti copia nidificantibus, appellata: vel juxta alios a Veneris Erycinæ *Columbis*; unde & *Columbariæ* jam descriptæ etiam nomen obvenit.

COLUMNA Turris in littore aquilonari post Thermas, inter S. Nicolai arcem, & fluminis Miliciæ, seu Pontis rupti ostium. Rupi imponitur inaccessæ ad custodiam, cum oræ subjectæ, tum terrestris itineris, ubi angustæ sunt fauces.

COMETA Mons Jacobo Adriæ, *Ambleris* aliis appellatus, supra vallem *Ficus* post agrum Panormitanum; circa cujus verticem rubri marmoris est fodina.

COMIANUM Casale in Agrigentina olim ditione, *Mariano Capitio* cum Diesi, Bucali, Rahalmicio, aliisque feudis obnoxium. Postrema hæc in Censu Martini *Antonii de Bonito* juris esse dicuntur, in quo nulla *Comiani* mentio.

COMICHIUM olim Casale, de quo Fazellus, sub colle, ubi Acristia, stabat. Calatabellottæ Comitibus subdebatur. *Antonius Luna* dedit *Angelo Inbiuno* Saccensi, a quo emit *Andreotta Alliata*. Memoratur Guilielmo II. in literis de anno MCLXXXVI.

COMITINUM Opidulum in valle Agrigentina, novissimæ fundationis, Petri Carreræ ætate, uti ipse scribit, conditum, circa MDCXXX. subindeque Principatus titulo auctum. Jacet in ejusdem vocabuli agro sub colle *Camatino*, ubi olim Castellum, inter Cryptas & Aragonam opida, declive solum occupans in meridiem. Major Ecclesia sub Episcopi Vicario, qui & Curio, S. Jacobo Apostolo sacra. Ad *Abbates* olim *Comitinum* spectabat, quibus a Martino Rege descientibus, datum est *Guillelmo Moncada*, moxque ob hujus contumaciam MCCCXCVII. *Fortunius de Carusio* ab eodem Principe accepit. Hic cum *Jacobo Aretio* Regni Logotheta biennio post commutavit, & Paternionis Scapham, vulgo *Jarrettam*, eodem Rege volente, est assecutus. Ad *Oriales* hinc devenit: unde *Belquadris* obti-

obtigit. Elapso sæculo *Gostonus Belloceva* ejus erat Dominus, Opiduli author, cujus filię *Carolus Morsolo* hæres dicitur. Ab eo *Michael Gravina* emit MDCLXXII. & *Comitissæ* Princeps Caroli II. rescripto sequenti anno dici voluit. Albiram Perremuto hic uxorem duxit, ex quibus *Emmanuel* prodiit, Isabellæ Cajetanæ subinde maritus. Michael illorum filius ante parentes vita excessit; *Ferdinandus* idcirco *Emmanuelis* frater obtinuit MDCCVII. cum Antonia Gravina sacris adstrictus vinculis. Vivit hodie *Michael* ex his progenitus, cujus est uxor Hieronyma Gravina. Claruit criminum Quæsitor Panormitanus, & morum comitate pręcipua, aliisque meritis commendatur. Iisdem pene gradibus latitudinis, ac longitudinis *Comitissam* respondet, quibus *Aragona*, a qua parum dissidet. Census sæculi hujus anno XIII. fuit larium 208. incolarum 618. sed novissime hi 991. computati. Ager fertilitate vicinis Aragonę, & Cryptarum campis nullimode decedit.

COMITISSA Opidum in ęquo pene solo situm, ad Batticanis fluenti sinistram ripam, a Busaquino haud procul, sub Calatamauri collis vetusta arce anno MCCCCL. originē habuit, uti nostri testantur Historici. Græci quippe homines, qui Bisirim Mazarense Casale dudum incolebant, eo relicto, sub Catharinę de Cardona Clusę Comitissę auspiciis, huc se conferentes novi opiduli fundamenta locarunt, ac brevi coaluere. Hinc sub Carolo Cęsare lares 68. numerabat, & ultra quingentas animas; sequentis sæculi anno LII. erant 996. in laribus 253. juxta Pirrum, licet lar. 183. incolę 753. in Regiis libris venirent. Decurrentis anno XIII. censi sunt foci 522. incolę 2070. & novissime 1452. Corilionis Comarchia clauditur *Comitissa*, & Montis Regalis Pręfecturā, sub qua pedites XV. militabant, agnoscit.

De

De Clusæ Comitatu censetur, & Agrigentino Episcopo subditur; Græco ritu, & Latino nunc ex parte utitur ritu, habetque parochialem Deiparę Annunciatæ sacram cum utriusque Ecclesiæ Clero. Agri denique bonitate fęlix est *Comitissa*, cujus Dynastæ xxvi. in publico Regni consilio assident loco. Hos ubi de Clusa, & Aydone consule.

CONCHEUS Lacus Lycophroni ex veteribus in Alexandra memoratus, in Sicanię partibus fuit. Poeta enim Drepanum, Erycem, Longaricum sinum, Gonusam Stagnum, & Sicanorum arva cum *Concheo* nominat. De *Borangio* in Agrigenti agro, & de *Bissena* lacubus, quos supra descripsi, cogitat Cluverius, ob varia naturæ miranda notissimis; sed certi aliquid non audet affirmare. Apud alios nulla est *Conchei* mentio.

CONTERRANA Rupes illa creditur, circa S. Viti promontorium a reliquo divulsa monte, pass. n. ab littore recedens. Ibi olim stetisse urbem *Conterranam* Jacobus Adria affirmat, & terræmotu disjectam, marique absorptam vulgus deprędicat.

CONTUBERNIUS Collis in ągro Bibonensi m. pass. u. ab eo oppido dissitus, ubi auri fodina latere creditur. Fons est ad ejus radices in austrum, cujus aquæ natura salsæ, æstate in concretum sal abeunt. Lucas Barberius varios *Contubernii* agri dominos ad mdxv. refert.

CORCONIANA Locus in Antonini Itinerario inter Platiam, & Agrigentum, xiii. pass. m. ab hac urbe distus, & a *Calloniana* xii. quæ ad Himeræ meridionalis dexteram supra statui. Male Cluverius ad sinistram Agragæ amnis ripam locat; hic enim ab urbe cognomine propius præterfluit. *Corconiana* igitur ad Naci potius fluminis sinistram sita olim fuisse putaverim.

extiterit, vel prope Ravanusam. In nonnullis exemplaribus per G oblique casu refertur *Gorganiensis*.

CORLEO, aliis *Corileo*, & Siculo ore *Conigliune*, Regii nominis opidum, in occidua insulæ regione satis insigne, ac inter mediterranea nulli secundum, Civitatis *Generosæ* titulo clarum, medium pene Mazaræ vallis ad Belicis amnis fontes occupat, ab urbe Panormo pass. XXIV. M. dissitum in meridiem. Schera olim Cluverio creditur, vel ex ejus ruinis emersum; ante Sarracenos non obscurum, atque ab iisdem binis arcibus instructum; a Rogerio Comite Panormitanæ Parochiæ finibus conclusum dicitur, a Guillelmo autem II. Monreis Regalis Ecclesiæ, ex dono Panormitani Archiepiscopi tribuitur, in cujus literis Castellum appellatur, & peculiari Domino addictum, Friderico I. Siciliæ Rege infantiæ primos annos agente, a Sarracenis direptum, sed nova Langobardorum colonia, *Oddone* Camerana deductore, ejusdem Friderici Regis & Cæsaris indultu anno MCCXXVII. excepta, dives, & copiosum evasit. Valide insuper munitum Gallis restitit obsidentibus, qui Ducis Bramanis fratrem, sub ejus mœnibus a fœmina lapide percussum, amisere; mox in societatem a Panormitano Senatu anno MCCLXXXII. vocatum, ac Friderici III. aliquando præsentia honoratum perhibetur. Martinus I. in Syracusanis Comitiis inter Demaniales *Corileonem* numeravit; sed inde *Corrado Querulto* concessit, a quo mox revocatum in censu de anno MCCCCVIII. Comarchiæ Caput vulgatum. Opidi ædes aliquot solo dehiscente funditus corruisse anno MDLXXXVI. Fazellus tradit; sedet enim *Corleo* pro parte in collis leni declivi, qui campo imminet, multa arbore circumquaque amœnissime consito, & in ardua partim ejusdē collis, qui veluti theatrum exhibet occasum

casum, septentrionesque respiciens, ab ortu, & meridie duabus asperrimis rupibus clausum, quibus totidem arces imponuntur. Et harum prima superior, propriis ruderibus involvitur, altera pene integra hodie nonnisi custodiendis noxiis deputatur. Moenia in æstivum solstitium adhuc perstant, ubi porta magnifica ingressum præbet; alibi labefactata cum turribus videntur. Portæ ampla & recta respondet via, ad aream late patentem aperiens aditum, quam Princeps sacra Basilica, satis decens Pretorium, ac nobilium ędes eleganter constructę, ambiunt. Hinc recta etiam alia subripitur via, ascensu difficilis ad superiores regiones. Hisque binis viis tota describitur civitas, complurius aliis interjectis, quas sacra, & civilia ædificia utrinque exornant.

Majori Ecclesię ab anno MCCCXCII. refectæ cum æris campani turri, in centro, a fori solo gradibus & substructionibus elatę, S. Martinus Episcopus titulum præstat, & insigne Canonicorum Collegium decorem conciliat. Id autem XXIV. constatur alumnis, quorum Primus, sive Decanus parochialia obit munia. S. Leo-Lucas Civis & Patronus cultum habet ibi peculiarem, ejusque festus dies sollemni pompa Kalendis Martiis celebratur. Subsunt eidem sex & triginta sacræ ædes filiales, quas inter eminet illa S. Petri, ubi sacra etiam administrantur; reliquæ per opidum laicorum sodalitiis addictæ, civium fovent pietatem. S. Dominici Cōventus ab anno MD.... constitutus, decentissimus, cum non ineleganti consurgit Ecclesia. Antiquior illa S. Augustini; ad III. quippe lapidem initio in S. Bartholomæi ascetę consueverant, anno subinde MCCCXXX. intra mœnia, sub S. Doctoris & Patriarchæ nomine jam novum ædificaverant, uti Ordinis Annales testantur.

Carmelitis locum Diœcesanus Pontifex attribuit, jure tamen Episcopali reservato. Horum origo sæculum xiv. præcessisse creditur; Divi enim Alberti opera fundatum S. Salvatoris Monialium cœnobium evulgant. Minores Reformati S. Mariæ de Jesu ab anno MDXXXIX occuparunt Monasterium, quod Observantes ejusdem instituti dudum tenebant. Capuccini extra muros edito situ, prospectu amœnissimo, circa ortum MDCXX. sedem statuere; Minores denique III. Ordinis S. Mariæ Gratiarum Ecclesiam, Matthæi Montesani Generalis Prioris, Panormi degentis authoritate anno MDCXVIII. occuparunt. Nitet demum præ aliis S. Philippi Nerei domus sub elapsi sęculi exitum fundata. Sanctimonialium sub Benedictino instituto duplex viget Monasterium extra pomœrium, S. Mariæ Magdalenę unum ad D. passus, Guillelmi II. Regis munificentia aut erectum, aut instauratum; Primus enim fundator S. Gregorius Magnus vulgo passim habetur; ædificiis idcirco nobile, censibus affluens, sacra supellectile dives, alumnarum denique numero præstantia, & disciplina illustre. Sub S. Salvatoris vocabulo alterum B. Alberto Carmelita authore, a quinto jam pene sęculo regularis districtionis exemplis undique fulgens; Quibus tertium accensetur, recentius intra mœnia, S. Claræ præceptis adstrictum, Deiparæ Virginis Annunciatæ titulum referens, monasticę quoque perfectionis exemplar. Puellarum Orphanotrophium sub Magistratus cura degit. Hospitalis domus Alborum sodalium inspectioni committitur. Pietatis montes, ut vocant duo, alter pro Sacerdotibus, alter ad egestatem civium levandam patent.

Res sacras Montis Regalis Archiepiscopi vicegerens administrat; Civilibus intendunt Criminali Quæstor.

stor, ac Judices cum gladii potestate; Pretor & Curatores xv. cum Syndico, qui ex ingenuis familiis deliguntur, hisque in Comitiis locus xxxi. competit. Stemma Leonem stantem, cor unguibus prændentem exhibet. Indigena militia equitum xxxiii. peditum cx. Montregalensis Præfecti fasces recognoscit. Langoubarda, a primis instaurcatoribus accepta, utuntur lingua incolę; Census larium sub Carolo V. fuit 1553. animarum 6118. Anno mdlii. foci 2639. cives 8332. Decurrente sæculo lares 1808. animæ 7055. quæ recenter 9065. fuerunt computatę. Ager amplissimè patens sub ipsomet opido extenditur, ferendis frugibus aptus, oletis, vineis, viridariis, arboribus undique fœcundus; gramine, oleribus, pascuis instructus; nec venatione injucundus. Fons in feudo Jumentorum celebris, aquas a mense Martio, ad Septembrem emittit, reliquis anni temporibus omnino deficit. In S. Marię de Vineis Aqua *Sancta* appellata, levissima, purgandi vim habet, variisque illo nachi morbis cum salutis profectu adhibetur. Latices largi, & uberes circa opidi verticē, ubi ędes est Divę Marię, amnem efficiunt cognominem, qui pluvio tempore auctus, pręterfluendo, quandoque subjectum solum erodit, collisque radices, cui *Corleo* insidet, dissolvit. Dehiscere hinc videtur terra, ædificiaque nutare. Fractinæ fluvius, & *Sanctaybanus*, ejusdem agri fœlicitatem cumulant, qui cū *Corleonensi* in Belicim se exonerant. Xxxvii. latitudinis gradum attingit Civitas, & xxxvii. xv. longitudinis respondet.

Illustres Cives S. Leo-Lucas Sarracenis Siciliam vexantibus in Calabria vixit, & Molæ Ordinis S. Basilii monasterium sanctissimè rexit, ubi exuvias, variis clarus prodigiis, ac sacris operibus plenus, deposuit.

fuit. Est, uti dixi, Patriæ patronus. Bernardus Latini humili loco natus, Laicus Capuccinus, altissimæ contemplationis, admirabilis pœnitentiæ, & sui ipsius cōtemptus non vulgaris, vir; Charitate in Deum, & proximum eximius, miris visionibus, & prodigiis illustratus, multorum eventuum, ac mortis suæ denique præscius, Panormi die XII. Januarii MDCXXVII. ætatis LXII. placidissimè in Domino obdormiit. Ejus extat vita typis vulgata. Joseph Laicus etiam ejusdem Ordinis miræ abstinentiæ, altissimæ paupertatis, ac jugis orationis studio celebris, sæpissime a Deipara Virgine visibiliter apparente consolatus, & in morte frigidæ potu recreatus, Agrigenti e vivis ereptus est MDLXXX de quo Pirrus. Archangelus de Hieronymo, & Paulus Foresta Ordinis Minorum de Observantia, vitæ innocentia, & sanctimonia clarissimi, quorum res gestas Michaelangelus Corleonensis ejusdem Instituti scriptas reliquit, teste Mongitore. Martinus Ordinis Minorum Conventualium Friderico III. apprime charus, a quo ad Joannam Neapolis Reginam pro Pace Legatus est missus. Antonius Sarzanus S. Martini Monachus, & Prior, Historias edidit ab urbis exordio ad sua tempora, Abbas demum S. Mariæ de Camporis apud Florentiam renunciatus, ibi piissime, ut vixerat, obiit. Prothasius Olivetani Instituti Abbas, S. Mariæ de Nemore alumnus, vigilantissimus in Sicilia Visitator, denique totius Congregationis Abbas Generalis, obiit in patria meritis plenus MDCVIII. Gervasius, & Hieronymus ambo etiam Olivetani Abbates. Jacobus Gotto, & Vincentius Fermatura Montregalensis Diœcesis, vacante sede Vicarii. Vincentius Gallano a Regio Sacello S. Angeli de drolo anno MDCVII. Abbas. Bartholomeus de Altavilla M. R. Curiæ Judex sub Friderico III.

Rege, cujus ad Pontificem, Aragonios Principes, aliosque, ac demum ad Joannam Neapolis Reginam Legatum anno MCCCCXXV. egit. Fuisse Candicattini in Netina Valle Dominus. Joannes Naso vir doctus & eruditus, Lucii Marinei præceptor & Panormitano Senatui a secretis, *De Celebritate Rerum* poema edidit. Panormi urbis Consuetudines, Supplementum ad Nicitias Scobaris de Rebus Syracusanis, aliaque mss. reliquit. Florebat MCCCCLXXVII. Marianus Maringus Juris Consultus clarissimus, publici juris fecit libros *De Ritu M. R. C. Siculæ*. Franciscus de Amore Minorum Observantium alumnus ab sacra eloquentia illustris; Josephus de Martino Poeta eximius; Seraphinus ex Minoribus Reformatis, a sacris Expeditionibus in regno Mexicano & earumdem provinciarum descriptione notissimus; Simon de Hieronymo, a studiis poeticis laudatus. Valerius Russus, Philosophus & Medicus non vulgaris, ab Antonino Mongitore in Sicula Bibliotheca memorantur.

COSCHINA Mons. Vide *Quisquina*.

COSSYRA Insula. consule *Pantellaria*.

COTRANUS Lacus in agro ejusdem nominis, aliter Godrano, juris hodie Calogeri Gabrielis Colūnæ, Cisari Ducis, ex Panormitano territorio. Patet in gyrum pass. M. circiter, fertque Cephalos, Tincas, & Anguillas probatissimas, quarum ingens fit quæstus Panormi.

COTYRGA Opidum vetus Ptolemęo memoratum. Ad dexteram Platani fluminis ripam stetisse tradit Cluverius. Anceps est animi cœtero, quod ad eādem plagam Ancyrinam fuisse locatam tradunt. *Duo enim opida*, subdit, *tam vicina inter sese, minime veri est simile*.

CRA-

CRANEUS Mons Saccę imminens, aliter *S. Calogerus*, de quo dixi. *Cronius* aliis appellatur; At enim ethymologia attenta, quod instar calvarię nudus omnino sit, *Craneus* congruentius nominatur.

CRASTUS Urbs vetustissima, de cujus situ variant opinionibus Scriptores. Fazellus enim in Valle Demana statuit, prope Alcaram, ac nomen adhuc locum retinere scribit. Ejus meminit Herodotus Philistus, Stephanus, Polemon, Neanthes, Suidas, & alii, atque ex his nonnulli clarissime in Sicania collocant. *Falsissima idcirco est*, ait, Cluverius, *Fazelli sententensia, qui Crastum tradit fuisse prope Alcaram.* Circa Heracleam Minoam videtur ex Herodoto statuenda; historicus enim ab Dorieo Lacedæmone conditam Heracleam enarrans, ejusdem opus fuisse lucum & fanum apud *Crastim*, Minervę, cognomento *Crastiæ* dicata. Post Dorieum vero occisum, Euryleontem Minoam occupasse affirmat. Stephanus lib. de Urbibus: *Crastus*, scribit, *opidum Sicanorum, authore Philisto Siculor. Rer. lib.* XIII. *Ex hoc fuit Epicharmus Comicus; & item Lais meretrix, uti author est Neanthes. Habet autem hoc opidum formosissimas mulieres, teste Philemone. Opidanus inde est Crastinus.* Suidas: *Epicharmus Tityri, sive Chimari, & Sicidis filius Syracusanus, sive ex opido Sicanorum Crasto.* Concludit hinc Cluverius. Quod quum ex Herodoto, & Diodoro constet, Dorieum pervenisse in Siciliam, Suidas vero & Stephanus ex Philisto *Crastum* Sicanorum fuisse opidum testentur, Nulla ratio est reliqua, cur dubitetur, Dorieum Minervæ *Crastiæ* fanum in Sicilia condidisse. *Fuit igitur Crastus in Sicanorum finibus circa Heracleam Minoam.* Est porro hoc tractu in mediterraneis Opidi cadaver, vulgari vocabulo Acristia; quod anti-

antiquum fortasse *Crassum* si dixeris, tam longe a vero non abibis. Cœterò Lacdem fuisse Hyccarensem plerique etiam tradunt.

CRATA Mons, Ptolemæo inter Panormum & Triocalam locatur, ac Craton dicitur. Nonnulli Nebrodem, hodie *Maduniam*, *Cratæ* nomine intelligunt, quod neget Cluverius, & Jugum illud montium a Nebrode Panormu versus extensũ *Cratam* fuisse opinatur.

CRIBEL Fons agri Panormitani, vulgo *Gabriel*. Vide.

CRIMISUS Veteribus Poetis & Historicis notissimus Fluvius, aliis nominibus *Crimnissus*, *Cirmissus*, & *Crinisius* appellatus, juxta Cluverii mentem Belicis est dexter; Fazellus vero cum Frigido, alter S. Bartholomæi confundit, quem tamen idem Cluverius Scamandrum veteribus fuisse affirmat. Belicis medius inter Saccam & Mazaram ostium aperit in australi insulæ littore, S. Bartholomæi in sinum Castelli maris ad aquilonarem se exonerat oram. Movetur Fazellus ex Fabula, quam Servius Comment. in Æneid. lib. 1. & 5. recitat: Ægestam scilicet Hippotæ cujusdem Troiani filiam forte fortuna in Siciliam delatam, a *Crimiso* flumine in canem converso vitiatam fuisse, unde Ægestus est natus; Qui Segestę urbi ab se conditæ nomen tribuit. Segesta autem circa septentrionale insulæ latus condita, unde sinus antiquis Segestanus dicebatur. *Crimisus* igitur amnis circa eandẽ oram locandus. Pomponius Sabinus in Virgil: *Crimisum* Regem fuisse scribit, cui Ægesta nuptui tradita Ægestem filium peperit. Ex hoc rege amni nomen impositum. Verum enim vero Cluverius ex Plutarcho in Timoleontem, & Diodoro lib. 16. constare clarissime docet: Ducem hunc cum suis, e Syracusis contra

Pœnos

Pęnos ad Lilybœum classe appulsos movisse, hostesque contra se magnis viribus properantes ad *Crimisum* fudisse. Pugna hęc ad *Crimisum* in meridionali ora commissa fuit, quò Timoleontis, & Carthaginensium exercitus e Syracusis, & Lilybœo sese occurrentes venerunt. *Crimisum* igitur flumen, unum ex majoribus Siciliç amnibus inter Lilybœum & Agrigentum fuisse clare liquidoque constat, ac Belicim dexterum hodie vocari, quod in Simithrum, veteribus Hypsam, influens, una insimul mari Siculo in meridiem sese adjungunt. Fontes porro Belicis dexteri cum illis Hypsæ Cluverius confundit, quum sint longe diversi, Dexter enim sub Entella vetusta urbe oritur; unde Vibius in Flum: Catal: *Crimisus Siciliæ, civitati Atilae*, quod vocabulum *Atilae* legendum esse: *Entellæ*, idem Cluverius docet. De Ægestæ historia, sub fabula, ubi *Crimisus* Rex, vel fluvius memoratur, cujus Virgilius nomen usurpat, illud tenui meo judicio occurrit dicendum: antiquum nempe Scamandrum, hodie S. Bartholomæi *Crimisi* quoque nomen tulisse, nullo enim poterit alio pacto Poetę locorum peritissimi cum Historicis discrepantia concordari. Excusandus idcirco Fazellus, quod Virgilio deferens, Crimisum ad Segestā locaverit, cujus etiam numismata Cane signata habemus, ad *Crimisi* in Canem conversi fabulam alludentia. Et si perperam de Timoleontis victoria contra Pęnos monumentum adduxerit, quæ prope Belicim evidenter evenisse dicenda est. Cœterum *Crimisum* amnem Gręcis dictum fuisse, quod altas habet ripas, Fazellus docet. Ultra allegatos Plutarchum, Diodorum, Vibium, Virgilium, ejusque interpretes, *Crimisi* fluvii meminere, Hyginus, Lycophron, & ejus scholiastes Isaacius, Æmilius Probus, Ælianus, & alii. Non omiserim

ferim denique, Segestanos *Crimisi* fluminis genium veluti Deum adorasse, sub viri specie, quod Ælianus testatur Var: Hist: lib. 2. cap. 33.

CRONIA Castella, idest *Saturnia* ex Diodor. l. 3. circa occidentales insulæ plagas posita. *Saturnus in Sicilia, & Africa, nec non in Italia regnavit, imperiumque in occiduis partibus constituit, & ubique præsidiis per arces dispositis, subditos in officio continuit; quo factum, ut per occiduas Siciliæ partes editiora passim loca Cronia*, idest *Saturnia Castella nominentur.*

CRONIUM Opidum vetustissimum incerti situs in Sicaniæ partibus: Polienus de Stratagem: lib. 5. *Imilcar juxta Cronium adversus Dionysii Duces castra constituebat, quum ii, qui Cronium inhabitabant Carthaginenses in urbem recipere vellent, neque Duces potestatem fecerent* .... Et infra: *Interea temporis Imilcar clam ad mœnia transivit, eique portas aperuerunt hi, qui recipere eum cupiebant, in urbemque, Ducibus ignorantibus, ingressus est.* Meminit Cronii lib. 15. Diodorus, ex quo Cluverius *Cronium* locum dicit; Sed clarissime Polienus urbem appellat, mœnibus munitã. In Leonis Imper. dispositione sub Syracusano Metropolita *Croniensis* Episcopus constituitur. An *Cronium* idcirco sevis extiterit temporibus dubitant Agiographi: Pirrus, uti & Cluverius certum *Cronii* assignare situm, se non posse profitentur.

CRYPTÆ Opidum, olim *Herbessus*, hodie *Grutte*, de quo inferius.

CUBA Castellum, cujus meminit Boccacius Decam: die 5. nov: 6. in agro Panormitano, Regiæ amplissimæ viæ respondens, qua Panormo Montem Regalem est iter; ubi structura sunt hodie Militum Burgundorum, uti vulgo dicuntur, idest Equitum, qui

Pro-

Proregis custodiæ destinantur. Ædificium vetus Saracenorum est opus; uti externi ornatus, inscripti Arabis notis lapides, fornices, aliaque id generis clarissimè ostendunt. Nomen ab una inter Amiræ cujusdam filias obtinuit, quemad nodum & *Zisa* arx altera, de qua alibi, ab *Cubæ* sorore dicta vulgatur. Amœnissima olim viridaria circa Castellum consita cernebantur ad Northmannorum *Regum* delicias. Hodie contra Castellum suburbanæ sunt ædes magnificæ cum elegantissimis hortis, variisque Pomonæ & Floræ gratiis, a *Cuba* etiam appellatæ, dudum Principatus titulo auctæ, *Vincentio Roo* Siculę orę portuum Magistro obnoxiæ, juris nunc gentis *Neapolis*. Et si Principatum *Hieronymus Landolina* assecutus, *Turris Brunæ* vocabulo distinctum voluerit. Refert Barberius *Cubæ* Castelli Præfectos complures ad MDXVI. Spectat hoc ævo ad Pandolfinæ Principes.

CUCIUS Mons in Agro Panormitano, Sarracenis *Cuz*. Vide *Acutus*.

CURSALIUM AQUA. Vide *Aqua Piratarum*.

CUTAMEN Casale in Diœcesi Agrigentina, uti ex variis monumentis, ubi illius fines describuntur, eruo.

CUTEMIS Casale in Caccabensi ditione, uti habet Invegius in Sicula Carthagine.

CUTRANUS Lacus. Vide *Cotranum*.





AEDALIUM Castellum, a *Phalaride* Agrigentino Tyranno etiam appellatum, quod in eo celebratissimus ille æneus Taurus Perilli opus, fuerit olim servatus, uti Diodorus est testis, situm inter Agrigentum & Phintiam, hodie Leocatā, haud procul a littore evincit Antonini Iter, ubi ita scriptum: *Ab Agrigento per maritima loca Syracusas* м. p. cxxiii. *Dędalio* xviii. *Plintis* v. Corrupta vox est *Plintis* pro *Phintis*; ab Agrigento enim Leocatam xxiv. circiter numerantur; hinc *Plintia* loco *Phintiæ*, quę & Leocata. Collis circa verticem prępruptus, qui ad pass. d. extenditur, unaque via ab ortu ex proximis aliorum collium jugis adiri potest, pass. м. v. Leocata dissitus, arcis olim magnificæ cadaver continet, & Castellaccium idcirco vocatur. Ibi *Dædalium*, idest a *Dædalo* constructum, stetisse Castellum putaverim; idque ante me eruditissimus Filibertus Pizzolante docuerat; quamvis, quod Camicus primùm locus fuerit appellatus, perperam ille deducat. *Dædalus* enim alibi ad Agrigentum arcem Camicum, & hic a se denominatum Castellum moliri potuit; ingentes mœnium reliquię, ardua, & difficilis via, æque Camico, & *Dædalio* congruere possunt. Cluverius Ecnomum montem, Leotatæ impendentem, Diodoro notum, memorat, ad cujus occiduas radices *Dædalium* locat. Sed veteris alicujus arcis vel exigua rudera ibi extant nulla, nec distantiæ itinerum concordant. Præterire aliunde Castellacium non debuit, ubi Castelli diruti vestigia Fazellus ipse advertit.

DAMIRIUS Fluvius ex Plutarcho Geographis memo-

memoratur, Stephano, Hofmanno, Ortelio; sed est incerti situs in hac Sicaniæ ora, quæ hodie Mazarensis Vallis dicitur.

DARFUDUM Casale in Saccensi Ditione, Friderici II. ævo juris *Nicolai de Sacco*; sub Martino vero *Orlandi de Montilione* & *Matthæi de Moncada*. Jacet his diebus.

DELIA Opidum sub Leocatę comarchia, & Diœcesi Agrigentina, post Narum, a Candicattino haud procul, olim castrum *Conrado Lancea* Sicilię Magistro Justitiario obnoxium, cujus nepos & hęres *Petrus Lancea Joanna* filiæ *Artalis de Alagona* nuptæ cum Naro in dotem designavit. Creditur *Petiliana* locus, qui in Itinerario Romano a Philosophianis xxviii. pass. m. ab Agrigento xviii. distabat, uti suo loco reddam; & *Deliæ* Dianæ templo decoratus vulgo dicitur, unde nomen invenit. Castrum porro in excisa undique rupe stabat, propriis hodie ruinis obrutum; sed fornices aliquot, cryptasque, ac atrii muros, pinnasque servat, & rotundæ turris reliquias, quæ toti moli, veluti specula supereminebat. Opidum vero centū circiter pass. inde dissitum, anno mdcxxii. fundatum in proximo humili colle, austrum, occasumque prospiciens, patenti situ amœno, irriguo, agrique circumpositi divitiis fęlicissimo gaudet, cum Dynastæ palatio in imo solo, foro amplissimo, & perenni aquarum fonte. Eidem foro major parochialis Ecclesia hæret S. Mariæ de Laureto sacra, quæ Archipresbytero gloriatur, & B. Rosaliæ Patronę sacellum cum ejusdem lipsanis claudit, binasque minores Ædes subjectas habet. Olim surgebat illa editiori loco, prope quam S. Mariæ de Carmelo, cum adnexo fratrum cœnobio, quod his diebus deletum rudera ostendit. Primus opidi census

medio elapso seculo lares 288. animas 1071. exhibuit; Pirrus vero illos ad 320. incolas ad 1127. enumerat. Anno MDCCXIII. foci 403. incolæ 1423. & novissime 1705. sunt computati. Latitudo eadem pene ac illa Candicattini, longitudo XXXVII. attingit. Dynasta jure gladii utitur, & inter Marchiones XXVII. in publico Regni consessu locum sibi vindicat; Post *Alagonas* enim Friderici III. privilegio ad Matthæum de Claromonte Deliæ castrum devenit MCCCLXVI. Sed ob *Andreæ* descitionem, Martinus Rex *Guilielmo Moncada* primum, mox *Petro Mazza* Catalano concessit, qui cum *Andrea Hortolano*, Condoverno fundo accepto, MCCCXCIX commutavit. Idem hinc *Hortolanus* in Martini Censu *Deliæ* Castelli & Damisæ feudi Dominus dicitur. Ex hujus pronepote *Pompejo* emit Bernardus Luchesius Miliciç Baro MDXVI. unde ad *Josephum*, qui homines primus congregavit, & Philippi IV. literis *Deliæ* Marchio MDCXXIII. est renunciatus. Ex eo & Julia Spatafora *Gaspar*, ex *Gaspare Petrus*, cui *Julia soror* successit, *Nicolai Antonii* Luchesii uxor. *Maria* unica horum filia *Ferdinando Gravina* Palagoniæ Principi desponsata est, & in hanc gentem dynastiam intulit; Cujus successores alibi laudavi.

DELIA Monasterium SS. Trinitatis titulo, de *Ficuza* olim appellatum, prope Castellum Veteranum in agro *Deliæ* consurgit frugum feracissimo. Ordinis S. Basilii vulgavit Fazellus; Pirrus inter Benedictinos Prioratus enumerat; Anno enim MCCCLXIX. Joannes de Ursinis, Cardinalis de Theano, suç S. Joannis de Eremitis Abbatiç adnexum voluit. & S. Benedicti Monachis attribuit. Regii porro quum esset Juris Patronatus, Siciliç Principes a morte Joannis Priores deinceps designarunt, qui in Comitiis LXIII. proferant votum.

Gan-

Gaudet hodie hac dignitate Agathinus Riggius Apostolicæ Legatiæ Judex. Consule nostras Monasticas Siciliæ notitias.

DELIA Fluvius ab agro, ubi cœnobium cognomine, appellatus, idē ac *Arenarum*, & veteribus *Halycus*.

DICEAPOLIS, Segesta vetus urbs, de qua inferius, ab Agathocle Syracusarum Rege, ita nominata, quod *justa* in ejus cives ab se descientes supplicia statuisset.

DIESIS Casale olim, ubi hodie *Aragona*. Vide.

DONNA ALTA Fons Himeræ Meridionalis in Nebrodis Montis occiduis radicibus.

DONNA Gurges caput Arenæ fluminis, seu Deliæ sub Salemi.

DRAGUS Fluvius, *Agragas* aliter, qui cum altero S. Blasii sub Agrigento confluit. Aretius de situ Siciliæ: *Duo sunt Fluvii*, inquit, *ipso in exitu conjuncti, quibus antiqua urbs Agrigentum septa est; Dracus unus, alter S. Blasii, qui ubi confluunt, unus est Agragas*. Cluverius perperam cum aliis *Dragum* Hypsam esse affirmat, Polybii verbis innixus, qui ait; *Cingitur preterea & fluminibus*, Agrigentum; *ad austrinum nempe latus fluit amnis etiam ejusdem nominis cum urbe, Occidenti soli, & Africo oppositam partem alluit, qui vocatur Hypsa*. Uerum enimvero Polybii textus non bene intellectus errandi Cluverio causam tribuit. Hic enim vetus author, nullam de S. Blasii flu ento ingerit mentionem, quia parvus tunc forte erat, innominatusque; & Hypsæ vocabulo Nari fluvium intelligit, qui paullo procul quidem, Agrigentinę urbis veteris fines præterlabitur, & orientales ejus regiones alluit, Occidenti soli, & Africo oppositus; scilicet dextera Hypsę ripa ad occidentem respicit, & Africum,

sed

sed Agrigenti mœnibus in ortum vergentibus obversatur. Nec enim aliquo alio pacto Polybius explicari posse videtur, nisi amanuensium vitio errorem in ipsū irrepsisse, quispiā dixerit, ac pro *Occidente* sole, *Orientem* scribendum putaverit. *Dragus* itaque, sive Agragas occiduum simul & austrinum Agrigenti latus abluit, conjunctusque haud longe a littore cum S. Blasio mari illabitur, prope frumenti Emporium, hodie circa molem portus novissimè fundatam. Oritur autem sub opido Refadali ab urbe pass. v. m. dissito. Mayharruci agri aquas, ac ex vicinis collibus latices alios excipit, auctusque sub urbe ponte trajicitur. Ejus apud veteres tanta fuit celebritas, ut numismata habeamus vittato capite, Accipitre supra columnæ scapulum, & Cancro signata cum epigrapha ΑΓΡΑΓΑΣ.

DEPRANUM Urbs celebris, & *Invincibilis*, Græcis ΔΡΕΠΑΝΑ, plurium numero; Polybio, Diodoro, Dionys. Alicarnassensi, Ptolemęo, Stephano, Tzetzæ, Virgilio, Nepoti, Plinio, aliisque memorata; ad occiduas Siciliæ oras insigni portu cincta, peninsulæ falcatæ imponitur ad longitudinis grad: xxxvi. xii. & latitudinis xxxviii. v. Mœnibus tota pass. ii. m. ambitu, & propugnaculis vii. instruitur, arcemque insignem, vetusta ętate conditam, & Friderici II. jussu instauratam, oppugnatu difficilem, v. turribus munitam contra isthmum in ortum ostentat; proximum enim mare scopulis frequentibus occupatur, solum oppositum uno durissimo lapide constat, nullumque hostiū appropinquatior I us locum prębet. Jam portę enumerantur viii. ab Austria, & ab Annunciata circa ortum & mediterranea; ad austrum tres, portum respicientes; in aquilonem & occasum reliquæ. Ex his, quæ ad isthmum educit, ac excipit, prætento lunari propugnaculo fossa,

& ag-



& aggere munitur. Isthmus ipse perruptus, & complanatus mari circumfluă hyberno tempore urbē reddit.

Hujus interna hæc est facies: Bifariam *Drepanum* dividunt vetus & nova regio. Illa ad ortum septentriones, & meridiem quadrangulari pene figura, *Casalicchius* appellata, ab Austriæ porta ad Prætorium, vulgo *Loggium* extenditur, ubi Porta obscura, & turris horologii, altera *Palatium* dicta, Jacobi Regis auspiciis condita, comptior, & elegantibus ędificiis ornata, ampla via distinguitur in occasum. In his S. Petri, S. Laurentii, & S. Nicolai Basilicæ parochiales occurrunt, quę alternatim Majoris mufia per annum exercent. Est S. Petri Archipresbyteri sedes, qui insignis Canonici Collegii Primas, Comitemque Rogerium post Sarracenos authorem cognoscit, & veterem regionem exornat. S. Laurentii erat olim Januensium Mercatorum Ecclesia; Parochia subinde novæ regionis & anno MCLXXXI. civium divitiis refecta, diebus hisce molis magnificentia, prospectus venustate, divite supellectile, populi frequentia, ac nobili demum alumnorum XXII. Canonico cœtu eminet. Claromontanę gentis fovendę pietati S. Nicolai dudum inserviebat, sed Ludovici Regis opera MCCCLIII. publico populi usui, sacrisque administrādis addicta, tertia est socia deputata.

S. Joannis Baptistæ Templariis militibus hospitium, ab ipso Rogerii Regis ævo præbuit, & peregrinis in Jerusalem navigantibus asylum. Sed illis deficientibus, S. Augustini Eremitis concessum sęculo XIV. Senatus munificentia crevit, ejusdemque Ecclesia cooptatur; ubi concilia majora ille cogit, Carolusque V. Cæsar Tuneto expugnato, Anathema victorię, purpuram appendit, ac urbis privilegia MDXXXV. juravit. Regium Prædicatorum Cœnobium prope S. Pe-

trum

trum ab anno MCXIX. originem habuit, Fratrum ex Hispania ad sacra loca properantium occasione; & primò quidem Christi Jesu Ecclesiam illis designatam tradunt; hinc Friderici II. liberalitate conspicuum fundarunt, S. Patriarchę titulum assumentes, cujus amplum, elegansque templum Regum sepulchris nobile fulget, in quo & celebris ordinis Academia viget. Minoribus Conventualibus B. Angelus de Riete, S. Francisci socius, in *Palatii* australi regione anno MCXXIV. ędem construxit, quæ magnificentior cum insigni Ecclesia sequentis sęculi anno LXXII. surrexit, hodieque nulli alteri decedit. Observantes in S. Marię de Jesu, inhęrebant urbis mœnibus ab anno MCCCCL. prope S. Marię Gręcorum antiquam ędem, sed Caroli V. jussu, qui locum hostium insultibus obnoxium pręsens advertit, in S. Juliani, seu Erycinam urbem commigrarunt. Societatis Jesu Collegium sub Conceptionis Deiparæ titulo, primum in S. Michaelis, ære publico, Joannis Pignerę, ac Laurentię Sanclemente opibus, anno MDLXX..... coaluit. Inde in pręcipuum urbis locum, vulgo *Munitionis Horreo* translatum, Mariani Bongiardini magnis adjunctis ędibus, spectatu dignissimum MDC..... se prębuit, ac ditius in tota provincia audit. S. Philippi Nerii Oratorium, civibus presbyteris de Chinoponteri, Bua, & Pianelli adlaborantibus, in D. Joannis Baptistę, juris olim Equitum Jerosolymitarorum anno MDCVII. fundatum, decens satis emicuit. Augustinienses Reformati B. Virginis de Odigitria, aliter Jesu, Mariæ & Joseph ab anno MDCXXII. occupant Ecclesiam, circa orientem, urbis Senatu & Mariano Veneto stipē suppeditantibus. Tertii Ordinis Minoritanum Asceterium intra mœnia S. Rocchi nomine MDCXXIV. Michaelis Burgio, Provinciæ rectoris

opera

opera statuitur, & alumnorum præstantia ad nostra hæc tempora floret. Carmelitarum Hospitium sub S. Alberti auspiciis, juxta portam Felicem anno MDXCII. Ægidius de Honestis ejusdem ordinis Magister constituit. S. Mariæ de Mercede, quos Pirrus præterit, fratres ejusdem nominis excipit Conventus, MDCXX. circiter constructus. Clericos denique infirmis ministrantes, Cruciferos nuncupatos, qui S. Mariæ de Epistola domum occuparunt, decurrentis sæculi anno XXIV. Clementia Fardella nobilis matrona *Drepanum* evocavit, congruisque censibus auxit. Hactenus de sacris intra pomœrium ædibus.

Extra non minorem præseferunt celebritatem insigne & Regium Carmelitanæ familiæ cœnobium; S. Mariæ de Angelis, Tertii Minorum ordinis, illud Reformatorum, bina ad Capuccinos spectantia; & S. Francisci Paulensis denique asceterium. Et primum sane sæculo XIII. allabente ortum in ædicula S. Mariæ de Partu habuit, ad vicum de Rhodo in urbe, quo primi ex Oriente in Siciliam delati fratres convenere. His XXIV post anno locus sub Eryce datus est, cum agro circumposito a Ribaldo, Palma, & Perna Ribaldi uxoribus, ubi sub Annunciatæ Virginis titulo Ecclesia claustrumque crevit. Navis interim Veneta ventorum vi in *Drepanensem* portum delata, elegantissimum e marmore Deiparæ signum, Pisas ab Equite Templario deportandum, ad littus exposuit; quod in S. Mariæ de Partu depositum, quum denuo ad aliam navem, ut iter prosequeretur suum, bovum plaustro deducendum esset, boves [ita ferunt] recta, nullo stimulante, ad Annunciatæ ædem pergentes, sacrum onus eidem addicere visi sunt; nec enim ultra referre pedem voluere. Communi igitur Civium, & Pisanorum quoque consensu

ibidem statua collocata, innumeris cœpit prodigiis clarescere, a confluentibus undique, studio præcipuo coli, ac ditissimis muneribus donari. Ampliori hinc schemate Ecclesia & Conventus moliri, ut inter totius regionis ædificia locum facile principem mereri dicatur. Consulendi Orlandinus, Pugnatore, Nobilis, Pirrus, Cajetanus, aliique; Nec enim, quæ huc spectant, integræ possunt paginæ enarrare. Gualterius de Eugubio Minoritanus, vir pietate præcipuus, forte fortuna *Drepanum* e Byzantio appulsus, S. Mariæ de Angelis prope collem *Martognam*, sub Eryce, Jacobi Fardellæ opera adjutus, Eremum primo constituit, quę subinde in Tertii ordinis Cœnobium evasit, ad ejusdem montis radices circa occidentem, m. ab urbe *Drepano* lapide, salubriori loco, *Vallis clara* appellato conditum. Minores Reformati ad D. passus sub S. Annæ titulo MDCXIX domum ædificarunt, quam ob loci inclementiam Innocentius de Clusa alibi laudatus, Mariani Venti suppetiis, in S. Luciæ Piscatorum ędem, S. Annę nomenclatura retenta, transtulit. Paulensibus anno MDLXXII. S. Viti de *Piccolo* datur, extra mœnia oratorium, cum circumpositis terris, opesque ad claustri constructionem Franciscus Barlotta suppeditavit; at cum aeris insalubritate affligerentur, sub Erycino monte se contulere, ubi commodè degunt. Capuccinorum denique duo, & quidem nobilia sunt cœnobia, in Arenę planitie sub nomine Epiphanię unum, anno MDLX. fundatum; Loco de *Petri Palatio*, sive de *Laurisano*, haud procul a littore, alterum MDCXIX. ipso Ordinis Generali *Drepani* tunc agente, excitatum, sub Conceptionis Deiparę auspiciis; utrumque est porro ad regulæ normam, sed concinno cultu spectabile.

Inter

Inter Monialium conclaves S. Claræ primum, & præcipuum Orlandinus & Pirrus evulgant ab anno MCCCXCII. ædificatum, in quem e Mazzara sacræ Virgines convenere. S. Elisabeth, sub eodem Clarissarum ordine MCCXI. in S. Alberti ædibus, uti ferunt, clarissima Emmanuelia gens alium posuit. S. Dominici legibus, & Divi Andreæ nomine tertius coalescit MCCCXCIII. ortum recognoscens. Pirrus ordinis Carmelitarum a prima origine cum Orlandino hunc fuisse tradit; subinde a Francisca Santoclemente instauratum, & ad Dominicana instituta traductum sub Deiparæ de Rosario titulo, affirmat. Nova Abbatia, *de Auxiliis* aliter, ejusdem ordinis MCCCCLXI. erecta, alumnarum numero, nobilitate, ac virtute, pingui dote, & censu conspicuisque ædificiis distinguitur. Abbatia *Grandis* sub Tertii ordinis regula vivens, SS. Trinitatis refert titulum, ortumque MDXIII. Jacobi de Eugubio, paullo ante memorati opera, recognoscit. Quo etiam agente ad lapsas mulieres pœnitentes excipiendas gineceum institutum; & S. Spiritus Puellarum collegium coaluit, quæ parentibus destituuntur, quibus locandis dos congrua designatur. Pro Puellis etiam dispersis ex piorum eleemosynis Oratorium assurgit. Hospitalis domus S. Antonii ante sæculum XV. Viennensi satis celebri adnexa, uti Martini & Alphonsi Regum literis constat, Lazzari Locatelli divitiis aucta, pulcherrimis ædificiis amplificata hodie splendet, virisque nobilibus a Senatu delectis accurantibus magno ægrotorum commodo viget, S. Sebastiani Incurabilium, & S. Lazzari pro Peregrinis, non minori ejusdem Senatus vigilantia administrantur. Mons denique, uti dicunt, extat ad omnia pietatis opera minori populo impendenda ab anno Christi MDXCIII. quem summa integritate designati a Magistratu Rectores moderantur.

Variis præterea ornatur Civitas publicis monumentis, Prętorio scilicet, quod ad omnem magnificentiam extructum rectæ, & amplæ viæ hæret, eò Magistratus conveniunt, civilesque caussæ aguntur. Amplissimo e marmore labro, cum eximio Saturni signo in S. Augustini foro, ubi aquę, ductibus e remoto *Megini* fonte derivatę, affluenter emanant. Victorii Amedei marmoreo simulacro eleganti stylo sito in S. Antonii area MDCCVIII. imposito; & Philippi V. Hispaniarum & Siciliæ Regis egregia e marmore etiam statua, contra S. Spiritus Ecclesiam in viæ magnæ centro, cum decenti teatro, ab anno MDCCXII erecta; Navali demũ vetustissimo prope ejusdem S. Augustini Ecclesiam in meridiem, cujus tres tantum extant fornices. Jam Portus a ventis præcipuis, Africo excepto, immotus, & nihilo minus tutissimus, classium capax, circa *Petri Polotii* brachium munimento, quod Lamoragus Ligneusis Princeps, Siciliæ Prorex jussit, instruitur; ad fauces ipsas in austrum Columbaria arce, de qua dixi, in scopulo fundata, & S. Francisci propugnaculo mœnibus adjuncto defenditur. Duos ulterius scopulos, seu parvas insulas, quæ S. Antonii, & S. Margaritę nomen referunt, suo sinu claudit; præterea *Mali Consilii* etiam ad pass. м. ab urbe scopulus extat, ubi Procita cum Palmerio Abbate occultos habuit conventus, ac facinus contra Gallos molitus est. Portus hic Erycinus passim veteribus est appellatus, quod sub Eryce, ob Veneris templum insigni opido, situs.

Topographia urbis exposita, ad alia cursim enarranda descendo: De nomine hęc habet Servius ex fabulis: *Drepanum civitas est ante pedem montis Erycis trans Lilybaum, dicta, vel propter litoris curvitatem, in quo sita est, vel quod Saturnus post amputata virilia*

vilia Cœlo patri illic falcem projecerit, quæ Drepanos dicitur Græcè; quod verisimile putatur, propter viciniitatem Erycis, consecrati Veneri, quæ dicitur nata ex Cœli cruore, & spuma maris. Quidam Drepanum dictum volunt a Falce Cereris, quam ibi, quum filiam suam Proserpinam quæreret, amisit. Id autem inconcussum apud omnes, a curvitate littoris, quę Falcis speciem habet, vocabulum urbem nostram sumpsisse; hinc in scuto Falcem effert, sub qua Turres quinque maris undis & gemino arcui innixę. *Drepani* origo incerta. Cives Chamo, sive Saturno adscribunt, qui Chamasenam appellavit; quod an procedat, videant Eruditi. Saturnus ex Diodoro occiduas insulę oras occupavit, & in locis editioribus *Cronia*, seu Arces constituit; an quoque *Drepanum*, quod ad littus sedet, tenuerit, non affirmo, sed conjecturę suadent. Butes ante Herculem floruit, atque ad has delatus regiones Licastam formosissimam fœminam amavit, ex qua Erycem suscepit, qui proceræ staturæ quum esset, cum eodem Hercule singulari inito certamine, victus, cęsusque est. Ab Eryce oppidum in monte appellatum, Licasta, altera veluti Venus, celebre in eodem monte templum obtinuit. *Tempore Laomedontis* Dionysii Alicarnassensis sunt verba lib. 1. *Patris Priami, deleti fortuna parentes Ægesti in hanc Sicanorum regionem, quæ Drepana eo tempore dicebatur, benigne ab insulanis excipiuntur*. Ante Troiam igitur captam Sicani *Drepanam* oram occupabant. Æneas subinde cum suis *Drepani* incola vulgatur. Virgilius idcirco Æneid. lib. 3. *Hinc Drepani me portus, & illætabilis ora accipit*. Parum quippe propitium littus hoc illi fuit, ob patris mortem, cujus memoriam ludis, & nobili sepulchro perennem reddere studuit. Quod Phęnices,

nices, qui maritima Siciliæ loca, insulasque adjacentes, negotiandi gratia, tenebant, ante Græcorum colonias, sedem aliquando *Drepani* statuerint, adstrui jure poterit. A Græcis quoque veteribus cultam vel ipso ex nomine deducunt. At Diodorus lib: 23. *Amilcar,* inquit, *Carthaginiensis Drepanum communivit, oppidumque in eo statuit; traductisque in id Erycinis, Erycem diruit*. Factum hoc Belli Punici anno 1. ante Christi Domini adventum CCLXIV. Verum ab Amilcare novis colonis, & propugnaculis *Drepano* provisum tunc fuisse, putamus.

Conflagrante eodem Bello Punico, nunc Romanis, nunc Pœnis obnoxium legimus, ac postremum inter Siculas civitates Consulares fasces cognovit. Athenius Pastor Drepanitanus servili bello tumultus excitasse perhibetur, servosque sub signis coegit; nec nisi Consulari exercitu tandem devictus cessit. Quo fuerit ævo Christianis institutis informatum prodit nemo; Hyccarensem Episcopum nihilominus jura spiritualia *Drepani* exercuisse Orlandinus persuasum habuit; sed non advertit apud Myræum in Leonis dispositione sub Syracusano Metropolita *Drepanitanos* Antistites constitui, & Alesinos. Huic refragantur dispositioni ex Criticis nonnulli; sed de Hyccaritana Ecclesia potior est apud eosdem dubitatio. Si proprio caruit *Drepanum* Episcopo, Lilybætano dubio procul subdebatur. Sarracenis Siciliam vexantibus, Dux Abdalla, Manchut filius, post Apollophari Amiræ mortem, *Drepani* dominium tenuit, Invegio teste, qui ex Annalibus eruit; ab quorum tyrannide Jordanus Rogerii Comitis filius anno MLXXII. illud vindicavit. Regibus exinde Siculis acceptum, cum ob incorruptam, sinceramque erga eosdem servatam fidem; tum quod ex-

ternis

ternis, peregrinisque commerciis ex omni fere Europa, Africa, & Asia frequentissimum, publico consuleret ærario; tum quod ingenuas, præclarasque familias foveret, variis libertatibus, & gratiis afficitur, ac primariis insulæ civitatibus accensum, earumdem privilegiis donatur. Locum in Comitiis idcirco v. obtinet, Senatus prærogativa gaudet, cujus primas *Bellini* titulo civiles cognoscit caussas; & criminum Quæstore gladii potestatem habente gloriatur, qui IV. in lege Consultis assidentibus urbi præest. Temperato cæterum fruitur aere; piscosum ejus mare omnia abunde, & ad delicias etiam suppeditat, cetarias complures aperit, & corallium gignit præcipuum; Ager amœnissimus omnigenam fructuum copiam, fruges, olera, oleum, vina, & maxime *Guarnacium*, exteris celebratum, sufficit; nec herbis medicinalibus caret, quas Orlandinus recensuit; alicubi etiam electi marmoris fodinas offert. Celebres Salinæ Drepanenses, & multiplicem salis copiam Italis subministrant.

Pietate, ac Literis præclaros, variis Dignitatibus conspicuos, Armisque eximios nullo nam tempore *Drepanum* educavit. Et ut a primis incipiam, S. Albertus, Carmelitici ordinis decus, seriem exornans occurrit, qui Benedicto Abbate inter *Drepanenses* nobilissimo satus, uti passim scriptores tradunt, in S. Mariæ Annunciatæ cœnobio suscepto Religionis habitu, preclarissimis virtutibus effulsit, postque vitam vere admirabilem, & pretiosam mortem, ipso, quo Messanæ elatus est die, anno MCCXCVI. ab Angelis Justus, Sanctusque fuit, frequentissimo populo audiente, ipsoque Rege Friderico adstante, proclamatus. B. Aloysius Rabatà, de cujus etiam patria *Drepanenses* inter & Erycinos lis viget. Vir fuit admirabilis pœnitentiæ, charitate

ritate in Deum, ac animarum zelo precipuus, monasticæ autem disciplinæ tenacissimus, pro qua tuenda, a scelesto quodam, Randatii, ubi Prioris munere fungebatur, sagitta in fronte percussus, ętatis lx. Christi Domini MCCCCXLIII, sanctissimè occubuit; miris a Deo prodigiis in vita, & post mortem illustratus. Ex ordine Prædicatorum tres memorantur: Jacobus Corsus, qui prophetię spiritu, aliisque divinis charismatibus ob innocentis vitę merita claruit, decessitque MDLXXXIX. Jacobus Monachus genere nobilis, contemplationis studio, abstinentia, eximiisque, religioso viro dignis operibus insignis. Franciscus denique Rhodus humilitate, amore in Deum, & proximum, sanctisque moribus illustris, Messanæ diu egit. Didaco Cordubæ magno Duci idcirco apprime acceptus, eique a secretis conscientię, victorias, prosperosque eventus omnes prenunciavit. Piissime ibidem sęculi XVI. initio obiit. Laudantur a Michele Pio de Ordinis Prædic: Viris Illust: & Pirro. Petrus Gramignani Tertii Ordinis Laicus, quem idem Pirrus celebrem Dei servum appellat, in S. Marię Angelorum Ecclesia jacet. Valentinus ex Capuccinis Laicis humilitate, & seraphica paupertate singularis, apud Castellum bonum fratris sibi in extremo morbo inservientis obitus horam, ut & suam predixit; quę in annum MDCXX. incidit. Joseph ejusdē instituti, cujus vitæ cursus perpetua rerum divinarum contemplatio fuit; nec egregię virtutes defuere, perfectæ activæ vitæ, uti appellant, irrefragibiles testes, obiit in Domino MDCXXV. Antonius Scaligius Sacerdos Capuccinus, ad majorem ordinis propagationem in Hispanias delatus, ibi magna pietatis, ac nominis fama, Pirro authore, moritur. Nicolaus Burgius prosapia ingenuus, Jacobi Engubini alibi laudati discipulus,

Tertio

Tertio S. Francisci instituto nomen dedit, in quo vitæ austeritate, orationis studio, virginitatis candore, aliisque virtutibus, sed patientia prę cœteris insignis effulsit. Sanctè decessit in patria, ubi S. Rocchi Cœnobium, lue grassante, fundavit, an: MDCXXIV. De eo Gordonius, Pirrus, & Mongitore. Bonaventura Januensis ejusdem Tertii Ordinis, in Divinis Literis, & Ecclesiæ legibus satis versatus, ad suorum Cœnobia in Galliis reformanda adlectus, solitudinis amantissimus, paupertatis cultor egregius, contemplationi perpetuo intentus. Piè decessit, ut vixerat, anno MDCX. Hieronymus Riccius ex eodem instituto Romæ pręcipua Ordinis gessit munia, & Siciliç provinciam bis administravit; Optimæ vitæ opinione Agrigenti Cœnobii fundationem promovit, Sanctimonia clarus, obitus sui hora pręnunciata, Panormi decessit MDCXVI. Innocentia Rizzo sanguine clarissimo orta, morum puritate, abstinentia, divitiarum, honorumque contemptu, charitate in Deum, aliisque virtutibus illustris; Sororibus S. Francisci Reformatis accensa, XXVI. ætatis anno, Christi Domini MDCXXIV. qua prędixerat die, mundo erepta est, cujus soror Anna, quam Deo ipsa lucraverat, pari vita, parique exitu claruit. Ambarum in cœlo sedes S. Claræ proximas, Innocentius a Clusa vidit, Res gestas publicç luci traditas habemus.

Ecclesiasticis dignitatibus ornatos tulit *Drepanum* Gerardum Carmelitam, qui anno MCCCCXXVI. Pactensis Episcopus fuit a Canonicis adlectus. Timotheum Perez ejusdem ordinis, Aspanensem in Perside Pontificem, inde Toletani Archiepiscopi MDCX. Suffraganeum. Nicolaum Terranova ex Prędicatoribus, morum integritate, & doctrina clarissimum; ab Alphonso Rege idcirco in suæ conscientiæ moderatorem ad-

scitum, utque Capuanæ Ecclesiæ præficeretur, Eugenio Pontifici oblatum, nisi mors immatura intercessisset; cujus funus idem Princeps Neapoli MCCCCXLV. magnificentissimè curavit. Summis laudibus ab Ranzano coævo extollitur. Thomam Monachum ex eodem ordine, genere clarum, virtute, & scientia eximium, per annos L. publicum Theologiæ Professorem, qui ad Catanensem, & Panormitanam Cathedras, nec non ad Sacri Palatii Magisterium vocatus, præ humilitate gradus respuit, decessitque Panormi nonagenario major. Franciscum Barberam dexteritate in rebus gerendis, & prudentia insignem, S. Luciæ Abbatem, Siciliæ Majorem Capellanum, & Caroli VI. Cæsaris literis Cephalædensis Ecclesiæ Episcopum nominatum, MDCCXXXII. defunctum. Franciscum Monachum Clericum Regularem in omnibus excultum facultatibus, qui ut suorum domos in Galliis constitueret, destinatus, rem ad votum assecutus, quum sui non vulgarem opinionem excitasset, Rhemensis Archiepiscopus renunciatur; Morte tamen præventus Parisiis MDCXLVIII. mundo valedixit. Ejus typis edita, & manu exarata egregia opera Mongitorius enumerat. Joannem Baptistam Provenzanum moribus, & scientia ornatissimum, post omnes in suo Tertio Minorum ordine gradus obtentos, semel & iterum Priorem Generalem constitutum, cui muneri Romæ immortuus fuit MDCXIV. Paulum Lombardinum eximium Theologum, Academiæ Conciliorum Romæ promotorem, ejusdem Tertii Ordinis supremo munere donatum, ibique hujus sæculi anno XXXVIII. e vivis ereptum. Joannem Petrum Rizzo Ecclesiarum in Sicilia Regii juris patronatus anno MDXXIX. Visitatorem. Franciscum Ventum Mazarensem Canonicum, S. Philippi de Grandis Abbatem, & Regiū

Visita-

Visitatorem MDXLII. Jacobum Capranicanum S. Mariç de Terrana Abbatem. Ut alios prçteream, qui in sui ordinis prçcipuis Cœnobiis, aut provinciis primos gessserunt honores, apud Pirrū & Orlandinum consulendos.

Militia porro illustres enumerat cives: Palmerium, Riccardum, & Nicolaum Abbates, Riccardum Passanetum, de quibus apud Siculos annales; Marium Corsum in Belgico bello arcium expugnatorem; Scipionem de Ferro Melitensis sacrç militiç Magnç Crucis Equitem, Capuæ Priorem, & Amiratum; Nicolaum Cavaretta Capuæ & Venetiarum Priorem, supremumque ordinis Amiratum; & Romeum Fardellam Balivum, & S. Stephani Priorem nostro hoc sæculo summæ authoritatis, & in rebus gerendis solertiæ virum. Togis item celebres Antonium de Ballis seniorē M.R.C. Judicem & a Regiis rationibus Magistrum. Antonium de Ballis juniorem laudati nepotē, juris peritia nulli secundum, in M. C. subsellio primum collocatum, mox Fisci Patronum MDXCVIII. adlectū. Scriptores prçcipui *Drepanenses* in Sicula Bibliotheca, & apud Pirrum relati forent hic recensendi, sed paucis me expediam.

Antonius Castronovo summus Theologus, Philosophus, & Mathematicus, Generalis ordinis sui Augustiniani Vicarius, & apud Fidei Quçsitores a secretis consiliis. Scripsit adversus antiqua Schismata, & *de Romana Ecclesia* libros VIII. reliquit. Paulus Ballo Doctor Parisiensis effulsit, & Sacro Tridentino Concilio Theologus interfuit. Albertus Fardella, Clericus Teatinus Parisiis, ac Romæ doctrinæ suæ experimentum summa cum gloria fecit. Primus enim opinionem vulgavit: Dçmones, manesque hominum in inferno torqueri ab igne materiali per unionem hypostaticam ad ipsum. Instituti tenacissimus, a virtute animi com-

 mendatus,

mendatus, viris Principibus acceptus, plura edidit, decessitque Panormi MDCLXXXIII. Juniperus ex Minoribus de Observantia, ob doctrinæ profunditatem in Hispaniæ & Italiæ lyceis notissimus, Romæ in S. Joannis Lateranensis Pœnitentiarius, Olivarensi Duci, Mediolani Prefecto a sacris confessionibus, *De Legislativa Rom: Pont: Potestate* librum edidit. Antonius Siceripepoli Societ: Jesu edidit *Cursum Theologicum* variis tomis distinctum & *Corollaria Moralia*. Philippus Triolus acutissimi ingenii, Platonicæ Philosophiæ sectator, perscrutandis abditissimis naturæ arcanis se totum addixit, opusque insigne ad exemplar Artis Magnæ Raymundi Lulli composuit. Nicolaus Riccius Jurisconsultus celeberrimus, typis edidit *De Renunciatione Peragii* Librum, & Collectanea reliquit. Petrus Parisinus Philosophus & Medicus præstantissimus, lue grassante Panormi, & Melitæ, remedia presentissima contra eamdem feliciter admovit; magnis idcirco honoribus affectus. *De Peste* libros vulgavit. Antonius Crispus, Medicus numeris omnibus absolutus, virisque principibus idcirco charus. Ejus opera enumerat Mongitore. Erasmus Solitus Medicus, & Philosophus non vulgaris, Panormi artem professus in varios Galeni libros Commentaria composuit. Michael Angelus Fardella ex Tertio Minorum ordine, doctus Theologus sed Philosophus & Mathematicus nulli secundus; Romæ, Mutinæ, Venetiis, ac tandem Patavii easdem professus publicè scientias, immortale sibi nomen peperit. Vivebat hoc sæculo, ejusque in lucem edita opera, qualis esset eximius, præcipuusque vir, abunde patefaciunt. Leonardus Orlandinus, Græcis, ac Latinis literis eruditus, primus omnium Panormitanæ Accensorum Academiæ præfuit, primusque etiam rhytmos

Etrus-

Etruscos ad Horatii odarū specimen concinnavit. Canonicus, & Abbas S. Joannis de Eremitis fuit, patriamque historiam, & alia præclarissimi ingenii monumenta vulgavit. Vincentius Nobilis de rebus etiam *Drepanitanis* scripsit libro, quem de prodigioso Deiparę Annunciatæ simulacro edidit. Vitus Sorba Sacerdos res quoque patrias eruditissimè enarravit, Musisque acceptus varia Poemata composuit.

Cives Artium cultores eximios, ut olim, fert quoque hodie *Drepanum*. Sculpendi enim facultate in alabastrite, ebore, corallio, aliisque lapidibus, cæteris præstant per insulam, eorumque opera passim magno habentur in pretio; quin extra patriā delati inter primos ubique adiunt. Navigandi peritia paucis decedunt; hinc dudum onerarias ultra LX. numerabant naves, nunc præ aliis insulanis Siculas merces ut plurimum aliò transvehendas accurant. Corallii piscationi in proximis, remotisque littoribus tam plures intendunt, uti non parvo numero naviculas ad id opus educant. Censi sunt in eo Caroli V. ævo lares 3579. incolę eodem sęculo 16581. Insequentis anno LII. foci erant 5405. cives 19411. Sed ex Pirro larium erat numerus 4095. civium 18384. Anno MDCCXIII. lares 4356. incolæ 16620. novissime 17511. Caput est Comarchię; Urbana militia Senatus jussa exequitur; sed Regia proprium habet Pręfectum ex supremis exercitus ducibus. Publicę sanitatis Magistratum Senatus idem constituit.

Tria exhibet Paruta Drepani numismata, Argentea duo scilicet, ac tertium ex ære. Caput in illis ac juvenilis vultus, quadratumque spectatur, cum epigrapha ΔΡΕΠΑΝΟΝ. Æreum faciem in antica, equitem in postica, ramum veluti dextera quatientem, Punicosque characteres repręsentat.

fuiſſe appellatum paulo ante expoſui cum Gluverio, & colli, quem hodie *Caſtellacium* vocant, impoſitum oſtendi; *Ecnomum* idcirco *Caſtellacium* collem hic conſequenter affirmo. Moveor ex Plutarchi textu, hic enim deſcribens Dionis iter, tradit ad progredientem Syracuſas primos defeciſſe equites Agrigentios ec. qui circa *Ecnomum* incolebant. *Ecnomus* itaque collis Agrigentino agro fuit conterminus, quæ ſane agri propinquitas Caſtellacio magis, quam Muciacco competit.

EGESTA Urbs vetus, *Ægeſta*. Conſule *Segeſta*.

ELCETHIUM. De veteri hoc opido Cluverius libr 2. *Ptolemæo extremum verſus Lilybæum promontorium in meridionalibus mediterraneis ponitur Opidum Elcethium, a quo opidani videntur eſſe Plinio in vetuſtis quibuſdam exemplaribus Elcethienſes, quorum loco vulgata habent exemplaria Eceſtienſes. Eſt hodie inter Mazaram opidum, & Belicem amnem opidum, vulgari vocabulo Caſtro Veterano. Id neſcio, an ſit vetus illud Elcethium; nam ipſo nomine antiquitatem ſuam profitetur.* Tradunt alii cum Aretio Caſtellum Veteranum *Entellæ* fuiſſe ruinis inędificatum; Sed alibi Entellam locatam videbimus.

ELEUTHERUS Fluvius, *Bayharia*, & vulgi voce *Bagaria*, quod agrum ejuſdem nominis in ditione Panormitana abluat, atque unius fornicis ponte poſt Ficaracium opidulum trahiicitur; oritur a fonte copioſiſſimo in crypta ſub Riſalaimis arce, curſu x. m. paſſibus diſſidens ab ora; ac varia nomina ſuſcipit a locis, quos abluit. Nam ad Myrtorum hoſpitatoriam tabernam, a Myrtis, ſub Miſilmeri, ubi aquas cognominis fluenti excipit, Miſilmerenſis dicitur; hinc Bayharię; mox Panormitanum ingreditur ſinum inter Orethi oſtia, & montis Gerbini caput. Errat Fazellus

Eleu-

Eleutherum cum Oretho confundens, agri etiam Panormitani amne. Ptolemęus enim, qui *Eleutheri* meminit, inter hujus ostium & Panormum VI. M. ponit; tantumdem autem ferme depræhenditur ab ostio *Baybariæ* & urbem; quum Orethus statim post mœnia præfluat ad pass: circiter CCC.

S. ELISABETHA Opidulum in agro Cometæ, Agrigentinę Diœcesis, & Comarchię, ad Montecaperetos, Rasadalis Principes spectans, collis declive occupat ad austrum ab Aragona haud procul. Auctum est hodie Ducatus titulo, quo *Antonius Monsapertus* anno MDCCXLVIII. insignitus fulget, Regis nostri Aulicus, ejusque ad Polonię Regem Legatus. *Nicolaus Joseph* Montisaperti Marchio, primus condidit MDCXX. cui *Franciscus* filius successit; unde *Nicolaus Joseph* II. primus Rasadalis Princeps. Hujus nepotes *Bernardus* & *Antonius*, hodie ille S. *Elisabethæ* etiam Baro loco XXIV. in Comitiis sedet, & gladii potestate gaudet; de altero jam dixi. Parochia sub Episcopi Vicario, qui sacra administrandi curam habet, S. Carolo Episcopo dicata, minorem aliam Ecclesiam subjectam tenet. Census ex Pirro larium 113. incolarum 679. adnotatur, sed est in Regiis libris lar: 179. incol: 759. Hujus sęculi anno XIII. foci 101. incolę 310. & novissimè 915. connumerati.

ELYMA Urbs vetustissima, ex Fazello ab Elymo Troiano condita, qui in Siciliam cum Aceste, excisa patria, ante Æneam venit. Situm indicat idem author in monte, qui sinui Ægestano imminet, & bis pass: M. a littore distat. Mons arduus, excelsus, præruptus, unico a mediterraneis in ortum ascensu tutissimo, & perpauci præsidii indigo, difficillimus est, cujus verticem planities M. ferme passuū ambitu extendit.

Ibi

Ibi ingens prostratę urbis cadaver, lapides immensi, lateres, vasa, cisternæ, & circa occasum magnę arcis dirutæ monumenta, mœnia; nec Suburbii vestigia desunt. Indicia quidem bene constitutæ ac populosæ civitatis, quam Alymitam sive Palymitam vulgus hodie appellat. Cluverius nihilominus in eodem colle Parthinicum constituit veterem quoque civitatem, nullamque *Elymam* fuisse in mundo adstruit. Hinc in Dionysium, qui *Elymæ* meminit, errorem irrepsisse, & *Erycem* scribendum esse affirmat. Thucydides aliunde lib: v. *Elymos* tantum populos memorat, nec inter Troianæ conditionis urbem *Elymam* enumerat. Verũ enimvero contrarium Siculis persuasum, *Elymamque* olim celebrem urbem habuisse insulam dicimus. Consule ejusdem Fazelli dec: 1. lib: 7. cap: 5. & meas ad eumdem notas. *Elymam* cętero Maurolycus prope Erycem statuit; Valguarnera inter Ægestam, Erycemque, Goltzius autem Fazello assentitur. Male Ferrarius extare adhuc opidulum hujus nominis scribit. In *Elyma* aram Veneri posuisse Æneam ex Dionysio discimus.

ENTELLA Mons, & vetus Opidum hodie jacens, ad dexteram Belicis amnis ripam, qui veteribus Hypsa. Cluverius apud Crimisum fluvium locat, seu Belicem dexterum, a cujus certe fontibus haud longe abest. Mons porro, 11. pass: m. a Calatrasi arce dissitus, præcisis undique, & inaccessis rupibus, ad quas unicus tantum est aditus, munitur; in summo vertice planitiem habet ambitus pass: m. iv. circiter perviam, & culturæ aptissimam. Urbis, arcisque speculę instar, vestigia in ea sparsim projecta conspiciuntur; reliqua incolitur parte equis, bobusque ad pascua relicta, quę vitibus olim consita, præcipua, Strabone teste, ferebat vina; hinc Silius: *Largoque virens Entella Lyæo.*

Urbis nomen varium: Diodorus *Entellam* vocat, *Entellinosque* ejus opidanos Plinius, & Cicero; Tzetzes *Entallam* & *Atellam* ab Ægesti uxore *Athyla*, unde illud Vibii: *Crinisus Siciliæ, Civitatis Atilae*, idest *Atillæ*. Origo antiquissima, nam ad Troiana refertur tempora; sed author diversus etiam evulgatur; alii enim Ægestum, seu Acestem, qui Erycem, & Ægestam, sive Segestam condidisse fertur, *Entellæ* fundatorem faciunt; hinc Isaacius Tzetzes in Lycophronem, qui trium locorum conditorem Acestem dixit, Phœnedamontis filiarum unam duxisse Crimisum, Ægestumque genuisse scribens subdit: *Hic tres in Sicilia condidit urbes, unam, quam ab suo nomine dixit Ægestam, alteram Erycem, tertiam Entellam, sive Atellam, ex uxoris nomine dictam*. Silius proinde canit lib: 14. *Entella Hectoreo dilectum nomen Acestæ*. Huic nempe Troiano, dilectum Entellæ nomen ob uxoris memoriam. Servius in Æneid: v. Elymo, hic nothus Anchisæ filius creditur, adscribit. Virgilius denique eodem lib: v. Acestis amicum introducit *Antellum*, cæstibus cum Darete contendentem, poetico haud dubie figmento, quum & ipse Acestis uxorem accepisset, nomine *Entellam*, & urbis cognominis authorem protulit. Cætero de urbe Stephani Epithomator hæc habet: *Entella urbs Siciliæ, Erant autem ejus incolæ natione Campani, Carthaginiensium socii*. Nempe uti Diodorus lib: 14. prodit, quum Campanos Dionysius a se dimisisset, hi profecti *Entellam*, persuasis civibus, ut colonorum jus sibi concederent, noctu per insidias oppressos, quotquot pueritiæ annos excesserant, trucidarunt, uxoribusque illorum in matrimonium adscitis, urbis possessionem sibi usurparunt, Olympiadis xciv anno II. juxta Cluverii mentem, quae quidem fraus

Cam-

Campanis fuit usitatissima. Quinto post anno erat *Entella* Carthaginiensibus fœderata, sed tricesimo elapso eam sibi Dionysius subegit, ex eodem Diodoro lib: 15 qui subinde *Entellam* a Carthaginiensibus expugnatam tradit lib: 16. ac post triennium in libertatem Timoleontis opera vindicatam. *Timoleon*, inquit, potitus est urbe *Entella*, ubi cives xv. qui Carthaginiensium partes sequebantur, interfecit, cęteros libertate donavit. Extabat sub Rogerio Comite, ejusque filio, sed Friderico Cęsare Siciliæ Rege, quum Saraceni eam una cum Jato pro seditionis munimine occupassent, funditus deleta jacuit, nusquam deinceps refecta. Ad collis radices aquilonares, quà Calatrasim respicit, lapidis alabastritis minera est probatissima, ubi & balneæ ad diversas ęgritudines levandas aptissimæ aperiuntur, de quibus Fazellus. Ab hac urbe demum Castellum Veteranum Castri *Entellini* nomen ex Aretio invenit.

ERBESSUS Opidum, sive *Herbessus*, uti Plinius scribit, apud Agrigentinum agrum olim situm, cujus Polybius lib: 1. meminit, & Diodorus lib: 20. ac 23. ille de Romanorum castris Agrigentum obsidentium loquens hęc profert. *Commeatum & reliquos apparatus cæteri socii Erbessum ventitantes eò convehebant; ipsi vero ex hoc opido a castris haud longe dis̶ito, res venales continenter advehendo, & adferendo, largam omnium ad usum necessariorum copiam sibi parabant.* Quod advertens Hanno, qui suis Carthaginiensibus Agrigenti obsessis auxiliatum adventabat, *universo belli apparatu, & copiis Heracleam contractis, ante omnia urbem Erbessum, proditorum opera usus, accipit, & castris hostium commeatum adimit.* Id ipsum Diodorus affirmat; *Hanno cum omnibus copiis ex Lilybæo mo-*

venis Heracleam venit, sub quod tempus adfuere, qui Erbessi deditionem afferrent. Sic alibi Xenodochi Agrigentini Ducis expeditionem enarrans ad insulæ urbes in libertatem asserendas, scribit: *Ennenses missis Legatis urbem Agrigentinis dedunt, qui hac in libertate asserta, Erbessum, quæ a præsidio custodiebatur, proficiscuntur.* Quanquam hæc de Erbesso ad Agrigentum prolata fuisse, subdubito, ac de altero ad Syracusas ejusdem nominis opido intelligenda putaverim. Fazellus & Cluverius ex illa Polybii descriptione optimè supra Agrigentum *Erbessum* fuisse adstruunt, sed an *Erbesso Grutta*, hodie opidulum suffectum fuerit, haud satis dispicio: *Nominis vetusti rationem*, inquit Fazellus, *Græca etymologia ad speluncas, quas Siculi Gruttas vernacule vocant, non absurdè refert.* Verum *Gruttæ* remotiori situ videntur locatæ, quam, ut dici possit, Romanis Agrigentum obsidentibus socios inde suppetias & commeatus detulisse, Pœnumque Ducem eo potitum opido, auxilia Romanis ademisse. Hæc cætero protulit, ne soli nominis umbra incautos decipiat.

ERCTA Mons, aliter Peregrinus, & Castellum. Panormitano littori ab occasu mons iminnet penitus solitarius, cui Castellum quondam superstructum, *Ercta*, Diodoro, & Polybio memoratum. Latine idem vocabulum *Carcer* sonat. Diodorus lib: 22. *Pyrrhus statim Panormitanorum urbem aggreditur, eamque vi cæpit; munitione Erctarum occupata, omnem Carthaginiensium ditionem suæ potestatis, & arbitrii fecit.* Et lib: sequenti: *Cum vero Romani Erctam quoque Castellam XL. M. peditum, mille equitibus obsedissent, expugnare id haud potuere.* Polybius exactissime describit hoc pacto lib: 1. *At Amilcar cognomento Barca ad fines Panormitanorum cumuni classe appulit, ibique*

quæ locum occupavit ad mare situm, intra Erycem & Panormum, qui dicitur supra Carcerem ... Mons quippe est præruptus omni ex parte, e circumjecta planitie in altum sic satis se extollens; estque ejus ambitus in summo fastigio non minor quam XII. M. & D. *pass. medium omne spatium pecori alendo, & frugibus serendis aptum est, adversus marinos flatus egregie comparatum, pestiferarum bestiarum in totum immune; utrinque, & a mari, & ab ea parte, qua cohæret mediterraneis, sic circumdatum præruptis, & præcipitibus locis, uti ad media intervalla parva brevique munitione sit opus. In hac planitie tumulus assurgit, sic a natura factus, uti arcis vicem obtinere, ac speculæ, ad observandam subjectam regionem queat. Aditum ad montem tres omnino sunt, iique oppido difficiles, duo a terra, unus a mari*. Advertit Cluverius, quod prima illa loci indicatio inter Panormum & Erycem nimis fuit vaga; quum intervallum sit ferme pass: LX. M. Ambitus quoque in summo fastigio, quod non sit minor pass: XII. M: & D. plus, quam revera est, videtur extendi, quamvis circa radices idem spatium mons compræhendat. Unicum habere aditum difficilem Fazellus, & Cluverius vulgarunt, circa austrum; at is est hodie regia, ac magnifica scala, Senatus Panormitani opera, summisque impensis, tortuoso itinere instituta, arcubusque innixa, acclivis adeo redditus, uti queat etiam rhedis frequentari. Aditus alter mediterraneus, a Polybio indicatus, circa occasum per *vallem Porci*, uti appellant, aperitur, sed nec equis valentibus sit pervius. A mari denique citra vitę periculū tertium tentare audet nullus. Soli fertilitas tanta revera non est, qualem Historicus describit, frugum enim feraces quamvis radices sint, juga tamen fere lapidosa,

pascuis tantum abundant uberrimis, sed magna ex parte sterilitate squallescunt. Cętero ex lapidibus nonnulli in pretio sunt; effodiunt quippe operæ Alabastrites diversis coloribus variegatos, quos inter Cydonius celebratur, vulgo *Cotogninus*. Hinc Jordanus Cascinus a tot peregrinis rebus inditum monti *Peregrini* nomen putavit. Tumulus denique Polybii ætate arcis vicem substinere poterat; sed molitione omni carebat. Invegius tamen Cronium, sive Saturnium ibi stetisse, affirmat, a Saturno scilicet extructum; ejusdemque esse reliquias adstruit, quę ad aquilonem loco *Strofaccio* spectantur rudera. In clivo hodie ad Eurum Virginis Rosaliæ ingens e marmore eximia statua basi insidet, quam eminus nautę lętis vocibus, explosisque tormentis salutare consuescunt. Prope specula turris consurgit. De antro, ubi diu vixit, corporisque sarcinas deposuit S. Rosalia Virgo, Anachoretes Panormitana, quod hodie in templi formam redactum, summa a confluentibus populis colitur frequentia, dixi in notis ad Fazellum Dec: 1. lib: 7. cap: 6. Alibi forte eadem rursus reddam.

ERIX Mons, & Opidum. Drepanitanę Chersonesus isthmum Mons *Eryx* excipit circa austrum, & orientem. Assurgit autem solitarius, citra alterius consortium, celsitudine, Ætna, & Nebrode exceptis, omnes insulæ montes superans, cujus radices maris fluctibus tunduntur, vertex potissimo anni tempore nube obtegitur; aeris tamen tanta gaudet clementia, uti ad decrepitam ferme senectutem incolæ perveniant. Eodem in clivo planities extenditur, ubi celeberrimum, ac ditissimum Veneris templum dudum stetit, ac paullo infra urbs ejusdem nominis hodie sedet, alio vocabulo *Montensis*, & a *S. Juliano* appellata;

lata; *Excelsa* in Regiis libris; vetustissima, innumerisque antiquis Scriptoribus celebrata, ob cultum eidē Veneri ab incolis, exterisque exhibitum, de quo mox dicam. Templi quippe reliquiæ, ac substructiones ex quadratis lapidibus adhuc perstant; via, quæ per abrupta excisæ rupis, angusta, & difficilis olim erat, Dędalique peritissimi Machinatoris opera, muro amplissimo ducto, facilis evasit, pęne integra perseverat; antiquissimę cisternę pro ratione cujusque domus spectantur; licet & putei in tanta altitudine non desint; tot denique ędificiorum rudera occurrunt, ut urbis olim cum primis eximię specimen exhibeant. Author Ægestus Troianus, aut Elymus vulgantur nedum Historicis, sed nobilibus etiam Poetarum Interpretibus; At juxta alios ante Troiana tempora *Eryx* extabat urbs, & Templum celebre habebatur; utrumque ab *Eryce* conditum, qui Butis, e Bebricia ob tyrannidem pulsi, & Lycastæ filius, dux regionis quum esset, nomen illis appinxit suum. Sed & Veneri idcirco sacrum voluit templum, quod mater ejus Lycasta formosissima esset fœmina; & Venus altera credita, divinis digna honoribus ab cęcis, illusisque putaretur. Qui Troianis urbem adscribunt, Templum matri Veneri ab Ænea positum dicunt. Arce templum cingebatur, custodes habebat cc. & fœminarum, quæstum pudicitiæ facientium, greges substentabat; Donaria ex auro ingentia cum ab ipso *Eryce* constitutore, tum ab Ænea, aliisque principibus oblata, claudebat, & Arietem prę cęteris aureum, tanto artificio, ut ferme vivus crederetur, ab Dędalo dicatum: Ubi *Eryx* ab Hercule interfectus periit, procerum cadaver in antro circa radices, *Martogna* appellato, tunc fuit depositum, quod sæculo xvi. inventum dicitur.

Illud

Illud memoratu quoque dignum, quod ab Romanis ex Siciliæ urbibus xvii. tributa *Erycino Veneris* templo sint destinata, quod ipsa in Urbe duo sub ejusdem titulo fana ędificata viderentur; quod denique vetustate collapsum ex publico ęrario, Tiberii Cęsaris, & Claudii ęvo, instauratum voluerint, uti Svetonius, & Tacitus produnt. Desertum nihilominus una cum proxima colonia Strabo sua ætate dicit. Jacobus Adria ea nocte ingenti disiectum terręmotu adstruit, quo Christus Dominus in mundum venit, sed nullo utitur authore. Lapidem cętero Fazellus, & Gualterius referunt cum Latina Epigrapha: *Deæ Veneri Erycinæ Dicatum*; promitque alterum Caeitanus, de Milite custode loquentem variis cum lacunis *Pro..... Milites, Qui In monte Eryco.. Eu..* Paruta Numos exhibet argenteos duos, ex ęre quatuor; Quorum illi e lauro coronam cum capite senili, & initiali urbis litera E. Caputque Caii Considii Nonii, ex S. C. ac templi magnifici prospectum cum inscriptione ERYC reddunt; Ærea Columba Veneri sacra, figura Herculis, Jani vultibus, & Ueneris signantur cum Græco titulo EPYKEINΩN.

Sed ad feliciora progredior tempora, quibus eliminatis nefariis superstitionibus, *Eryx* Christi sacra suscepit, atque ex profani templi reliquiis Deiparæ Virgini in cœlum Assumptę basilicam ædificavit, quę major idcirco & præcipua parochialis evasit. Veneri enim sextili mense segetum decimas accolæ, colonique olim offerebant, utque impuros abolerent ritus, eodem recurrente anni tempore, Intemeratæ Matri hostias deinceps & sacrificia libare pii fideles voluerunt. Eadem sub Claromontanis novis ædificiis reparata MCCCXLI. in majorem excrevit molem & S. Nicolai

celebri

celebri sacello ejusdem præclaræ gentis auspiciis nobilitata fuit. Archipresbyter in illa sedet, sacrisque administrandis intendit. Parochialis altera S. Cathaldo Episcopo sacra, in secunda urbis regione fundata conspicitur, Tertiam S. Antonii Abbatis titulo decoram Antonius Lombardus Mazarensis Episcopus cum aliis in parochialem tertii vici erexit. Et S. Juliano Patrono addicitur quarta, Rogerii Comitis jussu MLXXX. circiter extructa, in qua sacris etiam administrandis pro IV. regione opera navatur. Sedet hæc eodem in loco, ubi Rogerius equo albo insidentem, rubro indutum pallio, manibus accipitrem gestantem, canibus denique præeuntibus, S. Julianum spectabilẽ habuit. Antiquę S. Philippi Parochialis locum occupavit, quumque delabentibus annis deficere videretur, MDCXV. instauratur. Ibi S. Joannis Baptistæ signum e marmore, Antonii Cagini opus. An porro ex hoc ostento Rogerio Comiti facto, *S. Juliani* nomen urbs obtinuerit, an ex alio, uti vulgus enarrat, quo idem Divus martyr sese super muros armis instructum, videndum præbuit, Sarracenosque urbem obsidentes in fugam egit, compluresque præcipites dedit, ab arce non longe, in locum, quem adhuc hodie *Bustainorum fossam* appellant, satis compertum non habeo; secunda enim apparitio in annum MXC. reiicitur, Rogerio Comite adhuc in vivis agente.

Inter *Erycinas* Ascetarum Familias prima omnium illa Carmelitarum sub titulo Annunciatæ Virginis præfulget, quam propriis in ædibus Archipresbyter Bernardus Militaris MCCCCXXIII. statuendam curavit, ubi S. Alberti Patroni, & uti ajunt, Civis, lipsana coluntur. Dominicani in S. Michaelis æde MCCCCLXXXVI ex Cordice in Eryc: Hist: sed MDXXIII. juxta

Michael: Pium coaluerunt. Minores Conventuales Frãcisco Vigintimillio Authore, sæculi XIV. anno LXIV. Sed ex Uuadingo XCIX. in ædibus præclaræ gentis de Abbate, ortu S. Alberti, ita tradunt, nobilitatis, constituti, unitum S. Mariæ de Græcis vetus templum habuere. Tertii Ordinis ejusdem S. Francisci in S. Sebastiani Martyris Matthæus de Monte MDCXXVI. Cœnobium fundavit. Capuccinos anno MDLXXI. sub S. Hieronymi auspiciis, in valle amœnissima extra pomœrium eremus excepit, quam ante annos XL. Bartholus de Nobile, & Nicolaus Pansalconius Erycini sanctè coluerant. Paulenses denique, qui ab anno MDCXXVI. apud Drepani salinas S. Mariæ Magdalenæ claustrum posuerant, loci insalubritate adacti, ad Montis radices sub S. Fundatoris nomine novum condidere. Ex Monialibus Ordinis S. Benedicti, sub S. Salvatoris titulo degunt sorores in Henrici de Vigintimillio Comitis ampla domo, quam ipse, dum in monte extorris degebat, suo ære congruis exædificatis cellis, & Ecclesia, illis attribuit. In vetustissimo S. Petri Apost: templo Clarissæ ante annum MCCCLXII. sedem habuerunt quam subinde Joannes Maranzanus ædificiis, ac censibus auxit. Uerùm paucis ab hinc illis, S. Teresię instituta profitentes subrogantur. Virgines parentibus orbatas S. Caroli Ecclesia ab anno MDCXVII. Angelici de Corleone opera, excipit, ubi ex piorum eleemosynis vivunt. Domus Hospitales ex Pirro tres. S. Spiritus, alteri Romanæ ejusdem nominis suffraganea sub Erycini Magistratus cura. S. Alberti cum Monte Pietatis circa MCCCCXXXI. sodalibus nobilibus Dealbatis accurantibus fundata; ac S. Catharinæ demum, quã Joannes Majorana Miles MCCCXXXV. construxit; Huic varii pingues census addicti sunt, ad alia pia opera

ime-

impendendi. Filiales, uti vocant, Ecclesiæ sub Archipresbytero iv. supra x. enumerantur. Hisce sacris ædibus Parvas memoratis, eas subdit Ecclesias, in quibus aliquæ Juris Patronatus Regii *Beneficia* vigent: S. Juliani de Castro, capitis S. Viti, S. Joannis de Castellucio, S. Angeli de Monte, seu Scupelli & alias, vel ipso in opido, vel in ejusdem regione fundatas. Regio quippe *Erycina* ampla est, ac fertilis frugum, vini, olei, pabuli, fructuum, olerum, ac mellis dives;

Littus ad ipsam spectans a Castello maris ad S. Petri cuspidē sub Monte latissimè extenditur, cetarias habet, salinis abundat. In S. Viti monte sylvestres equi, statura quidem exigui; sed indole generosi nutriuntur, quod aliis per insulam nemoribus penitus insolitum; venationi idcirco aptissimos, cum et maria S. Viti, tum alios dumeta, saltus, opaca, ac densæ sylvæ reddunt. Præfert *Erycis* stemma S. Juliani Patroni insigne; Magistratum Decuriones iv. Criminum Quæstor, & Syndicus constituunt, qui in Regni publicis conventibus xxix. occupant sedem. Conditione quippe *Alemi* fuit semper *Demanialis*, & quamvis Alphonsi Regis tempore nobili genti de Calatagironi divendita fuerit, ut Regium levaretur ærarium, mox tamen *Demanio* restituta, numquam deinceps ab eo divulsa fuit. Census Caroli V. ævo 1343. focos, hoc anno MDXCII. 1894. incolas 7700. & MDCLII. 6856. exhibuit. Hoc sæculo lares 1734. incolæ 6157. numerantur. Comarcham nullam agnoscit, ac sub Militiæ Instructore Saccensi equites xxxi. pedites cxxviii. educebat. Clero demum Mazarensis Episcopi Vicarius præest.

Municipes *Erycini* accensentur ab Civicis Scriptoribus, alisque S. Albertus, & B. Aloysius Rabatà ordinis Carmelitani, de quibus dixi jam supra, ubi


de Drepano; Drepanitani enim contendunt apud suos ortum illos habuisse. Laudantur insuper a pietate in Deum Natalis Salernus Societ: Jesu, qui ob multa virtutum promerita cum Andrea Bova Siculo, & aliis ad prædicandum Dei Evangelium Behgolensibus, missus, multis ibi pro veritate exantlatis laboribus anno tandem MDCV. ætatis XXXIV. Regis Aceamensis jussu gladio truncatur. Vitus laicus Capuccinus, cujus tantum ardens, & assiduum orationis studium fuit, ut eo maxime Dæmones cruciarentur; Obitus sui hora prænunciata anno MDCXXVII. piissime in Domino requievit. Franciscus Sichichi, qui e sæculi vita, in qua Sicarium agebat, ad meliorem frugem revocatus, eremitica suscepta veste, juxta .Mariæ de Nemore cœnobium antrum sibi delegit, ubi jejuniis, ceterisque sanctis exercitationibus, solitariam agens vitam, se totum dedit, & apud cœnobitas quotidie sacrificio Divino inserviens, mystico se cibo refecit. Magna sanctimoniæ fama anno MDXC. defunctus Clusę sepelitur. Ludovicus Sichichi III. Ordinis Minorum summa in Deiparam affectus veneratione, moribusque incorruptis præditus claruit, quem laudat Pirrus. Matthia de Labita III. Ordinis Carmelitarum vitæ innocentia, præclarisque virtutibus ornata, ejus descripsit vitam mortemque prętiosam Vitus Carvinus, ac publici juris fecit. Ortu *Erycini* quoque fuerunt, quos in Sicula Bibliotheca laudatos lego. Joseph Cordici ex Minoritanis Observantibus, doctrina insignis, Brixiensis cœnobii sui Studiorum diu moderator, & in Academia illa celebri laurea donatus. Neapoli obiit MDCLV. de quo Vuadingus. Edidit in Aristot. Logicam Commentar: Antonius Toscanus Augustinianus Magister, sacras literas professus, disertissimus Ecclesiastes evasit, Siculam

lam rexit provinciam cum laude; decessit MDLIII. Vitus Salernus Ordinis Carmelitarum eloquentiæ singularis, & in Theologicę scientię quam in Patavino gymnasio publicè professus est, studiis apprime versatus; regularis denique observantię speculum, in patriam reversus MDXCI. in Domino obdormiit. Nicolaus Toscanus Musices peritissimus, eo singulari dono præditus, uti omnimodam vocis modulationem ab arte expetitam ad miraculum eliceret. Commendat illum Pirrus & Mongitore ob editos etiam de Re Musica libros. Petrus Cordici Medicus peritissimus iisdem scriptoribus, ob relicta ingenii monumenta celebratur. Carolus Joseph Cicala Sacerdos, Mazarensis Canonicus Romæ vixit, ab Urbano VIII. in insulam Cretam Dei Præco destinatus, diu ibi insudavit. Regressus lue grassante Valetudinariis ex obedientia præsuit, ubi contracto morbo MDXXXV. periit. Antonius Cordice genere nobilis, gravioribus scientiis insigniter expolitus, amœnisque literis excultus, Philosophi vitam traduxit, linguas calluit multas, musasque cum laude coluit, emendis undique libris, vetustatisque monumentis comparandis impigre incubuit, illibatis denique moribus fulsit. Patriæ Historiam concinnavit. Denatus est MDCXXVI. Petrus de Platea Medicus Empiricus, in Gallia & Italia, Romæ presertim apud Columnenses principes diversatus, chimicis, spargiricisque arcanis pharmacis innumeros ab insanabili morbo sanitati restituit, ac summum sibi nomen comparavit; mundo valedixit MDCLXXVIII. Franciscus Palma ob ingenii præstantiam Panormi diu cum gloria vixit. Sacerdos, defuncta uxore factus morum integritate magis emicuit. ibidem relictis doctrinæ suæ monumentis, mortem invenit MDCXCIV. Joannes Ancona Rhetor & Poeta; Joseph


Joseph Grimaldus Orator non vulgaris. Vitus denique Carvinus Patriæ Archipresbyter, omnibus disciplinis eruditus, muniis & honoribus auctus, in patriç historiis versatissimus, apud suos, exterosque summam promeruit ęstimationem, & Episcopis suis charissimus evasit. Ineunte præsenti sæculo, *Erycis* moritur. In lucem edidit *De Origine &c. Ecclesiæ Erycinæ*, aliosque libros, quos enumerat Mongitore.

Memoratur apud *Erycem* Aqua Fonticuli, vernacule *Fonticello*, quam vulgus Piscinam Apollinis appellat; Salubris est, & contra Hydropem efficax. De Gurgite fętido in Erycino agro inferius. Urbis hujus longitudo est grad: xxxxi. xv. latitudo eadem ac Drepanensis xxxviii. v.

EURACUS Mons Himeræ imminet. Vide S. *Calogerus*.



FALCO



ALCO Mons agro Panormitano circa austrum impositus, a *Numismate*, seu *Medalia* aliter appellatus, in cujus concavo latere, quà urbem respicit, scopuli cum virgultorum prominentiis, & cavitatum foraminibus ex projectione, oculis incurrunt, ac numisma cum Imperatoris vultu longa cęsarie, & lauro insignito, perfectissimè eminus, e determinato loco intuentibus representare. Prope vero nihil, nisi confusa lapidum, & stirpium congeries deprehenditur, ut ne vestigium visi antea simulacri appareat. Elapsis retro annis Panormi, quum essem, assequi figuram minime potui; Nuper vero e Regii Palatii fenestra, ingenti voluptate, ubi semel expressam adnotavi, nusquam conversis ad locum oculis, non adverti. Ad hujus montis radices Maris dulcis, & Favaræ copiosissimi latices emergunt.

FANTASINUM Casale anno MCLXXXIV. Montis Regalis Ecclesiæ a Guillelmo II. Rege attributum, cujus nullum hodie extat vestigium.

FARCHINA Casale, quod Monasterio S. Marię de Crypta Marsalæ Rogerius Comes MXCVIII. concessit, firmavitque donationem MCXXX. Rogerius Rex Comitis filius.

FAVARA Fons, Panormitanum fœcundat agrum ortumque sub Falcone, seu Medalia monte habet. Ejusdem nominis fons maximus est in Mazaræ urbis regione, unde Marsalæ fluvius augetur, de quo Fazellus. An illius aquæ per eos ductus lapideos, quorum magna pars extat, Lilybœum usque deducerentur, subdubito.

dubito. *Favara* nomen est Sarracenicum, uti alibi exposui, quo gurgites, unde aquæ veluti ebullientes e solo exiliunt, significantur. Vulgo etiam largissimas aquarum venas *Favaras* appellamus.

FAVARA, aliis *Fabaria*, Opidum, & Arx magna Friderici Claromontani opera extructa. Dissidet ab Agrigento pass. m. xv. ad ortum, in cujus est Diœcesi, Comarchia, & militari provincia. Arx opidi centrum occupat, contra quam forum sternitur, nec inde procul major assurgit Ecclesia, Deiparæ in Cœlum Assumptę sacra, cum Archipresbytero, & Sacerdotum choro, *Almutiis* utensium. Carmelitę sub titulo Annunciatę, nobile habent Cœnobium, & in Ecclesia S. Antonio Paravino dicatum sacellum; est enim ille Tutelaris opidanorum præcipuus & Patronus. Pirrus Minores memorat fratres Conventuales; Cagliola alibi laudatus anno MDXXX. hos *Favaram* coluisse tradit, sed inde Carmelitis, grassante peste ad sacra ministranda eo restitutis MDLXXIV. jacturam passos fuisse dicit. Hodie deficiunt. Recessere Observantes & Capuccini aeris inclementiam caussati ex eodem Pirro. Collegium Marie Virginis pro sequiori sexu Laurentius Joennus Episcopus paucis ab hinc annis condidit cum dote. Minores porro Ecclesiæ xx. recensentur, eminetque Beatę Roasalię Virg: templum magnificum, quod Magistratus ex voto ob extinctam luem sacravit, & SS. Cosmæ & Damiani, quod juris est Patronatus Dynastæ Domum denique Hospitalem in S. Nicolai habebat teste Pirro, quæ est hodie deserta. Laribus 90. Carolo V. Regni potente *Favara* constabat, sed auctum notabiliter opidum sequenti sæculo fuit, cujus anno XL. ex eodem Pirro lares 715. incolas 2731. numerabat & MDCLII. focos 918. incolas 3538. hinc decurrentis

currentis anno XIII. foci 1343. animæ 5337. & noviſſimè 6009. computantur. His Decuriones IV. Syndicus, & Criminum Quæſtor, cum ſupremo Præfecto jura adminiſtrant a Marchione delecti. In Clericos Epiſcopi Vicarius poteſtatem exercet. Agri ſolum pingue, aquiſque copioſiſſime ſcatens, omnis generis fruges incolis, viciniſque populis ſuppeditat, & proximi Agrigentini emporii horrea cumulat; paſcua fere uberrima, gregeſque idcirco, & armenta non parvo numero fovet, nec fructibus, vineis, oletis, aliiſque ruralibus commodis caret.

Arcis Conditor *Fridericus Claromontanus*, uti innui, & gentis ejus ſtemmata illi appicta ſatis declarant circa MCCLXX. memoratur, qui ſequentis ſæculi anno XIII. vita excedens *Conſtantiam* filiam ſuarum hæredem ditionum reliquit. Hæc Brancaleoni de Aurea primùm, ſubinde Antonio Carretto nuptui tradita, prolem ex utroque marito habuit. *Joannes* nihilominus *de Claromonte*, Friderici frater in Cenſu de anno MCCCXX. Muxari S. Joannis & *Favare* Dominus dicitur. Sub Martino I. *Guillielmus Raymundus de Moncada*, MCCCXCII. cum aliis Claromontanorum bonis *Favaram* Agrigenti loco accepit, ſed ob ejus defectionē Barberius in Capibrevio *Aimilio de Perapertuſa* Caſtrum ceſſiſſe dicit; Muxarum vero Philippo de Marinis. Sed enim, ejuſdem Principis Regeſtum MCCCCVIII. *Philippum* hunc Muxari, S. Joannis, & *Favaræ* exhibet Dynaſtam; quamvis, & *Berengarium de Perapertuſa* etiam terris *Faboriæ* in Agrigentina ditione dominum evulget. Hinc alios *Perapertuſæ* gentis, *de Caſtellar* ſubinde appellatos, refert ille, ex Regiis Tabulariis, ubi *Inveſtituræ* adnotantur, quibus *Favara* obnoxia fuit, deducitque ad *Guillelmum* Lucretiæ pa-

 trem

trem, quæ *Josue de Marinis* Muxari domino uxor contigit MDIX. & *Favaram* conjugi detulit. Ex his *Pontius de Marinis*; Unde *Joanna*, & *Maria*. Nupsit illa *Ferdinando de Sylva*, qui Favarę Marchio ex literis Philippi II. Regis est appellatus; at quum prole caruisset, *Maria* Joannis Aragonii Tagliavia uxor *Favaram* assecuta, filio *Carolo* Terrænovæ Duci reliquit. *Fabritius Pignatelli* hodie ex Carolo jus habens, *Favaræ* Marchio dicitur, gladii potestate gaudet, & in Comitiis v. occupat sedem. Est Opidum ejusdem latitudinis cum Agrigento & longitud: gradum XXXVII. XX. attingit. Laudat Pirrus Bernardum *Faverensem* ex Minoribus Reformatis, literis, ac pietate eximium, qui Siculam, & Calabram provinciam optime rexit. Obiit Panormi non levi sanctimoniæ fama MDCLVIII. Paulus Bellomo *Favaræ* ortus, Agrigenti educatus, ubi III. Minorum Ordini nomen dedit, Scientia, moribus, dexteritate præcipuus, post emensos suis in Cœnobiis gradus omnes, Prioris Generalis munere summa cum gloria perfunctus, nostro hoc sęculo floruit.

FAVAROTTA Opidulum, cujus pars superior ad S. Martini Benedictinum Cœnobium, altera torrentis angusto alveo divisa, ad Principes Carinenses spectat. Vide *Terrasinis*.

FAVOGNANA Insula, nonnullis *Favignana*, *Faveniana* in libris Martini Regis; Ægusa, & Ægathes Veteribus, a *Capris*, quibus olim, uti hodie, abundabat, appellata, & Plinio idcirco *Capraria*. Hircio denique de Bello Afric: *Aponiana*; contra Drepanum, & Lilybœum, hodie Marsalam XII. pass. M. a continenti dissita, atque oblongæ figuræ per XIV. plus minus circumscripta ad occiduum Siciliæ latus sedet: Quamvis Carrera, & recentiores Geographi ad XVIII. pass. M.

cir-

circuitum extendant. Sinus habet complures numerosissimę classis capaces, quos ad XXVI. Niger & Vigintimillius enumerant, sed ille *Calarubra* laxior est prę cęteris, ac tutior. Arx cũ pręsidiario milite, & Pręfecto, S. Catharinæ nomine, nec non duplex propugnaculum circa oras, insulam custodiunt, anno MDCLV. Ducis Infantadi Siciliæ Proregis jussu, qui ad eam navigavit, extructa, seu potius instaurata; nam circa sæculi XV. exitum Andream Riccium Insulę dominum Castellum in ea posuisse lego; Colonos enim ab initio habuit, ob soli fœcunditatem, humilesque casas; sed illis passim multiplicatis, atque ad II. circiter millia auctis, Parochialis sacra ædes Virg: Deiparę Immaculati Conceptus titulo, cum Curione sub *Mazarensi* Episcopo institui oportuit, institutumque opidum Marchionatus insignibus auctum fuit. Agrorum porro fertilitate, atque aquarum copia *Favignana* pręstat, cultui idcirco maxime est idonea; quin a ventis Favoniis, terris fœcunditatem inducentibus, appellatam Orlandinus contendit. Greges pinguibus pascuis nutrit, alvearia fovet; hinc caseum præcipuum, & mel gratissimum gignit, quorum per Siciliæ vicinia Panormum usque fit quæstus. Cervis & dasipibus uberem venationem præbet, mari denique affluenter piscoso gaudet; nam gamaris, locustis, cancris, aliisque testarum generibus præsertim abundat; thymnorumque captura celebratur.

Nobilis, Carthaginiensium olim clade, & Romanorum victoria audit. Quod vero *Capraria* illa fuerit Homero memorata, Polyphemi gigantis, & Ulyssis fabulis insignis, uti Cluverius affirmat, nullimode veritati cohæret; Nam Polyphemi sedes sub Ætna citra omnem dubitationis aleam statuenda, quod Car-

rera in Mem: Catan: Et Ego alibi ostendi. Ad insulæ angulum circa meridiem quandoque variæ in aere methcoræ intuentium oculos eludunt; Classes enim concurrentes, exercitus in prælia ruentes, & innumera animalium spectra sibi videre existimant. Id qua ex caussa proveniat, Philosophis relinquo discutiendum; atque ad Insulæ Dynastas descendo. *Palmerius Abbas* Drepanensis, Suevis imperantibus *Favognanæ* dominus, filios hæredes reliquit, Hinc *Riccardus* sub Ludovico memoratur, qui strenuam Regi eidem operam navavit, aliique ad Martini usque tempora, quorum postremus *Nicolaus*. Hujus filia *Allegrantia* Matthæi de Moncada uxor, jura suorum assecuta, ejusdem Regis beneficio accepit MCCCXCII. Sed non diu Matthæo desciente, rursus ad Regium Demanium *Favognana* redit; hinc in Syracusanis Comitiis MCCCXCVIII. celebratis, aliis & ipsa accensetur. Septennio post *Aloysio de Caro Jure* conceditur, cujus hæres & filia *Benedicto Ispo Riccio* Drepani Criminum Quæstori in dotem detulit. Ex eo ad successores devenit, quos inter *Andreas* commendatur Castelli in insula MCCCCXCVIII. primus author. Sequentis sæculi anno XC. sub *Filingeriis* erat; *Joanni Francisco* enim *Ricciis* datæ sunt unciæ Siculæ CXX. annuatim, & insulæ dominium abrogatum. Medio elapso sæculo *Jacobo Brignoni* Genuensi obnoxia cum aliis ejusdem tractus fuit. Emit tandem *Angelus Pallavicinus* Genuensis & ipse MDCLI: Titulumque Marchionis obtinuit *Joannes Lucas Pallavicinus* novissimè tenebat *Angeli* pronepos. Longigitudinis gradum XXXVI. V. latitudinis XXXVIII. assequitur.

FELIX Turris specula inter amnis Cannarum ostia sub Siculiana, & *Garibici* caput assurgit.

FERRI

FERRI Caput inter Mazaram, & Lilybœum protenditur.

FICALDA Casale juris erat *Joannis de Calvelis* MCCCXX.

FICARATIUM Vicus est in agro australi Panormitano, cum Parochiali Ecclesia sub Ascentionis Dominicę titulo, ad IV. ab ea urbe lapidem, in Regia via; Dynastæ suburbanum spectatu dignum cum magnifica scala, cujus Fazellus meminit, reliquæ ædes utrinque viam sępiunt, incolisque 191. habitantur. Olim gentis *La Grua* fuit, ad alios subinde devenit, tandemque emit, a Theatinis *Aloysius Gerardus Giardina de Guevara & Lucchesius* S. Nimphæ Marchio, qui *Ficaratii* Princeps anno MDCCXXXIII. renunciatus, cum Julia Massa filium genuit *Didacum*, hodie Dynastam. Solum irriguum reddunt, & fœcundissimum aquę cognomines, quę in Eleutherum illabuntur; mellitisque cannis consitum, vineis, oletis, aliisque fructiferis plãtis, & arboribus luxuriare, iter habentes Panormum cum voluptate ingenti videmus. Gladii potestas Principi competit. Parochia majori Panormi Capellano subditur. Turris specula ejusdem nominis in ora, haud procul inde difsita subrigitur. Pons a Bayharia, & *Ficaratio* dictus ad fundę jactum distat, de quo alibi.

FICUS INDIÆ Turris. Vide *Mondelli*.

FICUS Vallis inter Amblerim, & Moartam agri Panormitani montes, aliosque illis adnexos colles circa austrum, usque ad Parcum vetus se extendit, aperitque in mediterranea iter.

FIMIS Insula parva, aliter *Fœminarum*, in Carinensi sinu, olim Hyccaris, quem Galli portum dicunt. Adjacet littori ad DCC. circiter pass. & turrim habet speculam in prominenti tumulo, qua hinc statio-
nes

nes custodiuntur. In ea Motyam veterem & insignem insulanam urbem stetisse Bonfilius & Cascinus post Valguarneram scribunt, ac subaquaneum a continenti ad insulam iter, seu isthmum qualem apud Motyam scriptores memorant, extare vulgus affirmat; Rudera quidem, & laterum fragmenta, tuborumque reliquiæ, ibi olim mortales non vulgare opidum incoluisse testantur; Sed quod Motyæ fuerint, post ea, quę Cluverius congessit, alii sibi persuasum habeant; Cascini enim rationibus suo loco occurram, de Motya, ejusque situ. Juris est insula cum Cetaria Monregalensis Ecclesiæ; sed ex ejusdem Pontificum concessione, possidet hodie Capacis Comes sub Archiepiscopi clientela.

FLUENTUM, Vernacule *Fiumicello*. Ubi Fluminis Himerę meridionalis aquę excrescunt, in alveum defluunt, qui paullo supra hujus ostium dexteræ ripæ subjacet. Porro illæ ad Leocatæ urbis septentrionales regiones abluendas per agrum excurrunt, faucesque habent, post Leocatam ipsam ad occasum. Dicitur Fazello Torrens, qui ęstate siccus sal gignit.

FLUVIUS FRIGIDUS. Vide *Scamander*.

FLUVIUS MAGNUS. Vide *Himera Septentrionalis*.

FLUVIUS SALSUS *Himera Meridionalis*, veteribus, ac nonnullis ex nostris *Gela*. Dividit cum Himera Septentrionali mediam pene insulam; oritur enim, vel ex eodem fonte Fatuzza sub Nebrode, unde septentrionalis profluit, aut certe utriusque capita parum inter sese distant. Vide *Salsus*.

FLUVIUS SALSUS, alter ab Himera, sub Monte Mellis ortum cognoscit; ubi Salis mineram, ex qua falsedinem contrahit, præfluens, cursumque sub Sutera circa orientem agens, in Platanim se exonerat.

FLU-

FLUVIUS TORTUS ita appellatus, quia falcato cursu dilabitur, ac inter Thermas Himerenses, & Himeræ septentrionalis, vulgo Grandis, ostium sese mari adjungit. Vide *Tortus*.

FOEDERIS Promontorium. Vide *Caput Federis*.

FOEMINARUM Insula. Consule *Fimis*.

FONS FRIGIDUS Arx circa Suteræ occiduas oras, aliter *Baslidu* & vernacule *Basiglia*, cujus meminit Fazellus lib: 10. cap. 3. surgit in valle ad Gomisum agrum spectante, ac Siculo ore *Fontana Fredda* appellatur. Tenuit olim gens *Claromontana*, subinde *Montecatina* habuit sub Martino, & ad *Jacobum* tandem *Artium* Regni Logothetam devenit. Hujus hæres & filia superstes *Laurina* Corrado Lanceæ Ficarræ domino nupta, *Perrucio* filio reliquit; cui frater *Valor* successit, *Valori* sine prole decedenti *Violanta* Manfredi Orioles Martinorum Dynastæ uxor circa MCCCCXL. Horum abnepos *Gaspar Orioles* a Philippo IV. ex literis MDCXXI. signatis *Comes Baslide* dictus est, *Fontis Frigidi* Baro, cum mero, & mixto imperio, uti appellant. Ultima ex Oriolis *Catharina* Deo se devovens, *Blasco Cajetano* consobrino, ex Melchiora amita orto, dynastiam cessit, unde *Franciscus* hodiernus *Basiglie* Comes, qui ex Catharina Vanne Emmanuelem suscepit. Gomisus porro ager amplissime patet, fertilis audit, aquisque abundat.

FONS MURATUS Casale, Siculis *Fontana Murata*, Cameratæ ditioni adjacet, ac terris frugum cujusque generis fœcundis gaudet. *Claromontanis* olim obnoxium, hinc *Moncatis*, & subinde *Vigintimiliis*, tandemque ex donatione *Catherinæ* uxoris *Antonius Barresius* Petræpretiæ Comes est assecutus, unde hodie ad Buteræ Principes spectat.

FONS



ABRIEL Fons in agro Panormitano sub Caputo monte ad ortum, affluentissimas aquę venas emittens, quę in conceptaculum primo collectę per varios largosque ductus subjectas terras partim irrigant, partim in urbem corrivantur ad civium commodum. Dicitur *Grybel* Saracenicè, ac binos ostentat latices, quorum unus *Major Gabriel*, & olim *Nissus*, *Minor* alter hodie appellatur.

GALLUS Mons ad agri Panormitani septentrionales oras, alter *Mondellus*, discernitur a Peregrino media Lauri valle, ubi fons, ejusdemque verticem turris specula occupat. *Gal* ex Casino vox Punica humilem montem denotat. Hinc *Montellus*, undè corruptè *Mondellus*. Aliter Vincentius de Joanne in *Panormo Instaurata* sentit, & a Galli figura in rupe, quę navigantibus occurrit, montem appellatum affirmat. Statio ejusdem nominis a Fazello memoratur, ubi Motyę urbis vetustissime vestigia perstare adhuc evulgat. Caput denique *Galli* in subjecti littoris tractu nautis notissimum in mari protenditur, inter Fimis insulam, & Mondelli turrim speculam.

GALLUM Casale, quod Ecclesiæ Panomitanæ Rogerius Comes anno MLXXXVI. attribuit. Ejus meminit Fridericus Cæsar in diplomate, quo bona omnia ejusdem Ecclesie enumeravit MCCXI.

GARAFFUS Fons celebris in ipsa Panormitana urbe elegantissimè ex albo marmore elaboratus, ortum habent ejus acuæ ab *Averingo* in agro *Balata* circa occidentem. *Garaffellus* fons alter est a primo haud procul. Alii *Garaffi* caput intra pomœrium recognoscunt, ubi Macellum est.

GARDALUSIS Agrigentinæ Ecclesiæ Casale ex Guilielmi II. Regis dono & privilegio MCLXXI.

GASTAEL Arx, quam Sarracenis Rogerius Comes eripuit, teste Malaterra, anno MLXXXVI, Vide *Guastanella*.

GELA Urbs inter veteres celeberrima, nonnullis creditur olim sita ubi nunc *Leocata*. De ea in Valle Netina; nam ejus loco Terramnovam surrexisse pluribus ibi ostendo.

GEMELLI Montes *Rosarum*, & *Cameratæ* juxta Fazellum. Hunc secundum descripsi; de primo vide *Gonius*. Dicuntur *Gemelli*, quod ejusdem sint altitudinis, ac unus ab altero non longe subrigitur. Cluverius Montes mellis, quibus opidum cognomine adhęret Gemellos appellatos tradit. Sunt ad orientales Nebrodis, vulgo Madonię regiones colliculi omnino inter sese ęquales, quos dicunt etiam *Gemellos*. De his in Valle Demana erit sermo.

GENNIA Casale, quod Ecclesiæ Agrigentinæ legavit Sapia nobilis fœmina MCCLXXX. Erat tunc Agrigenti Episcopus Gobertus

S. GEORGIUS Fons Birgis fluminis, sive Acithii sub opido Salemis, cujus meminit Fazellus.

GERBINUS Mons, *Mongerbinus* aliter; Sarracenis ita appellatus, quod asper sit circa latera & incultus. Agrum Panormitanum postremus claudit ad meridiem, & turrim speculam in vertice habet. Alsano adjungitur, sive Calatalsano, de quo dixi. Circa radices vinetis consitus est, optima vina gignentibus, unde etiam nomen forte illi appictum; nam *Gerbin* Sarracenis, *Vini vas* Latinis sonat.

GIANCASIUM Opidum, *Joppulum* aliter. Vide.

GIARDINELLUM Opidulum. Vide *Jardinellũ*.

GIA-

GIAZOLINA Turris specula in sinu Castelli ad mare circa mediterranea, bis fulmine percussa, atque idcirco hodie ruinosa.

GIBELLINA Opidum vetus, cum Arce a Manfredo Claromontano ædificata, Marchionatus honore ab anno MDCXIX. fulget, clauditurque Ecclesiastica Mazaræ provincia, & Salemis Comarchia. Situs ejus in tumulo ad austrum, cujus verticem arx occupat rupi imposita. Major parochialis Ecclesia S. Nicolao Epis: sacra, cum Archipresbytero, subjectisque minoribus, quas filiales dicunt, duabus, in clivo etiam sedet. Carmelitarum cœnobium sæculo XVI. constitutum Deiparę Annunciatę titulum refert. Minoritani Conventuales Ecclesiam S. Blasii ab anno MDLXX. occupant. Denique S. Mariæ de *Belvedere*, S. Augustini Reformatis *Antonii Morso* primi Marchionis opera, data est MDCXXIX. ad opidi fines. Domum hospitalem S. Antonii pro infirmis memorat Pirrus; at Virginum puellarum conclave, Deiparę Immaculatę Conceptionis dicatum, post Pirri ætatem fundatum coaluit. Ad II. pass: M. S. Mariæ de Habita vetus Cœnobium circa aquilonem assurgit, de quo inferius verba contexam. Ager *Gibellinensis* frugum omnium fœcundus, ac multa arbore consitus celebratur; in feudo de Habita fontem habet aquæ sulphureæ cutaneis morbis salutaris.

De *Gibellinæ* Dynastis illud moneo, apud Barberium, & Fazellum binas ejusdem nominis arces extare, quarum unam in ditione Agrigentina, alteram, de qua est sermo, in Salemis Comarchia constituunt. *Gibellina castrum*, ait ille, a *Guarnerio Vigintimillio ædificatum* dicitur, ad quem Alcamus spectabat. Et alibi *Gibellinam* in feudo Jacrę ab eodem *Guarnerio* Alcami Domino fundatam affirmat; atque a Martino

Regi *Nicolao de Lombardo & Michaeli de Boi* concessam. Demum *Gibellinam* tertium memorans, ad *Claromontanos*, inde sub Martino ad *Montecatinos*, ac ob horum defectionem, ejusdem Regis beneficio, ad *Philippum de Marinis*, ejusque filios devenisse tradit. Hinc in Censu de anno MCCCCVIII. *Philippus* Castri *Gibillinorum* dominus dicitur. Fazellus Dec. I. lib. 10. cap. 3. *Rahalmutum*, scribit, *Sarracenicum oppidum, ubi arx est a Friderico Claromontano olim erecta, quam Gibellina arx ad IV. pass. m. excipit*. Et paullo infra *Sala Donna, & m. postea pass. Gibellina, ubi arx a Manfredo Claromonte erecta adhuc extat*. Hęc porro implexa quum sint, eorum prosequar seriem, qui *Gibellinam* tenuerunt; unde Marchiones hodierni jus habent. *Nicolaus Lombardus* in Censu Martini, *pro Castro, & loco Gibellinę* Curię obnoxius dicitur, cujus Neptis *Aloysia*, *Manfredo de Abbatellis* nupta, dotis nomine assignavit. Vendidit *Jacobo Viginti-millias Fridericus Manfredi* filius florenis quinque millibus quingentis; ab illo *Bartholomaeus de Corbera* Misirindini Dynasta emit florenis octo millibus anno MCCCCLXXVII. qui *Calcerando & Agathę* filiis reliquit. *Calcerandus*, & *Trojanus Abbas* Agathę maritus *Jacobo Morso*, justo accepto pretio, tradiderunt; unde *Joannes Morso*, quem *Antonius* excepit. Hujus nepos *Antoninus* Philippi III. literis primus Marchio *Gibellinę* deputatur. Ejus fuit uxor Elisabeth Lancea, quę in Monasterio S. Viti magna sanctimonię opinione MDCXXXIX. e vivis abiit. Successit *Antonino Franciscus*, *Blasci* ejus fratris filius, Podii Regalis Princeps, qui ex Anna Bosco nullam suscepit prolem, & *Gasparem* idcirco fratrem successorem habuit, Laurę Bellacerę conjugem, Alcantarę Equitem, ex quibus *Petrus Morsus* S. Jacobi Eques; Gallici belli tempore Militum Pręfectus, Arcis Scaletę

pro-

propugnator, XII. Regni vir, & Panormi Pretor. Natus ex illo & Antonia Fardella *Joannes Franciscus*, qui & ipse primarius in patria functus est muniis, Tribunus in Hispanis cohortibus, Marsalæ Gubernator, & Siculis Triremibus Præfectus, Vicelegatus denique in Caroli Cæsaris exercitu, & Regis nostri a Cubiculo fuit. Adjunctus primum Rosaliæ Filingeriæ, subinde Teresię Bonanno & Bosco quinas reliquit fęminas, quę viris principibus nuptæ, quarum secunda *Stephania* a Patris morte virgo relicta, Sororis filio *Aloysio Naselli* Yhomisi Comiti copulata, hunc *Gibellinæ* Marchionem constituit. Gaudet gladii potestate Magistratus designat annuos, & in Comitiis XXII. occupat locum. Est opidum Longitudinis grad: XXXVI. XL. ac Latitudinis XXXVII. XL.

GIBILRUSSA Mons, Sarracenis *Gyebel Rosi*, idest, uti Cascinus interpretatur: Mons Caput, seu Terminus, eo quod montium juga ab Eryce in agrum Panormitanum ad austrum, eo colle cum adjunctis Missilmeri montibus finem habent. Quamvis Agius de Soldanis vocem *Rosi Oryzam* frugum notissimam speciem denotare scribat. In ejus subterranea crypta Virginis Matris antiquissima figura inventa, quæ a vicinis, remotisque magna religione colitur. Est etiam in eo Jaspidis probatissimi minera. Ad ejus radices ager Ciaculle, vallis Ananię, Ficaracii, alięque regiones vini præcipui, olei, frugum, fructuum divites protenduntur.

GIGANTIS Crypta, aliter *Martogna*, sub Eryce monte, ubi procerę staturę corpus, seu ossa sęculo XVI. inventa, uti Fazellus testatur, Erycis Gigantis vulgo credita. Ejus meminit Kircherius Mund: Subter: tom: 2. vastamque appellat, ad pedes circiter XXX. altam.

GIOR-

GIORDANUS Mons solitarius Panormitani agri, aliter *Bongiordanus*, & ex Adria *Portella mariti*, ac *Speculum*. Sub eo Accia vicus, & fons *Bubjurus*, qui *Eleutherio* adjungitur. Hinc Bayharię & Solanti agri, vineis & fructiferis arboribus ad delicias consiti succedunt; ubi Procerum quoque Suburbana, de quibus dixi.

GISIA Opidum in colis radice a Fazello memoratum, ad Jaci amnis ripas. Hodie jacet.

GIUMMARIARUM Mons, S. Calogeri, prope Saccam, de quo dixi. Ita appellatur, quia palmis sylvestribus abundat circa radices. Vide *S. Calogerus*.

GODRANUM Opidulum a lacu ejusdem nominis, qui & *Cotranus* appellatur, ac sub hoc vocabulo fuit jam supra descriptus, haud procul situm, sedet inter Marineum & Mediusium in Panormitana Comarchia. Juris est Ducis Cisari, ex nobili *Columnensium* stirpe, amplissimus *Godrani* ager, in quo cum lacus tum opidulum ponuntur. Hujus Parochia S. Petro Apost. dicata ab Archiepiscopi Panormitani Vicario, qui animarum curam habet, administratur, cum alia minori Ecclesia. Circa elapsi sæculi medium vicus erat laribus 25. incolis 76. conflatus; Crevit hinc sub *Columnensibus*, & anno MDCCXIII. ejus fuit census lar: 87. incolar: 253. qui novissime 419. computantur. *Joannes Valguarnera* sub Martino Rege ejus erat dominus, uti in Regesto de anno MCCCCVIII. & apud Barberium, cujus filii venum dedere *Bartholomæo de Monteaperto*. Huic *Petrus* hæres successit, a quo *Gilibertus Valguarnera* nuciis D. exolutis vindicavit. Unde ad Societatis Jesu Panormitanum Collegium devenerit, non habeo. Obnoxium *Lancellotto Castello* anno MDCLXVI. invenio, subindeque *Antonino Fenaro* MDCLXXXI. Ca-

logerus

logerus denique *Columna Romanus* sub elapsi sæculi exitum accequisivit, unde ejusdem Nepos *Calogerus Gabriel*, qui ex majorum exemplis, animi præstantia, morum comitate, aliisque virtutibus effulget. Sedet *Godrani* Baro in publico Regni consilio loco XVIII. & Jure gladii fruitur,

GONIUS Mons Aristoteli lib: 2. de Aud: laudatus, idem creditur ac Mons Rosarum, qui unus est ex Gemellis Plinii. Verba Philosophi sunt: *In Carthaginiensium ditione ferunt montem nomine Gonium cum omnigena rerum materia, tum in primis varietatis floribus refertum esse, unde vicina loca longo tractu suaviolentiam participantur, viatoribus respirationem gratissimam reddunt. Juxta autem esse fontem oleo fluentem odore gustis cedri non absimili... Juxta autem hunc fontem saxum ajunt esse natnum, justa magnitudine, ex quo tempore æstivo flamma ignis prodeat, hyeme vero aquæ vorago effundatur, adeo frigide, ut cum nivibus collata nihil eis cedat.* De fonte illo, qui oleo scatet, dixi, ubi de Bivona. Saxum hodie æstate ignem, hyeme aquam effundens extat nullum. Forte etiam numquam extitit, fabulisque accensenda, quæ de eo Philosophus aliorum relatu scripsit. *Rosarum* porro mons Bivonę supereminens, ac juxta nonnullos a Sarracenica voce *Rosi*, quæ *Caput* denotat, appellatur, herbis suis largam botanicis messem tribuit; hinc, quod semper floreat, ejusque sint juga amœnissima, a *Rosis* dictum alii volunt. Adjunguntur huic mōti Quisquinæ Colles.

GONUSA Stagnum inter Belicim amnē, & veterem Selinuntem, Yhalicis vulgo appellatum, æstivis temporibus pestiferum. De eo intelligenda sunt Laertii verba, quę lib: 8. in vita Empiedoclis Agrigentini

Phi-

Philosophi profert: *Quum Selinuntios ex adjacentis fluvii fetore pestis invasisset; adeout & ipsi interirent, & uxores partu periclitarentur; excogitasse Empedoclem ajunt, qua ratione duos quosdam ex conterminis amnibus in flumen illud immitteret, ut ex commixtione ea aquæ dulcescerent*. Male appellavit flumen Diogenes stagnum illud, uti Cluverius advertit, reticuitque amnium nomina, quorum alter Selinus, alter Belicis. *Gonusa* apud Lycophronem quoque memoratur in Alexandra.

GORGIUM incerti prorsus situs opidum Diodoro lib:20. authore. In aliis exemplaribus habetur: *Gorgonium*.

GRADELLA Statio in Agrigentino littore a ventis immota, ambitus pass: m. in qua securè majores etiam naves degere, ac firmare ancoras possunt. Imminet illi mons Rubrus; vulgo *Rosso*.

GRÆCORUM CASALE. Vide *Plane*.

GRANITOLIS Promontorium in Selinuntis ora, hodie Mazarensi; Dicitur *Trium fontium* quoque a triplici in littore latice; Prope est ejusdem nominis turris; contra haud procul a littore, parvi tres projecti sunt scopuli.

GRIMALDIS Opidum, Principatus titulo decoratum, hodie *S. Catharina*.

GRUTTÆ Opidum, Latinis *Cryptæ*, sive *Speluncæ* inter Agrigentum, Narum, & Suteram; spectat hinc ad Agrigentinam Diœcesim, præfecturamque ejusdem militarem, & Nari Comarchiam. *Erbesso* veteri opido ex nominis similitudine subrogatum passim creditur, quod *Erbessus* Græcis locus sit speluncarum; sed enim alibi forte *Erbessus*, & Agrigento proximior stetit; nec enim desunt in hoc terrarum tractu speluncæ, unde

unde ab illis locus alius speluncarum dici possit, cui Erbessi situs respondeat. Cętero *Gruttarum*, seu *Cryptarum* origo incerta. *Gruttas* a Petro Aragonio *Rodericus Sances* accepit; unde *Vigintimillii* tenuere. Sub Martino Rege *Ludovicus de Monteaperto*, ejusque filius Agros *Grutticeli* & *Grutte* de Leone, in ditione Agrigentina obnoxios habebant. Idem *Ludovicus*, quum a Martino *Gruttarum* feudum *Philippo de Castrojoanne* anno MCCCXCVI. fuisset attributum, ad sua jura illud revocavit, & filio *Antonello* MCCCCXIV. reliquit. Hic sine prole decedens *Fridericum* fratris filium hęredem dixit, cujus abnepos *Baltassar* Antonię Buccalandro maritus improles obiit, eique *Lucretia* soror successit, *Laurentio Taglievia* sacris vinculis adjuncta. Ab his *Gruttas* emit, quæ jam in oppidum ab ineunte sęculo XVI. creverant, *Desiderius de Sancto Philippo* Platiensis, aureis XIII. M. & D. exolutis, anno MDCXXXIV. Idem Ducatus tessera Philippi IV. Regis privilegio MDCXLVIII. dynastiam insignitam voluit, multaque egregie in patria gessit, suorumque civium utilitati prospexit. Ex Olympia Gaffuri *Felicem* filium habuit. Hic cum Hyppolita Starraba *Thomam* genuit Isabellę Galletti conjugem, unde *Hyppolita Gruttarum* hęres prodiit, *Vincentio Grua Talamanca* matrimonio copulata: qui MDCCXXI. *Gruttarum* Dux appellatus, *Antonium* in vivis hodie agentem, nuper S. Januarii Equitem a novo Catholico Rege creatum, suscepit. Habet in Comitiis XVI. locum; gladii potestate gaudet, subditos enumerat novissime 3536. qui anno MDCCXIII. erant 2324. in laribus 546. Hi porro Caroli V. ævo 90, sed ejusdem XVI. sęculi an: XCV. animę 1041. computabantur. Ex Pirro foci 369. incolæ 1545.

In declivi salebrosi collis sedet *Gratterum* oppidum ad meridiem; Parochialis ædes B. Mariæ Virgini de Rosario dicatur; Patrona vero S. Venera V. M. a civibus colitur. Curam gerit animarum Episcopi Vicarius, & subditas VII. minores alias Ecclesias habet. Minoritani præterea Conventuales ab anno MDLXXIII. degebant, & Carmelitæ in S. Mariæ Annunciatæ, sed paupertate pressi recessere. *Gratterum* latitudo gradi: XXXVII. XXV. longitudo XXXVII. XXX. respondet.

GRYPHUS Mons sublimis in australi Panormitano agro, circa cujus radices ad occidentem Cœnobium S. Mariæ de Jesu Minorum de Reformatione, a quo nomen quoque ille sortitur. *Gryphum* vero dicunt, quod circa suprema viridantia juga hanc exprimit avem. Hinc ob eamdem rationem *Vultur*, & aliis *Mons serpentum* appellatur. Circa æstivum ortum scrobs in ipso vertice aperitur, seu crypta cum aquæ fonte, quem a *Virgine Maria* vocant. Ad imas montis plagas *Favara* S. Philippi, de qua dixi, & Mare dulce, copiosissimæ scilicet aquarum venæ cum veteri piscina, seu Naumachia, inferius describenda.

GUASTANELLA Arx. *Gastael* Sarracenis appellata, de qua Malaterra testatur, quod a Rogerio Comite cum aliis proximis fuerit expugnata, uti paullo supra monui. Ejus agrum sub Frederico II. *Bartholomæus de Monteaperto* tenebat, subinde Claromontanis, & Montecatinis datur, & Martino Rege *Philippi de Marino* juris erat in Suteræ ditione.

GUIDALOCA Turris in S. Juliani, seu Erycis littore ad navium, stationis proximæ a *Gruttaccis* appellatæ custodiam. Fluentum ejusdem nominis haud procul fauces habet, & mari sese adjungit.

GUL-


GULFUS CASTELLI AD MARE, Sinus olim Ægestanus. Ab opido Castelli denominatur.

GUNGALEUS Lacus in amplo Rahalgioffali feudo prope Vicarim, quod juris est Petri Squilli Landri Dynastæ, anatum, aliarumque aquaticarum avium turmis infessus, ac venatoribus idcirco jucundissimus.

GURGES CALIDUS prope Segestam. Vide de *Aquis Segestanis*.

GURGES DONNÆ. Ex eo caput egerit Arenæ fluvius sub Salemi, *Gibelis* & *Rapisi* ejusdem amnis fontes, ibi etiam ortum habent, atque ad III. pass. M. ab eadem urbe dissident in occasum.





ABES Fluvius. Vide *Oretus*.

HABITA Monasterium S. Mariæ Virginis, ex S. Benedicti familia, prope Gibellinam m. pass. 2. in aquilonem, olim Abbatis titulo insigne, hodie Prioratus; incerti authoris, & fundationis, juris tamen patronatus domini Gibellinæ. Prioratus institutio ad Mazarensem spectat Episcopum.

HALICYÆ vetus opidum, aliis *Alicyæ*. Fazellus vulgari Thucydidis exemplari usus *Halicyam* Centuripæ propinquam arbitratur. *De hac re*, legitur in illo lib: 7. *certior factus Nicias, mittit ad eos Siculos, quo transiturus erat hostis, & ad socios cum alios tum Centuripinos, tum Halicyæos, ne illum transire permittant*. Verum Historicus *Agyrinæos* scripsit, qui Centuripinis finitimi, uti Cluverius lib. 2. cap: 6. ostendit. Fuit ergo *Halicya* eodem tractu, ac Segesta, Entella, & Selinuntes, prope *Halycum* amnem, haud procul Lilybæo. *Inter Antellam*, ait Cluverius, *& Lilybæum fuit opidum, cui vocabulum pluralis numeri: Halicyæ, & latina formatione Halicyenses*. Subditque Diodori verba variis in locis lib. nempe XIV. *Dion [...] adducto exercitu, Carthaginiensium ditionem invadit, dumque agros populatur, Halicyenses metu perculsi, missis in castra legatis, societatem cum eo junxerunt*. Idque repetit Historicus factum, *dum apud Ægestam Dionysius cum exercitu hæreret*, & Himilco vi Motyam expugnasset. Lib. 22. *Hinc Selinuntii Regi Pyrrho se adjungunt, mox & Halicyenses & Ægestani*. Lib: demum 23. *Ægestani primum Carthaginiensium imperio subjecti, ad Romanos inclinarunt, idemque*

que

que & Halicyenses fecere. Ex quibus disertè patet: *Halicyas* in Sicaniæ partibus stetisse. Aliunde *Halycus* amnis, unde opido nomen, ibidem cursum peragit suum. Stephanus: *Ait quippe Duris plerasque Siculorum urbium a fluminibus nomina habere: Syracusas scilicet, Gelam, Himeram, Camicum, Halycum &c.* Haud porro postremi fuisse momenti *Halicyas* nedum recitatis Diodori verbis liquido apparet, sed ex illo Tullii in Verr. III. *Fœderatæ civitates duæ sunt: Mamertina, & Tauromenitana. Quinque præterea sine fœdere immunes civitates liberæ: Centuripina, Halesina, Segestana, Halicyensis, Panormitana.*

Putat Cluverius, quod celebre opidum, vulgari voce *Salemis*, antiquum nomen *Halicyæ* servet. Græcis enim *Sal* dicitur ΑΛΣ unde derivatum est *Alicus*, quod *Salsum* Latinis sonat, ex quo *Salemis*. Quamduo quippe in australi Siciliæ ora sint amnes, ejusdem appellationis, *Halyci* nempe, alter sub *Salemi* ortum habens, alter vero a Platanis dictus, non incongrue videri *Halicyæ Salemim* subrogatam evulgant. Cętero quod *Halycus Salemim* præfluens sit Salsus juxta originem, solus id tradit Cluverius.

HALYCUS Amnis *Delia, Biligerus, & Belligerus*, circa ostia *Arenarum* dictus, fontes sub Salemi tres ostentat: *Rapisim, Gibelim, & Donnæ Gurgitem.* Hinc dilapsus SS. Trinitatis Coenobium de Delia, agrumque præfluit; unde a *Delia* appellatur. Recipit Fluvii magni aquas sub eadem Salemi ad austrum emergentis, *Biligerus* mox, seu *Belligerus*, atque *Arenæ*, quod ad fauces albas teneat circumjacentes arenas, nominatur, taudemque Africo mari, duo inter promontoria, Trium Fontium, & Mazarense, adjungitur. *Halycus* alter, *Platanis* vulgo, & Lycus, qui medius inter Syracusanũ olim

& Car-

& Carthaginiensium ditionem, utramque gentem discriminabat, inferius describetur. Vide *Platanis.*

HERACLEA cognomento *Minoa*, olim *Macbara*. Hanc exactissime describit Fazellus 1. dec: lib: 6. cap: 2. & dec: 2. lib. 1. cap: 2. simul cum Minoa, ac post Agrigentum, occasum versus, ad promontorium, quod Caput Album vulgo dicitur, inter Siculianam, & Platani fluminis ostium sitam evidenter ostendit; cujus est etiam mentis Cluverius, quidquid Pacius obtendat, ad ipsum Platani ostium locatam evulgans. Longe hinc Terranovenses aberrant, dum *Heracleam* patriam suam fuisse olim, sibi blandiuntur. Nec Regia diplomata id ipsum mendum firmantia, vulgari opinioni authoritatem conciliant. Veteres enim Geographi, & Historici cum Minoe, tum *Heracleæ* situm illum assignant, quorum verba referrem, nisi idem Fazellus fusissime illa expendens, rem confecisset. De ortu Minoæ inferius, hic de *Heracleæ* conditu, seu de Minoæ instauratione nonnulla promam. *Eryx*, inquit Diodorus lib: 4. *accepta conditione* cum Hercule *in certamen descendit, victusque, regionis possessione exuitur, quam interim Hercules, ut depositum incolis ad usufructum concedit, donec ex se natorum aliquis eam repetat. Id quod postmodum ita evenit. Post multas quippe ætates, Dorieus Lacedæmonius in Siciliam profectus, recuperata ditione avita, Heracleam construxit.* Pausanias lib: 3. ex Aristophane: *Heraclidæ*, scribit, *quum propter paupertatem Athenis, & aliis Græciæ partibus habitare commode non possent, & nobilissima essent familia, in Siciliam venerunt, & Heracleam urbem condidere*. Hæc paullo aliter Herodotus refert lib: 5. Tradit enim Dorieo Anticratem quemdam ex Laii oraculis consilium dedisse, uti Heracleam in Sicilia conderet, *affirmans terram*

terram Erycis esse Heraclidarum, ab ipso Hercule acquisitam. Et aliquanto post: *Navigarunt autem una cum Dorieo, & alii Lacedæmoniorum, deducendæ coloniæ socii. Qui quum in Siciliam omni classe profecti essent, superati a Phœnicibus, & Ægestanis in prœlio occubuerunt, uno tantum huic cladi superstite Euryleonte, qui collectis suorum reliquiis, occupavit Minoa Selinuntiorum coloniam, Selinuntiosque liberavit, Monarchia Pythagoræ. Hunc quum sustulisset, ipse tyrannidem Selinuntis invasit, & princeps ad breve tempus extitit, Nam Selinuntii impetu in eum facto, quum ad Jovis Forensis Aram confugisset obtruncarunt*. Hæc Diodorus. Fazellus locis laudatis ex iis scriptorum verbis nonnulla congerit, quæ forte ante ipsum protulit nemo: Quod scilicet, ubi regionem Erycis quamprimum, declarata progenie, sese dedentibus accolis, adeptus esset, atque inter Agrigentum & Selinuntem ad Promontorium Album super ruinis urbis Minoæ jam deletæ urbem condidisset, quam ab Hercule Heracleam appellavit; illa adeo brevi coaluit, ut Carthaginienses, vel invidia, vel metu, ne viribus aucta aliquando *Heraclea* Phœnicum deleret imperium, socia arma cum Ægestanis sumpserint, magnisque copiis aggressi, vi captam funditus diruerint, fractis bello, cæsisque Dorieo, cæterisque Spartanis ducibus uno Eurileonte excepto. Quam tamen non multo post Selinuntii inducta suorum colonia restituerint, & Pithagoras assumpto tyranni titulo, deinde administraverit. Sed & ipsam veteri nomini, legibusque redditã, Minoamque rursus appellatam, Eurileon, Spartiatis ducibus superstes, collectis undique Heraclidarum reliquiis aggressus, magna vi receperit, sublatoque Pythagora, Selinuntinos a Monarchiæ jugo asseruerit, Illam

porro

porro quum ipse postmodum invasisset, a Selinuntiis in seditionem actis ante aras confossus, ad quas confugerat, in suo sanguine corruerit. Quæ an ita evenerint, commode adstrui possunt, at enim, uti innui, tam aperta, nemo, quod sciam, ex antiquis testata reliquit. Diodorus Carthaginienses Heracleam funditus diruisse quidem tradit. *Sed de his*, subdit, *suo tempore separatim scribemus*; quasi longe post urbis molitionem gesta fuerint. Nullibi cętero deinceps ea memorat, tempus idcirco, quo *Heracleæ* destructio per Pęnos statui possit, prorsus ignoratur.

Sub Minoæ nomine nihilominus ejus sibi imperium Dionysius Syracus. Tyrannus vindicavit. Dion hinc ad illam, transmisso Agrigento appulit, ibique spoliis & sarcinis relictis, contra Dionysium duxit. Non dissimulaverim cętero, quod a Plutarcho tunc Minoa ditionis Carthaginiensium opidulum dicitur. Anno circiter XLVIII. post, jam rursus celebris erat civitas, *ejus* hinc cives, qui in libertatē sese restituerant, Tyrannus subegit. Secundo Bello Punico exardescente, Pęnis subdebatur: *Himilco*, inquit Livius lib. 4. *qui ad Pachyni promontorium classem diu tenuerat, ad Heracleam, quam vocant Minoam* XXV. M. *peditum* III. *equitum*, *&* XII. *Elephantos exposuit*. Servilis Belli mala *Heracleam* labefactarunt. Sed Rupilius Consul, deducta Romanorum colonia, in pristinum restituit, ac legibus munivit. Verres, teste Cicerone in III. contra pessime illam habuit. Quod Sarracenis denique insulam populantibus omnino defecerit, Petrus Diaconus testatur. Supersunt nihilominus rudera, quæ Fazelli verbis exponam.

Erat II. pass. M. ambitus, sita in rupe paulisper edita, & undique ea præsertim parte, qua fluctibus tunditur,

ditur, celsis rupibus præcisa & natura munitissima. Nihil in ea hodie integrum veteris ædificii visitur, sed tota aratur. Ad urbis medium subterraneę specus manufactę adhuc sunt duę, quę utrum cisternę fuerint, an sepulchra incertum habemus. Qua aquilonem urbs respiciebat, tumulum habet, ad cujus verticem arx erat, Castellacium hodie dicta. Ab urbis mœnibus ad Lycum usque amnem aquæductus integer adhuc restat, quadrato, sed gypseo lapide, quo plurimum ea regio abundat, extructus. Monumenta urbis reliqua, quum forma careant, ad quem usum confecta fuerint ignoratur. Pro mœnibus complura, in viva ipsa rupe excisa, adhuc granaria mari imminent, in quibus *Heracleenses* frumenta etiam in annos servabant. Fuit enim *Heraclea* olim frumenti Emporium nobilissimum, ut lib. 1. tradit Polybius, quum annonam inde ad Lilybæum primo bello Punico delatam refert. Visuntur pręterea intra urbem in ipsa quoque rupe excisa, integra adhuc horrea, littori hærentia, sed & ad ipsum littus in subaquaneis scopulis stationem *Heracleenses* exciderunt, quo tuto ad frumenta devehenda, navigia littori adhærere possent. Ad urbis extremum, quod mari superimminet turris est hodie specula, Capitis Albi appellata. Concludit denique Historicus: *Situs urbis adeo est oculis gratus, & vitæ humanæ accommodatus, ut Siciliæ Reges mirari satis non desinam, cur tam tam sede in interitum prolabi permiserint*. Ex situs porro amœnitate olim Minoam Macharam appellatam, cū Heraclide affirmo, quasi *Urbem Beatam*. Cętero prostratæ urbis fanum S. Joanni hodie sacrum dicit Cajetanus in Isagoge. Latera, ac fictilium vasorum fragmenta singulis fere annis aratro passim eruta dicunt; Ærea, argentea, atque aurea ejusdem urbis numismata

qua-

quatuor supra decem apud Parutam etiam occurrunt, Palladis capite, & Herculis typo Leonem prçlocantis, necnon Cereris facie, atque spicis signata, cum epigraphe ΗΡΑΚΛΗΤΩΝ. & ΗΡΑΚΛΕΙΩΝ.

HERBESSUS, Consule *Erbessus*.

HERBULA Opidum incerti situs. Populos *Herbulenses* memorat Plinius inter Mediterraneos.

HIERA Insula Diodoro, Ptolemço, *Hieronesus* Polybio & Plinio, ex Græco vocabulo, quod latine vertitur *Sacra*, *Maritima* veteribus Itinerariis, unde hodie *Marettimus*, obiacet Drepano, & Marsalæ pass: m. xxx. circiter dissita, ambitus vero pass: m. x. ad longitudinis gradum xxxvi. & latitudinis xxxvii. ac figura ellypsi conformatur; Ad promontorium orientale Arce munitissima, altissimis, præcisisque undique scopulis imposita, instruitur, ad quam unica tantum est via, tormentis, quæ in illa locantur, adeo patens, uti omnino expugnatu difficilis idcirco habeatur. Arcis conditor incertus, sed antiquissimus, Miles, Prefectusque ad ejus custodiam, noxiis, qui eo deportantur, e Siciliæ solo extorres, servandis, etiam intendunt. Colonorum non multæ familiæ, salebris enim frequentibus insulæ facies tegitur, sed alveariorum mellis præ çteris præstantissimi cultura illæ vivunt. Antonini Itinerarium Insulare: *A Lilybeo*, inquit, *Insula, quæ appellatur Maritima, stadia* ccc. *A Maritima insula Trajectus in Africam est stadia* mcccc.

HIMERA Urbs inter veteres celebratissima, in primis Siciliæ clara, & ornata, teste Cicerone in Vert. ii. Potensque juxta Pindarum in Olym: Ode xxii. Jacet hodie, vix ex nomine agnita, nisi quod civium reliquiæ post excidium sese Thermis collocarunt, quę *Himerenses* idcirco sunt appellatæ. Sita erat inter Flu-

vium

vium Tortum, & cognominem amnem, *Himeram* scilicet septentrionalem, sub Euraco monte, in ora insulae aquilonari, a littore haud procul, loco parumper edito, qui S. Nicolai ager hodie dicitur, & Bonfornelli turri imminet. Ager porro circumpositus, qui Minervę Campus antiquus appellabatur, eo quod Pallas illum sibi ex Diodoro elegerit; frugum est foecundissimus, colonis non ingratus, vitibus, oleis, aliisque ruralibus commodis refertus. De *Himera* conditoribus Thucydides & Strabo: Hic lib. 6. *Himeram condiderunt Zanclaei, qui Mylas incolebant.* Ille libro etiam 6. *Himera quoque Zanclaeorum colonia est ab Euclide, Simo, & Sacone deducta; in qua plurimi etiam venere Chalcidenses, Sed habitarunt etiam cum ipsis Syracusani exules a contraria factione superati, quibus nomen Myletidae. Apud hos porro loquela obtinuit inter Chalcidicam & Doricam, leges vero Chalcidenses.* His praeivit Marcianus Heracleensis, sive Scimnus a Chio in Periegesi. *Rursus vero ab his Zanclaei, duae urbes Euboea, & Mylę dictę conditę fuerunt, Deinde Himera, & post hanc Tauromenium, Sunt autem omnes hae urbes Chalcidicae.* Verum si fabulis deferre aliquid volumus, longe antiquior *Himerae* origo, Herculis enim tempore extabat, hinc Stephanus de Urbibus: *In Himeram divertit Hercules cum Gerionis armentis, ubi aquas calidas prorupisse Palladis jussu ferunt, in quibus Hercules membra labore sordida abluit, melioraque reddit, ex quo Himera appellata.* Caetero Thucydides laudatus Athenienses, qui bello Syracusis inferendo se parabant, ab *Himeraeis* minime exceptos enarrat lib. 7. Uti *Himerenses,* subdit, *qui soli e Graecis illic habitant, auxilio Syracusanis forent.*

Crescentibus subinde viribus, ad potentiam *Hi-*

mero pervasit, uti Rhegium sibi cives ejus occuparint; In auxilium quippe solicitati, pulsa contraria parte, adversus vocantes arma vertere; Moxque Phalaridi tyranno se subdere recusaverint, celebri illo Stesichori Apologo, ad id audendum persuasi: Cydippi nihilominus dominatu, uti lib: 7. scribit Herodotus, non diu post vexati, sub Terillo etiam servitutem servierunt. Quo ejecto, Thero Agrigentinus princeps *Himeræ* imperium tenuit, sub quo duram Carthaginiensium obsidionem, ac diuturnam urbs pertulit, nec nisi Gelonis Syracusani Regis virtute libera evasit. Ab hinc Trasydæum filium Thero urbi præfecit, cujus tyrannici imperii pertæsi cives, illum ejicere, Hieronis Syracusani Regis auxilio implorato, cogitarunt, quod resciens pater, in conjuratos omnes ad unum sævit, Himeramque pene desertam reliquit; mox vero Doriensium inducta colonia refecit, aliosque, quicumque vellent, civium loco recenseri jussit. His *per annos* LVIII. *præclare inter se rempublicam administrarunt, tum vero a Carthaginiensibus subacta, atque excisa, ad nostram usque tempestatem*, inquit Diodorus, [illegible] *vacua permansit*. Erant illi Deorum templa, quæ Annibal Pænorum Dux expoliavit, & abstractis inde supplicibus, qui eo confugerant, incendio vastavit, ipsa urbe solo æquata, postquam annis CCXL. fuerat inhabitata. Inter signa autem ærea Himeram mira pulchritudine in muliebrem figuram, habitumque formatam abstraxit, Stesichori etiam poetæ statuam senilem, incurvam cum libro, summo artificio factam. Quæ sane duo simulacra a Scipione, Carthagine deleta, Thermensibus restituta a Tullio perhibentur Verr: 2. Biennio enim postquam *Himera eversa fuit, Carthaginienses*, ait Diodorus, *coloniam ex civibus, aliisque A-*

fris

sis delecta facto, unam ad ipsas aquas calidas in Siciliæ urbem condunt, quam Thermas vocant. Nobilitata demum Himera fuit Stesichori Poetæ ortu, qui ex novem Græciæ Lyricis fuit. Dicebatur Tisias, sed Chorearum inventor factus, Stesichorus appellari meruit. Vixit Phalaridis ævo, cui acceptissimus fuit. Catanæ denique mortuus, insigni sepulchri honore affectus est. Filias habuit longe doctissimas Poetrias; Germanos fratres duos, & *Himerenses* uti putant, Mamertinum Geometram, & Helionactem Legum latorem. Meminit Plutarchus Petronis Philos: *Himerensis*, qui mundos extare CLXXXIII. docuit. Chrison *Himeræus* a prodigiosa currendi celeritate commendatus, illustris est habitus, de quo Plato in Protagora. Ergoteles Olympicus, quem Adimarus in Pindar: Cretensem dicit, conctumque Patria excedere, *Himeram* se recepisse, ait, ubi ob eximias virtutes civibus est accensus; quumque in Pythiis, Isthmiis, Olympicis, & Nemæis coronam, teste Pausania, fuisset adeptus, statuam in templo meruit, & *Himeræus* a Pindaro est conclamatus. In ejus hinc honorem argentea numismata IV. cusa putaverim, ubi bigæ cum victoriola corona victorem donante, effinguntur & epigraphe ΙΜΕΡΑΙΩΝ. Prostant & nummi alii ad *Himeram* spectantes, argentei, & ærei variis figuris, sed Gallo gallinaceo cum primis cusi; sex item pilis, Opis capite, *Himeræ* ad aram sacrificantis, Victoriæ, & Herculis signati typo, cum eadem inscriptione, & parvis aliis symbolis incerti omnino speciminis.

HIMERA *Meridionalis* Fluvius, qui sub Nebrode monte originem habens, & austrum versus decurrens, in Libycum mare se exonerat, ac *Salsus* denique

nique, quas sale infectas aquas deducit, appellatur. Est Cluverio omnium Siciliæ maximus. Vide *Salsus.*

HIMERA *Septentrionalis* amnis & ipse, vulgo *Magnus* nominatus ad ejusdem montis radices fontes habens, & in aquilonem cursum tenens; mari denique Tyrrheno dulces suas aquas adjungens. Consule *Magnus.* De hoc Silius lib: 14.

Littora Thermarum, quo mergitur Himera ponto
Æolio, Nam dividuus se scindit in oras.
Nec minus occasus petit incita, quam petit ortus.
Nebrodes gemini nutrit divortia fontis.

Mela lib: II. cap: 7. de *amnibus Himera referendus, qui in media admodum insula ortus, in diversa decurrit, findensque eam utrinque, alia ora in Libycum, alia in Tuscum mare devenit.* Antigonus in Mirandis: *De fluminibus ac fontibus Lycus perhibet: Himeram ex uno fonte in duos scindi alveos, alterumque fluvium esse salsum, alterum potabilem.* Solinus cap: 11. a Cluverio emendatus. *Himeram, qui et mutans plaga, Amarus est, dum in meridiem fluit, dulcis, ubi ad aquilonem flectitur.* Vitruvius denique lib: 8. cap: 3. rem proprie explicans: *In Sicilia, ait, flumen est Himera, quod a fonte cum est progressum, dividitur in duas partes; quæ pars profluit contra Ætnam, quod per terræ dulcem succum percurrit, est infinita dulcedine; altera parte, quæ per eam terram currit, unde sal funditur, salsum habet saporem.* Cluverius his veterum testimoniis recitatis lib: 2. cap: 3. subdit: Verum non uno, eodemque fonte exoriri prædictos duos amnes *Himeras*, sed duobus diversissimis, longeque inter se dist. ut dicto lib: 2. cap: 16. docui, quo sane loco hæc profert: Nebrodes iste mons, sive alio nomine Maro, vulgo nunc Madonia vocatus, inter dictos quidem

dant

duos Himeras longo jugo protenditur; sed ipsi amnium fontes xl. amplius millia pass: inter se dissiti sunt. Majoris Himeræ Lybicum mare petentis, ab orientali ejus latere; minoris ab occidentali, ita ut pro uno eodemque fonte haberi minime queant. Hęc ille. Atenim calamo aberravit; Sub Nebrode enim ad occidentem, haud procul Politio opido, fons est a Fatuzza appellatus, qui in duos sese latices dividit, alterque eorum in *Himeram* septentrionalem, *Magnum* alter dictum influit; alius vero *Himeræ* australi suas devehendas aquas consignat. En igitur juxta veterum verba unus idemque utriusque *Himeræ* fons. Meridionalis cętero ab Ennæ Salinis medio cursu saporem contrahit, Septentrionalis nullibi hujusmodi mineras incurrit, adeoque ad ostium usque potabilis. Extant complures alii eorumdem amnium fontes uberrimi; ille enim *Fatuzza* tenuis est & exiguus; sed majores eorum xl. pass. m. inter sese minime diffident, uti Cluverius evulgat. Alibi de his amnibus.

HIMERENSES *Aquæ*. De his actum jam supra: *De Aquis*.

HIPPANA Opidum vetus. Dicitur Diodoro *Sittana*, amanuentium utique errore, Cluverio admonente. Sed quod *Hipponium* Athenęo memoratum fuerit, uti Bonannus evulgat, nullimode procedit. Nemus quippe ad *Hipponium* perquam amœnum, pulchrum, aquisque irriguum, in quo Gelon Syracusarum Rex ędificatum a se locum, *Amalchea Cornu* vocavit, haud procul Syracusis conditum erat. Bonannus ad Bivonam stetisse *Hippanam* cum aliis credit. Invegius prope Caccabum locat, ubi hodie ager *Pellotrana* cum ædificiorum reliquiis. *Hippana* cętero Polybio, Stephano & Diodoro memoratur, qui, quum a

Ro-

Romanis *Hippanam* expugnatam innuit, inter Panormum & Mytistratum locare eam videtur. Ego incerti situs appellaverim in hac regione Paruta *Hippana* numum refert æreum Bove signatum ex una & Minervæ capite pileato ex alia cum noctua, & literis ΙΠΑ.

HYCCARA Opidum Thucydidi, Diodoro, Plutarcho, Athenæo, Stephano & aliis notum in sinus littore post caput Gallum ad Carinis murum stabat. Sicanis illius tribuitur fundatio, & Sicanicum idcirco opidum Thucydidi appellatur. Sed diruere Athenienses & Segestani eorum socii, quibus erat infensum; Laidem puellam, meretricem postea tota Græcia pulcherrimam abducentes. De Laide plura ex veteribus Fazellus refert, deque ejus natali solo, veluti illustris fęminę, Corinthios contendisse memorat. Diodorus Siculorum opidulum *Hyccaram* dixit, & in ejus spoliis talenta c. confecisse Athenienses scribit. Ex Timeo denique tradit Athenęus, quod Hyccaris sit appellata ex eo, quod primi illius incolę pisces in littore reperissent nomine *Hyccas*. Hodie Carinenses *Hyccarenos* se dictitant, murusque Carinis ab *Hyccari* nomen habet. Ex his peccasse Aretium deducas: Vicarim, mediterraneum opidum, *Hyccaris* loco exortum in Topographia vulgantem, ad littus enim stetit; hinc maris *Hyccarensis* purpuras turbinatas celebrant. Numus apud Parutam *Hyccaræ* creditur ille, qui caput senile, ac vigilem habet Canem cum literis ΙΚΑΡ.

HYPSA Fluvius, ejus nominis ex duobus in hac ora ad Agrigentum, unus, qui Nari hodie dicitur. Vide infra.

HYPSA Fluvius apud veteres, Sarracenis *Belich*, hodie *Bilicus*, agri Selinuntini maximus, cujus


idcirco


idcirco in honorem Selinuntii numum percusserant, illius genium sub speciosi Juvenis forma experimentes hisce cum notis ΥΨΑΣ; quorum duo exhibet Goltzius in sua Sicilia. Jam *Hypsæ* decursus talis est: Caput ejus præcipuum, uti innui, supra Corilionem agro Panormitano ad montem Santaganum; cum quo Bichinellum fluentum ex Busamara monte oriundum conjugitur, illabiturque ei ulterius Corilionis amnis, & Fractinæ vocabulum usurpat. Augetur postea sub Turratia diversorio fluvio Batticane, in agro cognomine, inter Corilionem & Busachinum, e fonte Scorciavacca progenito, mox Brucam amnem, ad forum Busachini venalem egressum, excipiens, justum evadit flumen.

Sed & aliud *Belicis*, seu *Hypsæ* caput ad Græcorum casale se egerit, in Archiepiscopi area, uti appellant, hinc Scalæ fœminæ fontem a sinistra sibi adjungit, qui in viva rupe ubertim, perjucundeque scatet. Montes mox editissimos ab eodem fonte appellatos præteriens, vallem profundam scindit, atque in præceps magno sonitu labitur. E valle egrediens Petræ longæ agrum abluit & ab eo nomen acquirit, postque aliquot pass: m. Malvelli aquas evehendas suscipit. Calatrasim hinc dilabitur, ejusque arcis, collisque radices abluens, vocabulum usurpat, sub quo decurrens nomine, Entellam usque tendit, vetus opidum, in monte ex ruinis cognitum.

Tertium *Belici* incrementum a Crimisio, seu *Belici* dextero accedit. Hunc Calatamauri aquæ conficiunt, quę dilapsę Sinurium olim casale dirutum præfluunt, pluribusque ex fontibus, inter Pandolfinam, & Misilindinum exortis, augentur. Conveniunt tria hęc capita sub Sala, & Gibellina opidulis, a Molendino Don-

næ haud procul; ingentemque fluvium constituunt *Hypsam* Veterum, *Belich* Sarracenis & *Belicem* hodie Sinistrum, qui arcem Petræ dilapsus anguillas ibi probatissimas, Alosas, Mugilesque piscatoribus offert, & Scapha trahjicitur, tandemque mare illabitur.





ABICA Casale in Suteræ territorio, quod obnoxium dicitur in Martini Regis Censu Thomæ de Michaele.

JARDINELLUS Opidulum ad Monregalensem spectans Pontificē, circa aquilonares, & occiduas sub S. Martini collibus plagas, focis 51. incolisque hodie 209. conflatum, qui in censu de anno MDCCXIII. erant 170. Parochia sub Sacerdotis cura ab Archiepiscopo constituti, S. Joseph Virginis sponso sacra est. *Jardinellorum* casale erat alterum in ditione olim Agrigentina a nostro omnino dissitum, pertinebatque ad *Andream Tagliaviam* sub *Friderico II.* Sequenti sęculo in Martini Regis Censu dicitur juris esse filiorum ejusdem *Andreæ*. In agro Clusitano locus a *Jardinellis* memoratur, ubi fons, cujus aquę lapidescunt.

JATIS Amnis, seu *Jatus*. Vide *Bathys*.

JATUS Mons, & opidulum, hodie excisum, quod passim Veterum *Jetas* creditur, cujus populi *Jetini* Plinio inter Mediterraneos enumerantur, quod & Silio celebre habetur. *Et celsus Jetas*. Vulgus hodie *S. Cosmanum* appellat ab sacra ęde in montis vertice SS. Mart: Cosmę & Damiano dicata, olim vero *Mons Azu & de Giato* dicebatur. Subrigitur hic omni ex plaga rupibus asper, pene excisus, & ascensu arduus; unico quippe angusto colle prærupto adiri suprema illius juga possunt. Conveniunt nihilominus diebus Pentecostes circumpositę gentes, ingentique frequentia Ecclesiam invisunt, sanctosque martyres colunt. Ea quippe ad Monregalensis Ecclesię Parochos spectat, qui-

bus & agri jura, censusque competunt. Et si enim Rogerius Comes anno MXCIII. *Jatum* Mazarensi Episcopo attribuit, & Guillelmus hujus nominis primus *Jati* homines Cittercienfibus S. Nicolai de Gurguro Monachis obnoxios voluit; Guilielmus II. nihilominus anno MCLXXVI. Castellum, seu *Jati* opidum Monregalensi Ecclesię dono dedit. Hinc multa opidanis concessa sunt ab Archiepiscopo Benvenuto privilegia. Uerum in eo, quum Sarraceni adversus Fridericum I. Siciliæ Regem rebellantes, loci firmitate confisi, aliquando restitissent, post diuturnam obsidionem, Rex expugnatam arcem a fundamentis diruit, casale delevit; Mauros in Apuliá relegavit suis cum familiis, demumque locum Ecclesiæ restituit.

Jetinos porro Diodorus a Pęnis subactos scribit, sed ab his desciendo, præsidiarios expellentes, sese Romanis dedere, eisque Syracusas obsidentibus suppetias cum aliis tulerunt, uti tradunt. *Jetæ* meminit Stephanus. *Jeta castellum Siciliæ, authore Philisto lib. 6. Gentilitium inde est Jetæus*. Extat adhuc æreum ejus numisma, in quo miles armatus scuto & hasta instructus exprimitur, & in postica area corona laurea cum inscriptione ΙΑΙΤΙΝΩΝ.

IMACHARA Vetustissima civitas. Consule *Machara*.

INDARA Opidum, aliis INYCUM, de quo Antiochus, Pausanias, Herodotus, Diodorus, Aristoteles, Strabo, & Stephanus, Sicanis tribuitur, Cocali Regis sedes a Camico diversa habetur. Stephanus: *Camicus, urbs Siciliæ, in qua Cocalus imperavit, Dædali hospes. At Charax hanc Inycum fuisse tradit*. Non unum, uti advertit Cluverius, eumdemque esse voluit locum Charax *Inycum*, & Camicum; sed alius Camicum fuisse

Co-

Cocali Regiam affirmantibus, ipse e diverso, *Inycum* sedem hanc extitisse tradidit. Alibi ergo idem Stephanus: *Inycum urbs Siciliæ. Herodotus autem cum Inyctos ab Inyx dixit, a quo Inyctinum vinum.* De hoc vino Hesychius: *Inycinum vinum ab Inyco Siciliæ, quod opidum est agro vini ferace.* Pausanias in Achaicis & Strabo lib: 6. nobilissimum Inyci vinum evulgant.

A Minoe capitalis fraudis damnatus Dædalus, & e vinculis cum filio elapsus, Inycum Sicanorum opidum ad Cocalum evasit, & ea fuit Siculis cum Minoe bellandi caussa, quod poscente Minoe Dædalum sibi dedi, Cocalus recusasset. De situ Inyci ex Vibio aliquid expiscari posse putat Cluverius. Scribit enim ille: *Hypsa secundum Irecon Urbem Hispaniæ decurrit.* Certe, subdit Cluverius, neque Hypsa in Hispania flumen, neque Irecon opidum ullum fuit; quapropter corruptas voces sic emendandas censet: *Hypsa secundum Inycum urbem Sicaniæ decurrit.* Ad Partanam hinc opidum, aut circa illud, Hypsæ ripis adjacens, ac vino nobile, *Inycum* stetisse suspicatur. Fazellus tamen Bilneorum agrum describens prope Camerinā Dec: 1. lib: 5. cap: 1. ibi *Inyctum* Cocali Regiam locatam conjectat: *Hanc namque ad latus meridionale Siciliæ constituunt* veteres scriptores. Sed & Belicis, seu Hypsa ad austrum fauces quum habeat, ad ejus utique ripas *Inycum* locando, ad Siciliæ meridionale latus constitueretur. Verum enimvero haud procul a Gela, ex his, quę subdam, *Inyco* locus est designandus. Discimus enim ex Diodoro, Hippocratem Gelæ Tyrannum a Zanclæis contra Anaxilam Rhegii Principem, evocatum, diffracta fide, in socios irruisse; captumque Scythem, qui Zanclæis præerat, ejusque fratrem

trem Pyttogenem, ambos *Inycum* suæ ditionis opidum relegasse, unde Scythes evadens ad Darium Persarum Regem se contulit. Quod enim ad Hypsam usque, ultra Agrigentum, Hippocratis extenderetur imperium, parum videtur credibile. Quum igitur Cocali sedes fuerit, & circa Agrigenti Regiones hujus dominium extensum fuisse constet, inter Agrigentum & Gelam, a littore haud procul, *Inycum* constituere, planum & verisimile putaverim. Quod ejus loco Camerata surrexerit, uti Ricciolius tradit, nullimode procedit.

S. JOANNES Opidum recens, Ducatus honore ab anno MDCXXXVII. insigne, circa quod tempus coaluisse passim dicitur, sub Camerata sedet, ad Turbuli fluminis, quod sese in Platanum exonerat sinistram ripã, solumque leniter in austrum & occasum declive occupat, ac rectis demum describitur viis. Major Parochialis Ecclesia situ præcipuo, S. Joanni sacra Archipresbyteri inspectioni cum aliis VII. minoribus Ecclesiis subjecta. Carmelitas ascetas ex S. Basilii Cameratę huc commigrasse paucis ab opidi fundatione, Pirrus evulgat; uti & minores Capuccinos, qui in agrum interjacentem, sed S. Joanni propiorem, se contulere, loco amenissimo, aquis irriguo, educandisque tyronibus apto, Herculis primi Ducis opera adscito, quorum Ecclesiam S. Francisco dicatam, S. Aureæ Virgine Capite, ex Divæ Ursulæ sociis idem locupletavit. Primus S. Joannis census anno MDXCV in Regiis libris elucet; nam Caroli Cæsaris ævo non extabat. Apud Pirrum medio XVII. sæculo lares 200. opidanosque 900. exhibet, in reliquis vero Censibus cum Camerata cõputatur. Laudatus porro *Hercules Branciforstius* Philippi II. beneficio primus Ducatus insignia tulit, idemque S. Jacobi de *Spata* Eques, & ad Rodulphum Cæ-

sarem

sarem Legatus, aliisque præclaris muniis claruit; De cujus successoribus actum ad Cameratam.

S. JOANNES de Eremitis Benedictinum Cœnobium in ipsa Panormo urbe sub Regio Palatio ad ortum hybernum cum antiquissima Ecclesia, & peristylio, ex primęva fundatione sub SS. Joannis & Heremitis titulo Gregorianum, idest unum ex illis, quę S. Georgius in Sicilia construxit; at ex magnifica, opulentaque dotatione Regium ab Rogerio nempe Comitis filio anno MCXXVI. reædificatum. Suos habuit Abbates ex eodem ordine, ac Fiduciarios, uti appellant ad annum MDXXVII. quo Carolus V. Imperator ad augendum Panormitanæ Ecclesiæ cultum, VI. Canonicos, quibus Abbatiæ bona pro congrua dote cederent, constituit. Eorum itaque cetus Abbas dicitur, & loco XVIII. Comitiis interest.

S. JONNNIS Crypta ad Lilybæum, aliter *Sibyllæ puteus*, sub S. Joannis Præcursoris æde, unde delusis Ethnicis responsa olim dabantur, fœminæ cujusdam opera, quæ Deorum spiritu afflata passim credita, seu dęmonis astu decepta, Sibylla audiebat. Solinus illius ibi extare sepulchrum, ait, & Cumanam appellat; Sed Cajetanus in Isagoge Siculam, magis congruè dixit. Patet in Cryptam descensus per gradus in vivo lapide excisos, ipsa vero figurę est rotundę, testudinata, & spiramentum habet, ex quo lumen excipit, tres circiter patens palmos. Aræ specimen circa occasum ostentat, variisque picturis monstra marina exprimentibus ornatur; pavimentum tessellato etiam opere, pisces varii generis repręsentat. Puteus denique, sive scrobs sale parumper infectas propinat aquas. De eo idem Cajetanus cap. 5.

JOP-

JOPPULUM opidum, alio nomine *Giancasien*, prope Agrigentum, recentis originis, anno scilicet ... in agro *Giancasio* & Rahalturco *Calogeri Columna* opera extructum, & ab uxore *Rosalia* Joppulo appellatum. Ejus hinc census in Regiis libris hoc sęculo primus apparet, fuitque larium 88. incolar: 305. qui computantur hodie 1043. Parochialis ædes sub Episcopi Vicario, S. Francisci de Paula titulum refert, cui altera minor suffragatur. Sedet *Joppulum* circa sinistras *Agragantis* fluminis, sive Dragi ripas, ad collis radices in austrum, duos veluti inter scopulos, qui ad opidi angulos naturæ opificio subriguntur, rectisque & amplis viis distinquitur cum Dynastæ Palatio. Fuit *Giancasii*, & Rahalturci dominus anno MDCXXXIX *Petrus Antiochini & Lauta*, a cujus heredibus *Antonius Joppulus* Cisari Dux, atque Italiæ apud Matritum Regens emit, & filiæ *Rosaliæ* cum amplissimis ditionibus assignavit, quæ *Calogero* jam laudato nupsit. Agro fęcundo, & aquis non indigo utitur; Baro in Comitiis LXXVII. occupat locum, & gladii potestate in subditos utitur. Joseph Saccus *Joppuli* civis, ex Clericis Regularibus infirmis ministrantium, sacra eruditione, eloquentia, & morum integritate clarus vivit hodie. Ejus extant typis editæ Orationes, quas habuit Catanę, ubi Virginum pauperum Domum novissimè promovit. Longitudinis & latitudinis gradibus Agrigentum exęquat *Joppulum*, ab illo enim in septentriones pass: M. circiter IV. dissidet.

JORDANUS agri Panormitani mons. Vide *Giordanus*.

JULIANA Opidum nobile, natura munitum, in prærupta undique rupe, arce, & muro a Friderico II. instructum, paucis a Clusa dissitum sedet. Opidum

excel-

excelsum, in alto collis vertice, Jacobus Adria dixit, *sub quo rupes etiam altissima est, ubi aquilae nidificant*, Coloniamque rerum omnium opulentissimam cum agro fęcundo, & pascuis pleno appellavit. Primis Northmannorum temporibus extabat, unaque cũ vicis Sinurio, Adragno, Zabut, & Comichio coalescebat, uti Guillelmi II. constat literis de anno MCLXXXV. & Dominatus titulo primum, subinde Marchionatus an. MDXXIII. decorari meruit. Arx in supremo clivo satis amplas pro Dynastis ędes habebat, sed media Olivetanis Monachis cessit, opidum respiciens in aquilonem; huic enim plagae & ortui simul ęstivo illud objicitur. Princeps & parochiale templum circa infernam opidi oram Deiparae in Coelum Assumptae titulum referens, S. Julianae V. M. opidanorum speciali Patronę passim addictum dicitur, cujus magna pars capitis ex Didaci de Haedo Agrigentini Episcopi dono, ingenti cum veneratione in arca argentea asservatur, festumque summa pompa, frequentia, ac nundinis prima Septembris Dominica die celebre habetur. Archipresbyter in ea & Sacerdotes communem componentes coetum, Divino cultui quotidie intendunt, sed & Sacrarium nobile cum primis, variis & insignibus decoratur Sanctorum lipsanis, frustro vel maximè de Christi Domini Syndone, quod manus latitudinem aequat. Filiales Ecclesiae 12. sunt; & in illa S. Margaritae cum sodalitio, Christi Domini e Cruce pendentis simulacrũ innumeris clarum prodigiis, cultu pręcipuo cives prosequuntur.

Pirri aevo Carmelitae, quos e S. Antonii extra, in Divae Annunciatae aedem intra pomoerium MDXCIV. migrasse ille affirmat, hodie defecere. Olivetani Monachi, ad quos S. Catharinę Ecclesia spectabat, anno

MDCXLVII. Leonardi Abbatis de Nemore opera, sedem *Julianæ* statuerunt, & Marci Antonii Columnę Marchionis largitate Arcis partem opido obversam obtinentes, eam in Coenobii formam concinnatam, SS. Trinitatis nomine insignem voluere, Abbatiæ titulo nobilitandam curarunt. Sanctimonialibus duo fuere dudum claustra, S. Nicolai Benedictinum, quo ex veteri, anno MDL. se recepere, ac S. Rocchi Clarissarum olim, dein in S. Juliani æde constitutum. Sed ex utrisque unum voluit Vincentius Bonincontrus Diœcesanus Pōtifex, quod perstat hodie sub arce, S. Nicolai retento titulo. Medio inter *Julianam* & Clusam itinere, ad pietatem, religionem, ac vitæ austerioris instituta fovenda celebre, Minoribus Reformatis ab anno MDLVIII. Bonaventuræ Sciasciæ ejusdem ordinis laici opera attributum, S. Annæ de Nemore Monasterium, olim Eremitas excepit circa sæculi XV. initia, subindeque Observantes. Commendatur a Pirro, ascetasque perfectissimos omni ævo cultores habuit. Civicas res Magistratus a Marchione adlectus administrat; Clero Episcopi Agrigentini Vicarius jura dat. Census fuit dudum MDXCV. larium 510. & incolarum 2294. Sequētis sæculi anno LIII. lar: 697. civium 2757. Ex Pirro lar: 573. opidan: 2143. An: MDCCXIII. foc: 575. anim: 2281. & novissime 3536. Locus in Comitiis LV. & gladii potestas Dynastis conceditur; circa quorum seriem vetustam, incertam habeo notitiam. Guillelmus enim II. Ecclesiæ montis Regalis concessit enunciato superius anno cum Adragno, Comichio &c. An Carus Archiepiscopus, quem Innocentius III. Rom: Pon: redarguit, quod bona suę Ecclesię alienaret, extraneis personis in beneficium assignaverit, subdubito; Friderico enim hujus nominis II. ad Regium *Demanium* pertinebat,

nebat, ab eoque muro & arce, uti dixi, fuit opidum munitum. Anno MCCCLXXI. Fridericus III. *Guillelmo Ventimillio* cum Ciminna opido *Julianam* attribuit; Martinus vero I. *Eleonoræ Peraltæ & Aragoniæ*, Joannis Infantis filiæ, Guilelmi Peraltæ uxori, quæ *Raymundettum* Joannis filii ex pellice progenitum, anno MCCCCVII. *Julianæ*, Sambucę & Adragnę hæredem dixit. Scio ex Sicilia Nobili Clariss. Francisci Emmanuelis eumdem Martinum Regem anno MCCCXCVIII. *Joannam & Margaritam Peraltas*, Nicolai filias *Julianæ* dynastia auxisse, sed id factum putaverim ob aviæ *Eleonoræ* promerita, quam idem Princeps amitam appellat. A morte enim *Raymundetti* absque prole, *Antonius de Luna* Margaritæ Peraltæ & Artalis de Luna filius, in *Julianæ*, Sambucæ & Adragnę dominium, uti illius hæres vocatus, inductus est. Fuit ergo *Juliana* Raymundetti, nec nisi ex *Eleonoræ* donatione illam obtinuit. Jam ex *Antonio de Luna* & N. de Cardona *Carolus* prodiit, & Juliæ N. adjunctus est, quæ consumptæ dotis prætextu, post Caroli obitum, *Julianam* sibi vindicavit, eamque secundo conjugi *Carolo Aragonio* Abolę Baroni detulit. *Antonia* ex his progressa mox obtinuit. Unde ad *Antonium Cardonam*, Clusæ etiam jure matris Comitem devenit. Ex eo *Alphonsus* Rhegii, & Clusę Comes, Marchio *Julianæ* ex literis Caroli Cæsaris MDXLIII. renunciatur; *Alphonsum* excepit *Diana* filia, quę N. Ferdinandi Gonsagę Proregis filii uxor, prole caruit; *Catharina* idcirco amita post illam sufficitur, *Laurentii Joenii & Aragoniæ* conjux. Horum successores ad *Fabritium Columnam Panfilium Julianæ* hodie Marchionem alibi dedi de Aydone loquens.


Julianensis ager, uti ex Adria dictum, fœcundi-

tate præcipuus est; auri, argenti & ferri venas claudit; lapides Achates, Jaspides, Porphyrites variè coloratos ubique exhibet. Illustres viri: Placidus Castagneda Patre Hispano, Julianensis ortu, S. Mariæ de Nemore Calatamauri Abbas perpetuus, vir multis virtutibus, sed prudentia & in rebus gerendis dexteritate in primis præditus, de quo in meis Notitiis Monasticis. Ut situm de Nemore Congregationi montis Oliveti uniretur anno MCCCCXCI. obtinuit. Olympius ejusdem Cœnobii & Ordinis Abbas, a doctrina & pietate commendatus; floruit circa sæculi XVI. finem. Ortum, progressus, Privilegia sui S. Mariæ de Nemore Monasterii descripsit. A Mongitore idcirco, & in Apparatu ad Siculos Annales merito laudatus. Fuisse Siculæ Provinciæ etiam Visitator. Philippus Marinus scientia & incorruptis moribus præditus, Agrigentinus fuit Canonicus & Generalis Diœcesis ejusdem Visitator. Leonardus Olivetanus Monachus & Abbas, Julianensis SS. Trinitatis Monasterii anno MDCXLVII. promotor, suis pluries cum gloria præfuit. Cherubinus Cavallini eadem dignitate claruit, Nemoris, & Julianense Monasterium ad plures annos laudabiliter rexit. Josephus Ragusa Societatis Jesu, Panormitani Collegii Rector, quem ab ingenii eminentia & singulari in rebus sacris peritia Pirrus, Mongitore, Labens, aliique extollunt. Philosophiam Parisiis tradidit, Theologiam Patavii, Messanæ & Panormi; ubique hinc doctrinæ radiis inclaruit. Edidit duobus tomis in III. Partem Summæ Divi Thomæ Commentaria, aliaque Theologica opera msta reliquit. *Juliane* latitudo est grad: XXXVII. XL. longitudo gradium XXXVI. L.

ISBURUS Amnis, hodie Calatabellotta, quem Ptolemæus, & Plinius in ora meridionali memorant, quamvis

quamvis ille in designando hostio post Heracleam duo alia prætermittat. Fazellus Mayhasolum *Isburum* esse affirmat, illumque Calatabellottę Sosium; Sed Cluverio deferendum, Sosium Marsalę amnem, *Isburum* Calatabellottę esse adstruenti. Caput habet ad Prizium opidum ex fonte, cui Labro est nomen. Hinc sub Palatio Hadriano hujus aquas excipit, interque angustas montium rupes dilabens, ad sinistram Acristiam, Burgium, & Villam francam, ad dexteram Busachinum, Clusam, S. Annam & Julianam relinquit, quorum fontibus augetur. Mox fluvius illi adjungitur e fonte maximo *Favara* sub Calatabellotta ad ortum oriundus, quem affluentissimum, ac perjucundum vocat idem Fazellus. Per aliquot inde ambages dilapsus Triocalam & Misilicassinum præfluens, tandem in mari se exonerat post Mayhasolis, seu Albę fluminis ostium.






KACCABE, Cartago Sicula, sive Caccabus juxta Invegium, de quo apud Stephanum fit mentio.

KALCHES vetus opidum, ex Pirro Carcacis, sed rectius ex Invegio Caccabus, de quo jam dixi.

KEMONIUS Fluvius. Vide Canizzarus. Oritur in agro Panormitano sub Parco. Sarracenis *Kemonium*, Latinis *Torrens* sonat.



LA-



ABICA Casale, quod hodie jacet. Vide *Abica*.

LABRUM Fons Itburi amnis sub Pritio.

LABODÆ AQUÆ, aliter Selinuntinæ. Vide *Aquæ*.

LALENUSA Insula inter Siciliam & Africam prorsus deserta. Est de Pelagiis una.

LALIA Opidulum. Consule *Alia*

LAMPEDUSA Insula, Plinio, Straboni, & Ptolemæo *Lopadusa*, aliisque varia literarum vocalium mutatione diversimode appellata, ex tribus Pelagiis inter Siciliam, & Africam jacentibus major est, ac celebrior. Sitam ex Appiano volunt ad longitudinis grad: xxxix. & latitudinis xxxiii. Sed quo ad longitudinem, juxta primi meridiani locationem, discrepant Geographi; Est autem ambitus pass: m. x. licet ad xii. Fazellus extendat, & ad xv. nonnulli ex recentioribus. Deserta omnino squallet, sed rudera, ædificiorumque ruinę aliquando cultoribus non caruisse demonstrant, & in tumulo, qui majori imminet sinui, veteris arcis non levia monumenta perdurant quam *Orlandi Turrim* vocant. Abela ex veteri detecta inscriptione Arcis authorem Bartholomæum de Marsala Navarcum fuisse protulit, & in utroque lapidis inscripti latere scuta quinis signata montibus se vidisse testatus est, Insulæ solum circa orientem planum & humile, aliis vero ex plagis rupibus asperum; atque ad occasum immanibus saxis elatum, quæ pro speculis habentur; acutis hinc scopulis, & alicubi inaccessis littus naves arcet; sed sinus aliquot nihilominus aperit: *Petanum* scilicet ad Africum; *Ab Aquis* in hybernum occasum; *Dra-*

Drepani, & *Deiparæ* circa ortum. Primus biremium capax solummodo, Navibus alter majoribus patet, quæ aquatum eo appellunt; puteos tertius habet; quarto demum ædicula Virginis Matris cum simulacris ejusdem e marmore perpulchris vocabulum appinxit. Quod portum ad Africum habeat ventibus immotum, & classis cujusque capacem, uti Arabs Geographus evulgat, nullimode procedit.

Crypta, sive Virginis ædicula ex vivo lapide binas in ara illius exhibens statuas, innumeris prodidigiis etiam erga Mauros inclarescit, cui porta in septentriones, fenestra ad occidentem patent, sed ara in ortum & meridiem respicit. Ex hac crypta in aliam est aditus, ubi Turcæ suum venerantur pseudo prophetam. Donariis Nautæ cujusque nationis Deiparam honorant; cibarias scilicet res, pecunias, nec levi summa, oleumque ad lampadem incendendam ex voto offerunt. Commeatum indiga navis sibi vindicans, argento redimit. Ubi argenti summa creverit, Melitenses triremes illam religiose Drepanum deportant, & in Deiparę templo deponunt, ad hujus cultum augendũ. Nullus porro unquam alius ausit argentum, aut quid aliud e loco auferre. Sacrilegos enim aliquando ultio divina excepit. In cryptę atrio fons aquæ salutaris emergit. Custos aliquando Eremita ibi deguit, an hodie aliquis adsit, me nescire fateor. Occuparunt Sarraceni Insulam sæculi novi anno XIII. quos Gregorius Græcorum Talassiarcha inde expulit. Magnus Carolus Cæsar subinde pugna contra barbaros circa illam conserta, primo impetu septem amisit naves; mox instaurato bello, victor ex illis evasit, & insula potitus Leonis Rom: Pont: Epistolam accepit, in qua hic victoriam gratulatus, gratias Cæsari rependit. Alterius

Ca-

sed & numismata, fictilia vasa, inscriptos lapides, urnasque & tumulos non longe coloni effodiunt. Tenuit primus *Landrum* a Belici disjunctum *Joannes Bonamicus* anno MDXCVII. cujus filiam & hæredem *Antonium Petrus Orlandus Squillus* uxorem duxit cum *Landri* dote, unde hodiernus *Petrus*, Baro cum jure gladii, originem habet.

LAPADUSA. Consule *Lampedusa* Insula. Aliis est *Lapadusa*; ac forte rectius, sic enim Plinio, Straboni, Ptolemæo, uti dixi.

S. LAURENTIUS Opidulum, aliter *Citta*, in Drepanensi ditione anno MDXVII. ortum habuit, *Jacobi de Fardella* S. Juliani Baronis opera, & Caroli V. Cæsaris indultu. Ex *Jacobo Gaspar*, unde *Jacobus* II. & ex eo *Gaspar* II. omnes in patria Drepano primis muneribus functi, hicque postremus Proregis etiam Vicarius fulsit; genuitque *Placidum* Mariæ Teresiæ Pacecco ex Marchionibus Villenę maritum. Hic *S. Laurentii* Marchio ex literis Philippi III. MDCVI. primus renunciatur, XII. Regni Vir, Proregis vices gessit, hęredemque ex se natum *Joannem Franciscum* dixit, qui cum Topatia Gaetano *Placidum* II. sub ipsa juventute fato functū, binasque fœminas reliquit filias Mariam & Antoniam. Sed *Emmanuel* avunculus Alcantarę Eques, *Placidi* I. secundo loco genitus, pręferri postulavit & obtinuit; obiitque improles; hinc Neptis *Maria* Aloysio Sanseverino jam dudum desponsata sufficitur, ex quibus *Josephus Leopoldus*, *Aloysii* & *Nicolai* pater. Cessit *Aloysius* favore fratris bonis in Siciliæ; *Nicolaus* propterea, peditum Tribunus in Regio exercitu, anno MDCCLII. uti *S. Laurentii* Marchio authoramentum pręstitit. Merum, mixtumque habet imperium & loco XVIII. Comitiis interest. Jam unica parochia-

lis Ecclesia sub Archipresbyteri cura, S. Laurentio sacra effulget. Marchionis domus elegans consurgit; lares opidanorum descriptæ Pirri ævo 92. animæ 234. quæ paullo ante fuerant in censu 68. & 197. Decurrenti vero sæculo foci 122. incolę 418. & hodie 732.

LEGUM Opidum vetus, quod Fazellus Siculorum appellat, atque ex Thucydide in agris Netinæ Vallis olim stetisse affirmat. Cluverius vero ex Ptolemæo supra Belicem amnem, sive Hypsam forte locatum affirmat. Ejus hęc sunt verba lib. 2. cap. 12. *Proximè Elcethium*, quod, ubi Castrum Veteranum est hodie, sedebat ad ejus mentem, *eidem Ptolemæo versus ortum locatur opidum Legum; id forte fuerit opidum, quod eodem tractu vulgo nunc vocatur Mocharsa*, de qua infra loquar.

LEOCATA Civitas Regia, aliter *Alicata*; *Dilecta* titulo in Siculis tabulis agnita; Himeræ meridionalis, vulgo Salsi fluminis dexteram ripam, in promontorio, quod in ingentem editumque desinit scopulum, circa collis radices, ubi olim Phintia, australe Siciliæ latus occupat, ac inter primas insulæ computatur, nonumque supra decimum in Comitiis locum tenet, laribus 3696. incolisque hodie 10960. instruitur, & Comarchię caput est. Ejus mentio, quum primis Northmannorum temporibus, sub Castri *Limpiados* nomine, *quod est Licata*, eluceat, quod Sarracenis Siciliam occupantibus, instaurata illa fuerit, clarissime evincit; sed præcisum aliquid, certumque nequit statui. Crevit quidem, & sæculo XIII. ineunte frequens satis habebatur; hinc ejusdem anno XX. martyrium S. Angelus fecit in sui hodie Carmelitici ordinis Ecclesia. Anno MDLIII. Turcarum classis direptam, incensamque *Leocatam* ultima clade affecit. Sub Philippo hujus

no-

nominis IV. cessit ad biennium peculiari dynastę, qui ejus in Regium ærarium intulerat pretium; sed ad Demanium mox revocata, Decurionum IV. Syndici, & Ducis ad arma, uti appellant, curę denuo commissa, in dies augetur. Focos enim sub Carolo V. 1436. numerabat; hinc anno MDXCV. 1715. & animas 7229. post Turcarum scilicet excidium; mox insequentis sęculi medio totidem circiter fovebat, censum licet hunc Pirrus aliquanto diminutum referat. Verum anno MDCCXIII. descriptos lego cives 9209. ac novissime, uti dixi, 10960. quos inter ingenuę familiæ complures recensentur, Equestribusque ordinibus adscripti. Suum denique Stemma *Leccata* pręfert, quattuor nempe turres muro impositas.

Mœnibus, propugnaculis, ac triplici arce civitas munitur. Ad extremum namque promontorium S. Jacobi castrum rupi fluctibus percussæ insidet, operibusque, forcipis instar, qua urbem respicit, instruitur; duo hinc propugnacula *Aguesa*, & *Medis Casalis* oram maritimam custodiunt. Ad angulum contra aquilonem & ortum turris a *Terra Giretta*; ad occasum Arx nova in leniter elato assurgit solo. Portę *Aguesa* una, circa eamdem plagam, unde ad proximum frumenti emporium est iter, sub propugnaculo cognomine. Huic ab opposito altera ad maris stationem ducit; tertia *Nova* ortum respicit & fluminis ostium; In aquilonem quarta a S. Angelo; & per quintã, quę Magna appellatur, frequens ultro citroque civibus ad Suburbium est aditus. Est hoc amplissimum, & muratum exęquat opidum, cui S. Angeli Castellum in tumulo ad occidentem imminet, D. passibus dissitum, dividiturque in S. Antonii, & S. Pauli regiones laxiori via, quę S. Angeli portæ respondet. Majus parochiale templum

a porta maritima haud procul circa meridiem & ortum, Gothicum, uti vocant, præsefert cultum, sed conspicuum, Deiparæ Virgini de *Neve* addicitur, & canonico Collegio, ex xxx. alumnis coalescente, quibus est Archipresbyter præpositus, cohonestatur. Illi subjacet in suburbio occidentali S. Pauli, ubi sacris administrandis operam navant deputati Sacerdotes; olim in S. Antonio etiam eadem vigebat, *Pirro* teste, facultas, sed Vincentii Bonincontri Episcopi diœcesani jussu abrogata.

Fratres de Monte Carmelo ad III. ab urbe lapidem, S. Mariæ Annunciatæ, ineunte XIII. sæculo, Cœnobium sibi condidere, quod suo incolatu S. Angelus, Jerosolymis in Siciliam delatus, IV. elapsis ejusdem sæculi lustris nobilitavit. Id fuit extra mœnia subinde translatum, & magnificentissime extructum ad extremam suburbii S. Antonii aquilonarem oram; Tholo prospectu, & æris campani turribus Ecclesia, peristylio & monachorum ædibus claustra concinnata. Aliud porro ejusdem ordinis intra mœnia exurgit, S. Angeli titulo nunc decoratum, ubi olim vetus fuit Ecclesia SS. Philippi & Jacobi Apostolorum juxta mare. In hac quippe S. martyr, dum Verbi Dei prædicationi intentus, in vitia inveheretur, ab adultero Berengario quinquies pugione percussus, gloriose occubuit, cujus exanime sacrum corpus eo illatum, ad hæc nostra tempora præcipuo colitur honore, argentea theca inclusum. Fons quoque ostenditur, *S. Angeli puteus* appellatus, ad sepulchri locum. De hac Ecclesia diu decertatum inter Carmelitas, & sæculares Sacerdotes, variaque Rom: Pont: decreta inde emanarunt. Possident hodie illam Monachi, ubi sollemnis ejusdem S. Martyris dies festus XVI. Augusti celebratur, tota in Patro-

num

num cultu præcipuo honorandum effusa urbe, ac nundinis institutis. Minorum Conventualium ædes est antiquissima ex Pirro, ab anno scilicet MCCCXVIII. sed ea collapsa, Baltassaris Milatii opera, nova, ac celeberrima, prope S. Angeli instauratur, & undique ædificiis concinnatur. Observantes in S. Gregorii olim ad M. passus MDLXXXIX. coaluerut; sed S. Mariæ de Jesu titulo assumpto, humiles primum, edito in loco pro mœnibus ad occasum, mox decentissimas ædes instituerunt MDCXXII. Dominicanis in Suburbii centro elapsi sæculi anno XVIII. locus obvenit, & S. Antonii Ecclesia, dudū parochialis Vincentii Bonincontri Episcopi largitione cessit, quam novis elegantibus ædificiis illi concinnarunt. In tumulo ad occiduas oras Minores Capuccini S. Michaelis pass. DCCC. dissitam ædem colunt ab anno MDLXXII. Erat sub S. Augustini institutis in monte cœnobium, quod hodie ex ruinis cognoscitur. Sanctimonialium denique vetus conclave S. Benedicti ordinem, Cistercienses tamen constitutiones profitentium fulget, sub S. Mariæ de Auxilio auspiciis, quod anno MDCXXXVI. Josephi Serravillæ opera, ac divitiis auctum, ad S. Andreæ ædem translatum, circa ortum, contra S. Angeli Ecclesiam, proximi littoris prospectu gaudet.

Ad Virgines puellas parentibus orbatas excipiendas sæpius laudatus Episcopus Bonincontrus anno MDCXCVI. ex bonis Michaelis de Tauromeno *Leocatensis* civis, Agrigentini Canonici claustrum constituit: S. Mariæ Collegium ad sequioris sexus institutionem paucis ab hinc fundatum viget. Pauperibus ægrotis Hospitium aperitur, S. Jacobi Apostoli sodalibus accurantibus, Prioratui S. Jacobi de Altopasso adnexum. Incurabilibus morbis vexatos aliud quoque excipit mi-

nus

mus celebre anno MDCXL. Bonaventuræ Murchii opibus excitatum; Mons Pietatis in S. Salvatoris, Sociis Dealbatis committitur. Hisce filiales Ecclesiæ x. aliæ accensentur, ubi laicorum sodalitia constituta. Pirrus S. Mariæ de Sambuca collapsum hodie, sed vetustissimum Benedictinum Monasterium memorat, ad IV. ab urbe lapidem, quod S. Joannis de Eremitis Panormi Abbatiç adnexum, olim Guillelmus II. Rex voluit. Privatorum domicilia per urbis ambitum decentissima. Forum ad S. Angeli portam satis laxum, ubi ad magistratus cogendos Prætorium assurgit. In Alphonsi Rois S. Stephani dynastæ ædibus tabula asservatur his notata: *Cæsaribus. Sacrum. L. Cælius. M. F. Quadratus D. S. P.* In Arcis S. Jacobi inpluvio alta Inscriptio, Geloorum psephisma a Maffeio appellatum, ubi Senatus decretum pro Heraclidis Gymnasii curatoris & ejusdem Epheborum coronatione publicis literis consignatur, quod Eruditissimus Pizzolante ære insculptum cum figuris exhibuit.

Sed hujus Epigraphæ occasione, illud hic recurreret brevissime examinandum: An vetus nempe Gela, in tumulo, qui *Leocatæ* imminet, olim steterit. Phintiam Ego ibi locando, injurius tantæ civitati haud sum; Hæc enim nulli alteri ex antiquis insulę decedit, & ex Phintia *Leocatam* surrexisse asserendo, non est hujus honori quidpiam detrahere; laudatus Pizzolante Cluverii convellere nititur argumenta, optima quidem methodo, & concinna; sed an ęque feliciter, decernant alii. Satis in Notis ad Fazellum, & hic de Terranova scribens, rem expendisse videor. *Leocatæ* ager omnia prębet ad vitæ necessitates, commoda, & delicias; fruges hinc copiosę, in nobili publico Emporio exposité, extra insulam deportantur, alienasque

nasque provincias ditant. Sedet *Leocata* ad longitudinis gradum XXXVII. XXX. latitudinis XXXVII. Jure gladii destituitur.

Viros celebres ac illustres omni ævo edidit, quorum hic est Catalogus: Berengarius Pucella Archidiaconus primum, mox Agrigentinus Episcopus circa sæculi XIV. finem. Josephus M. Thomasius, Clericus Regularis, doctrina, vitæque sanctimonia illustrissimus, S. R. E. Cardinalis, cujus ingenii monumenta pluribus tomis novissime edita; virtutes, ac gesta sub examine Romæ in Sacra *Rota*, uti ajunt, diebus hisce perstant. Aloysius Lanusa Societ: Jesu Sacerdos, Apostolicus vir, morum sanctitate, & miraculorum gloria commendatus, cujus etiam vitæ Historiam, ac illustria facinora in eadem Sacra *Rota* proximè discutienda, affirmant. Petrus Thomas Sanchez ordinis Montis Carmeli, vir doctus, Cleri Romani Examinator, in Sapientiæ Academia professor, ad supremum evectus gradum Generalis MDCCX. quem gloriose tenuit. Gaspar Pizzolante humanis ac divinis literis instructissimus, Studiorum apud suos Romæ summus Moderator, ad ordinis generale regimen assumptus MDCCXXII. quo expleto Cerviensis Episcopus renunciatur. Scripsit de *Veteri Gela* librum eruditis probatum. Bonaventura Murchius ingenii acumine, & virtutum præstantia clarus; Medicinam professus egris sine stipe ministravit; in pauperes profusus, non semel propriis se vestibus, ut nudos operiret, spoliavit. Orationis studio intentus, miris a Deo beneficiis affici meruit. Palmæ novi Eremitici instituti author, quod Alexander VII. Rom: Pont: probavit, se suosque divinissimæ Eucharistiæ cultui addixit. Ibidem MDCLXXII. piissime e vivis sublatus, magnam de

se

se opinionem reliquit. Laudantur in Sicula Bibliotheca Jacobus Lalomia Ordinis Carmel: in Senensi, Patavino, & Florentino Lyceis publicus Theologię professor, & Ecclesiastes egregius; Aloysius, & Antonius Serovita Minores Conventuales, sacra eloquentia insignes, Franciscus Barberinus Benici Mathematicus eruditus; Didacus Ferula, Franciscus Blundus, Petrus Ancllus, & Petrus Paulus Sicolonus Poetæ eruditissimi, qui omnes ingenii monimentis luci traditis, locum inter Scriptores meruerunt.

De Emporio *Leocatensi*, tota in hac ora celebratissimo, quod post urbem, occasum versus subrigitur, ac horreis amplissimis, officinis, multisque ad naves onerandas commodis instruitur, jam dixi. De Salso fluvio inferius reddam.

LERCARA Opidum, aliter *Alcara de Friddis*, de qua egi, majoremque ejus Ecclesiam Deiparę sub titulo de Rosario dicatam, ab anno MDCCLL erectam dixi. Verum, uti audio, est illa eidem Virgini, sub nomenclatura de *Nive* sacra. Virgo Rosarii uti Patrona colitur, ac propriam habet ædem. Prope S. Joseph Mariæ Collegium nuper fundatum est. *Leonellum* denique *Lercarum* agri post *Villalbas* dominum nomen indidisse accepi.

LESINELLUS Insula exigua, aliis Asinellus, non longe a littore, ubi S. Juliani turris, inter Drepani portum, & Bonagiæ stationem; deserta est, atque ex Orlandino ab acutissimis scopulis, quibus tota pene constat, velut subulis appellatur; nam subula vulgi vocabulo *Lesina*.

LEVANSUS Insula, Veteribus *Phorbantia* contra Drepanū pass. M. X. objacet in occiduo Siciliç mari, habetque in ambitu pass. M. VIII. Nota est Ptolemęo.
Pli-

Plinius *Bucinnam* lib: 3. cap: 8. appellat. Stephani Epitomator levi lapsu Siciliæ urbem dicit *Bucinnam*. Ex Ægadibus porro una est littori proximior, altisque scopulis erecta, sed pascuis nihilominus abundans; *Phorbantia* hinc a vaccis, & armentis, ac *Bucinna* a bobus nomen illi obvenisse tradit Cluverius; arbustis quoque referta videtur, nec sinibus caret, nautis notissimis. Fazellus a continenti xii. pass: m. dissitam vulgavit, sed ex Vigintimillio, uti dixi, x i. numerantur. *Levanfi* Dominos vide ubi de *Hiera*, seu *Maretimo*.

LIBIGINIS Casale in Agrigentino territorio, ad *Montrapertos*, Aragonensium Regum temporibus, spectans. *Antonius de Ponte* nov. ex Capibrevio *Libiginis* agri erat dominus; Casale hinc defecerat; sed facultatem *Antonius* congregandi homines impetravit.

LILIUM Opidulum in Panormitana ditione sub Monte Regali ad ortum hibernum, ubi papiraceę officinę. Condidit, incolasque collegit *Blasius Spucches*, Præses, Jurisprudentia, animi magnitudine, dexteritate in rebus gerendis, aliisque virtutibus clarissimus, moriensque *Marco Spucches* fratris filio reliquit. Parochialis ædes S. Josepho sacra; foci 90. numerantur, animæ 300.

LILYBÆUM ex tribus primariis Siciliæ promontoriis unum in occasum, vulgo *Caput Bocum*, ex quo tertium insulæ latus sumit initia ad occidentem & aquilonem, ubi & meridianum desinit, planum, atque depressum, & ad iii. pass: m. sub undis tectum, seu subaquaneum protenditur. Improprié hinc *Promontorium* appellatur, quod altis rupibus, scopulisque eminere solet, uti Cluverius admonet. Optime vero Virgilius Æneid lib: 3. canit: *Vada dura lego saxis Lilybeja cæcis*, quod sub undis cęca ejus sint

vada, ac dura. Memoratur omnibus pene Scriptoribus, qui de Sicilia loquuntur, cum Poetis, tum Historicis, & Geographis, quorum habes apud eumdem Cluverium testimonia. Meminit Majolus Collat. 13. Fontis ad *Lilybæum* promontorium, qui nec augetur aliis aquis affluentibus, nec minuitur haustis, ablatisque.

LILYBÆUM Opidum vetus, ac celeberrimum, quod Polybius lib. 1. his verbis describit: *Tertium insulę promontorium vocatur Lilybæum. In hoc urbs sita est ejusdem cum ipso loco appellationis. Eam tunc Romani obsidebant, muris egregie munitam, atque in circuitu lata fossa, & aquis e mari restagnantibus, per quos potest ad portum introitus, peritia usuque opus habent.* Fossam testatur Diodorus lib: 23. latitudinis cubitorum lx. altitudinis xl. extitisse; hinc alibi inexpugnabilem urbem appellat lib: 26. ac decennio a Romanis obsessam tradit, tandemque vi summa captam. De Origine idem Historicus lib: 22. habet: *Lilybæum opidum a Carthaginiensibus conditum fuit, postquam Dionysius tyrannus Motyam Carthaginiensium expugnaverat; congregatos quippe, quos ex illo reliquos fecerat excidium, Lilybæi collocaverant.* Quę sane verba haud quidem de primo urbis conditu intelligenda, sed de nova inducta in eam ex reliquiis Motyensibus colonia; alibi quippe idem scripserat: Olympiade lxxxi. bellum inter Ægestanos & Lilybetanos exortum esse super agro ad Mazarum fluvium sito. Motyam autem Dionysius vastavit, Olympiade xcv. De amplitudine testatur Cicero Verr. v. qui *Lilybæum splendidissimam civitatem* appellat. In Romano autem Itinerario, seu Tabula primariæ urbis signum vocabulo ejus apponitur. De Nomine idem laudatus Diodorus lib: 13. *Prius nomen Lilybæo erat; sed multis post*

annis

ovalis oppidi juxta conditi nominis causam prebuit. At unde Puteo, in Sybillę antro, *Lilybæi* vocabulum appictum, Historicus non aperit. A voce Punica *Lelub* idest ad *Libyam*, cętero derivatum, vel ab alia *Lilybæ*, nempe ad *Libes* plures tradunt; in Libyam enim nostrum respicit Promontorium.

De Lilybæi denique portu passim veteres loquuntur, quorum congerit testimonia Cluverius. Naturæ opus tutissimum, atque amplissimum vocat Fazellus, ad quem, quia per stagna, quæ nostra etiamnum ętate ante urbem, quà mari alluitur, apparent, navigantibus iter patet, difficilis admodum olim, ejus erat ingressus, nec nisi a peritis, expertisque tentandus, uti ex Polybio vidimus. Fauces ejus hodie, jactis in profundum molibus, obstructę, parvis navibus tantum excipiendis patent. Diversis quippe temporibus occlusę sunt ab Romanis bello Punico I. & II. Sed maris impetu aggestionibus dissolutis, rursus frequens, perviusque navibus portus evasit. Faucium hinc ejus obstructio, quam spectamus, perperam Romanis ab Aretio & Fazello adscribitur, uti Cluverius advertit, Jussu enim Caroli V. anno MDXXXVI. pręscripta, a Carolo Aragonio Regis locum tenente MDLXXXII. ut tuta ab Afrorum incursionibus illa Siciliæ ora redderetur, fuit tandem absoluta.

Uti porro pręcipua Carthaginiensium arx, & eorum ditionis veluti metropolis fuit in Sicilia, sic florente Romana Republica, quum in duas divisam provincias juxta nonnullos insulam Senatus voluisset, Syracusanam unam, alteram vero Lilybetanam statuit. Tanti enim populus ille Lilybæum faciebat, uti amplissimę Syracusarum urbi veluti æquaret, & hanc meridionalibus, *Libyęum* sitis ad aquilonem provinciis,

caput constitueret. Id sane omnibus inconcussum: ctū Syracusis, tum Lilybæi Quæstores ab Romanis saltem fuisse ordinatos, ad Reipublicæ ærarium curandum. Cętero, quę afferuntur ex Gualterio antiqua epigrammata Lilybæum Municipium, Coloniam Augustam, ac XII. Tribubus conflatum opidum manifestant, quarum una Jovi dicata; Correctorem insuper Siculę provinciæ, ac Proconsulem ibi perstitisse affirmant. Christianis temporibus sedes in eo Episcopalis fuit constituta. Sed Sarracenis subinde quum cessisset, labefactatum, angustiorem situm occupavit, & *Marsala* nomen obtinuit a portu, quem illi *Marsam* appellant, quasi *Portum Dei*: Spectantur hinc septentrionem & occasum versus, veteris urbis mœnia diruta, fossa, aquæductuum, aliorumque ędificiorum monumenta, quę inter solum marmoreum stratum tabulis Fazellus commendat. Refert Gualterius veteres inscriptiones complures, quę hodie supersunt variis in locis, & hic exscribere operę pretium foret, uti idem author eas concinnavit. Sed properantem nimiū morarentur. Unam produco in cippo porphyritico, quę habet: *Fines. Inter. Vandalos. Et. Gothos. Mil. IIII.* Tunc terminasse columnam hanc fines Vandalorum, ac Gothorum putat idem Gualterius, quum Valentinianus III. Joanne Tyranno trucidato, cum Genserico Vandalorum Rege, qui Siciliam invaserat, pacem fecit: Extant ad *Lilybæū* spectantes inter Mazarę tabulas ejusdem Gualterii, bases duę, in quarum una *Coloniæ Heliæ Augustæ Lilybæum* donatur titulo; in altera *Lucio Amatio Populus Lilybætanus* locum publicum designat. Apud Parutam denique tria ex ære exhibentur numismata, cum Apollinis capite, Lyra, Tripode, & Gryphe rotam sinistro ungue tenente; Quæ sane symbola ad Apolli-

nem

nem spectantia, falso huic numini *Lilybaeum* praesertim addictum evincunt. Inscriptio in singulis est ΛΙΛΥΒΑΙΙΤΑΝ.

Viri denique clarissimi Lilybaetani memorantur S. Gregorius Episcopus & martyr sub Diocletiano & Maximiano Principibus. Paschasinus quoque patriae Pontifex, vitae sanctitate, & scientia celeberrimus, cujus opera S. Leo I. Rom: Pont: usus est, ac literas ad eum misit, accepitque unam praecipue, de Paschalis Festi supputatione; nedum enim sacris, sed humanis etiam literis florebat. Egit idem ad Chalcedonense Concilium Leonis Legatum, ubi Eutychetem & Dioscorum cum aliis Patribus damnavit, primusque inter omnes subscripsit, ac strenue Graecis Episcopis sese opposuit. S. Cirillo, aliisque magni nominis viris familiaris vixit. Vandalis Duce Genserico Siciliam vastantibus, Paschasinus inter captivos diu durissime dies traduxit, & forte etiam in vinculis mortem oppetiit. Illum laudant quotquot de Scriptoribus Ecclesiasticis indices texerunt: Tritemius, S. Isidorus, Bellarminus, Cave, & ex nostris Cajetanus, Pirrus, Mongitore. Theodorus Episcopus Gregorii Magni tempore, & Decius Forensis, qui teste eodem Gregorio raptus veluti a suo Clero ad Cathedram fuit. Sub quo Adeodata nobilis foemina sacrarum virginum condidit Monasterium S. Petro Apostolo aliisque Sanctis Martyribus dicatum; cujus templum, Gregorii jussu, Decius sacro linivit oleo. Ad hanc idem S. Pontifex scripsit, sacrasque reliquias transmisit. Elias demum, qui Lateranensis Synodi decreto subscripsit, & Theophanes, qui Nicenę interfuit, Lilybętanam rexisse Ecclesiam perhibentur. Omitto eos illustres cives, quorum extat memoria in Tabulis relatis, atque ex Eth-

nicis

nicu Chrysagorium virum nobilissimum recenseo, cujus rogatu Porphyrius Philosophus Isagogem ad libros Perhiermenias Aristotelis composuit. Probum doctissimum, disertumque inter sui ævi sophistas, cujus cognoscendi gratia Porphyrius *Lilybæum* venit, ac diu, ut Probi doctrina frueretur, ibidem versatus est, uti in vita Platonis Porphyrius idem testatur. Sibyllam, quam Cumanam perperam dicunt, quum Sicula, & forte *Lilybætana* fuerit. Hanc veteres superstitionibus dediti veluti Prophetissam habebant, illaque e suo antro, ubi puteus, carmina eis venditabat, futura singulis edicentia, de cujus antro alibi dixi. Strabum denique, veteribus notum scriptoribus ob perfectissimã oculorum aciem; nam classem e Carthaginensi portu solventem in tumulo parum elato prope Lilybæum conspicabatur, navium numerum, velorumque seriem dinumerabat. Atque hæc de *Lilybæo*, hodie *Marsala*, de qua inferius; hoc quippe nomine cum in Regiis libris, tum omnium ore venit. De Puteo Sibyllæ ad *Lilybæum* suo loco.

LIMPIADOS Castrum, ubi fines Syracusanæ Ecclesiasticæ provinciæ ad oram australem, littusque Libyci maris in vetustis Siculis cartis decernuntur, in quibus dicitur passim: *Castrum Limpiados, quod est Cathe*. Et in earum una: *Castrum Limpiados, quod est Licate*; uti paullo superius adverti. Perperam ad sinistram Salsi fluminis nonnulli statuunt, atque ad Syracusanam diœcesim spectasse id castrum putant.

LINDII. Thucydes lib: 6. *Gelam Antiphemus e Rhodo, & Entimus e Creta suam uterque coloniam ducentes pariter condiderunt, anno XLV. post Syracusas habitari cœptas; imposito a flumine Gela urbi nomine; quam locus, ubi nunc urbs sita est, quique primum mu-*

munitas muro fuit, Lindii vocaretur. Ex his Fazellus & Cluverius eruunt: Antiphemum Rhodium e *Lindo*, Rhodi insulæ urbe metropoli, colonis eductis, ab suæ patriæ nomine novam in Sicilia civitatem *Lindam* appellatam voluisse, paulloque post Entimo Cretensi adveniente cum suis, & in societatem recepto, aucta colonia, communi voto, urbem in meliorem formam redactam a proximo Gelæ flumine nuncupasse. Gelæ hinc conditores *Lindios* vocavit Erodotus lib: 7. laudatusque Thucydides suam utramque coloniam duxisse perhibet. Licet novissime Carolus Pizzolante in suo de Antiqua Gela eruditissimo opere aut Siculos, aut Sicanos, aut denique Cretenses, post Regis sui Minoe apud Cocali Regiam internecionem, per insulam profugos, vagosque *Lindii* authores evulget.

LOCARICUM, sive *Longaricum* vetus opidum in Antonini Itinerario memoratum, e regione fuit Aquarum Segestanarum in mediterraneis, juxta Cluverium, qui ex perscriptis in Itinerario spatiis rem evincere putat. *Est opidum*, inquiens, *III. haud amplius ab dictis Aquis millia pass: distans, vulgari vocabulo, Calatafimi, a quo haud procul ingentis templi antiqui columnæ etiam nunc erectæ conspiciuntur. His vero templi veteris reliquiis mons imminet, vulgo S. Bonifacii cognominatus, in cujus vertice urbis veteris dirutæ visuntur reliquiæ. Hæ igitur ruinæ esse antiqui illius opidi Longarici situm indicat*. Alibi de Bonifato, seu S. Bonifacii monte loquens, hæc rudera Alcami veteris a Sarracenis extructi fuisse indicavi. Sed Sarracenos antiqui *Longarici* ruinis Alcamum imposuisse nihil equidem vetat affirmare.

LOCUS AD OLIVAM. Consule *Oliva*,

LUCCA Opidulum novæ originis in agro *Calla*, juris

juris illustrissimæ gentis de *Perollo* olim, ad Albæ fluminis, vulgo *Mabyasoli* dexteram ripam, in solo leniter declivi, circa ortum, *Francisci Lucchesii* opera anno MDCXX. conditum, & Marchionatus insignibus quadriennio post decoratum. *Calle* feudum ob ductam in uxorem *Franciscam Perollo*, bonorum familiæ heredem, *Lucchesius* obtinuit, nomenque Luccæ, seu Lucæ opido appinxit ab urbe Luca, unde progeniem trahebat. Majori porro Ecclesiæ Deiparæ Immaculati Conceptus titulus obvenit, quam hodie Archipresbyter, cum aliis subiectis ædibus IV. sub Agrigentini Episcopi inspectione administrat. Census Pirri ætate lares 48. incolas 189. designavit; anno autem MDCCXIII. focos 233. incolas 740. qui nuper 1715. sunt numerati. Gaudet Marchio gladii potestate, votumque in Comitiis profert XXXI. ac Magistratus designat. Possidet hodie *Hieronymus Filingerius & de Joanne* Tribunus Equitum, jure uxoris Blancæ Farina & Raymundettæ S. Martini, & Fabricæ dux, ex quibus Alexander filius extat. *Franciscus* enim fundator absque prole decedens uxorem dominam reliquit, quę secundis etiam nuptiis sterilis, fato interpellata, novo Societatis Jesu Panormitano Collegio legavit. Anno MDCXLI. *Luccam* ex commutatione cum aliis feudis *Lauro Bononia & Platamone* assecuta, Hieronymo Filingerio seniori nupta, huic Marchionatum detulit, Unde *Alexander* primus Cutodii Princeps; Quem *Hieronymus II.* & hunc *Alexander* in vivis agens excepit. Filio *Hieronymo Alexander* dynastias resignavit, sed administrationem retinuit. Ager fœcundissimus, laxior, aquisque irriguus, colonorum laboribus abunde respondet.

LY.

LYCUS Amnis, *Halycus* nonnullis ex veteribus, & *Platanis* hodie, inter immania Siciliæ flumina connumeratus, pro mœnibus celebris urbis Heracleæ ostium aperit, ac mare ingreditur. Celebratur Historicis, quod Syracusanis & Pœnis pro imperii limite fuerit a Timoleonte designatus. Ad Sinistram Heracleæ rudera, *Bissentia* hodie ab accolis dicta, habet ad jactum lapidis; subestque illi ampla planities ab ædicula S. Petri appellata, culturæ idonea, & aquis fluvialibus irrigua. De Lyci fontibus alibi erit sermo sub titulo *Platani*.





ACA LUBIS parvi sulphurei gurgites sunt ad pass: m. xv. in aquilonem ab Agrigento, in agro Aragonensi, aliter: *Meyharuca*. Hi, uti tradunt singulo ferme quinquennio aquas emittunt turbidas, ac siquid in ipsos jactatur, magno emergit impetu. Lacus memorat Strabo lib: 6. in Agrigentino territorio marinæ aquę gustum habentes, sive salsum, in quibus gravia lignorum instar, antequam mergerentur, fluitasse testatur. Potuit Geographo res aliter referri; nam descriptæ ab eo indolis lacus extat nullus in Agrigenti finibus. De *Meyharuca* sursus..

MACARA Urbs vetustissima, Græcis *Felix*, sive *Beata*, ob situm amęnissimum, ubi condita. Minoe subinde, demumque Heraclea. *Minoe Siciliæ urbs*, inquit Heraclides lib: de Politicis, *quæ prius Macara dicta est*. Minos enim, quum accepisset, eo Dędalum confugisse, magna classe in Siciliam delatus, fluvium Lycum ascendens, ea urbe potitus est, superatisque Barbaris, suum illi nomen imposuit, & Creticis legibus rempublicam firmavit. Verum juxta alios Minoe occiso, Cretenses ejus milites *Macaram* occupantes Minoam a Rege suo illam appellarunt. Sicanis *Macharæ* ortus tribuitur; nam superatis barbaris ex Heraclide, Græci ea potiti sunt. An numus ex ære apud Parutam nostrę hujus *Macaræ* sit tribuendus subdubito; nam altera ejusdem nominis Scriptoribus non ignota, inter Centuripem, & Ennam stabat. Exhibet ille caput radiata pręcinctum corona, atque idcirco Apollinis creditum; hinc in postica muliebris

figura

figura stans cum baculo, ex quo tintinnabulum veluti dependet, dextera fręnum tenens, atque ad pedes hinc arboris folium, illinc lyra cum inscriptione MAKA... visitur. Vide *Heraclea, Minoe*.

MACASOLIS Fluvius. Consule *Mayhasolus*.

MACAUDUS Fluvius, aliter S. Calogeri. Oritur sub S. Annę opidulo, quod ad dexteram relinquit, & brevi cursu inter Saccam & Isburum amnem sese mari adjungit. Prope ejus ostium Turris est specula *Macauda* appellata.

MACELLA Urbs vetus, alia a Magella, quam tom: 1. descripsi. Memoratur Polybio lib: 1. necnon Diodoro. Inter Segestam & Thermas Himerenses ex Polybii verbis sita credi potest. Ait enim ille: *Romani excursione in Siciliam facta, Ægestenses ad ultima jam redactos ab obsidione* Pęnorum *liberant, & ab Ægesta regredientes Macellam opidum expugnant.* Exiguo post ad Himerenses *Thermas* profectos, ibique castrametatos fuisse ostendit. In ea igitur regione, ac itinere, inter *Segestam* scilicet & Thermas *Macella* opidum fuit. Rectum quidem iter eas inter urbes per Panormum agebatur; at quia illic Pęni hibernabant, ipso Polybio enarrante, per remotiora circa meridiem loca iter Romanis tunc fuisse certum est. Busamara mons, & diruti in ea opidi reliquiæ hoc in itinere occurrunt. Hinc forte *Macella* ibidem loci stetit. Sarracenis fuit in illo monte opidum munitissimum Calata Busamar appellatum, quod olim *Macella* esse potuit. Inscriptio in Rostrata columna de *Macella* ab C. Duillio Consule expugnata Romæ in Capitolio visitur, quam ex Lipsio in notis ad Fazellum exhibui. Extat *Macellæ* ęreum numisma penes Parutam, juvenili facie signatum, & Tau-

ro; sub quo epigrapha ΜΑΚΕΛΛΑΙΝΕΩΝ. Perperam Barrius in descriptione Calabriæ *Macellam* suæ adscribit regioni, nisi sit alia ejusdem vocabuli civitas.

MACHINESIS, Casale sub Friderico II. juris *Ursetti Sextidivitis*, circa Castrum novum surgebat, & Suteram, sed huic vicinius. Seriem Lucas Barberius in Capibr. producit ad sua tempora complurium, qui *Machinesis* domini fuere.

MADIUNIS Fluvius, olim *Selinus*, sive *Selinuntes*. Ejus est fons præcipuus inter Partanam, & Castrum Veteranum *Favara* appellatus, ab ostio pass: m. v. circiter recedens, & a Bigini arce D. tantum pass: dissitus, cujus excipit aquas, olim per ductus *Selinuntem* usque derivatas, uti illorum ruderibus constat, *Favara*, uti alibi dixi, gurges est, unde aquæ affluenter emergunt. Hic porro *Madiunis*, sive *Selini* adeo est copiosus, uti rotandis frumenti molis statim sufficiat. Mare ingreditur juxta Selinuntis veteris urbis monumenta, quæ ad ejus sinistram videntur ripam inter Belicis amnis, & Arenarum ostia. Fazellus: *Ab hoc ostio Selinis m. pass. urbis Selinuntinæ sepulchra sequuntur mari D. pass. imminentia, quæ separata sunt, & longo tractu condita, quadrataque lapide circumsepta*. Mox de ejusdem urbis lapicidinis: *Una*, inquit, *flumio hæret, ab urbe pass: m. II. distans*. Alio nomine *Selinus* dicitur *Apiarius*, & corrupte in Antonini Itinerario *Lanarius*, quod suo loco adverti. Apio enim ejus abundant ripæ, & circumpositus ager, Græcisque *Selinon* Apium dicitur. Hujus denique aquas Empledocles olim in stagnum Gonusam, *Thalicim* hodie, derivasse alibi dixi ex Laertio.

MAGNUS Fluvius *Himera Septentrionalis*, & vulgi ore: *Grandis*. Celebris est veteribus cum Poetis, tum Historicis, Theocryto, Silio, Ptolemæo, Livio,

vio, Straboni, & Melæ. Nam circa ipsum Daphnis Bubulcus Siculus, & Bucolici carminis author vixisse fertur; atque ex uno, eodemque fonte cum Himera Meridionali profluens, mediam scindit Siciliam, uti jam supra docui. Dicitur in literis Friderici I. Siciliæ Regis MCCL. *Senescalchus*. Oritur ex fonte *Fatuzza* sub Nebrode monte, sive Marone, vulgo *Madonia* ad occasum supra Politium opidum, qui in duos dividitur latices, unusque Meridionali, alter Septentrionali aquas suppeditat; recedit ab ostio pass: ferme XX. Tyrrhenumque ingreditur mare, quod Æolium dixit Silius lib: 14. *Qua mergitur Himera ponto Æolio*, quòd insulæ Æoliæ contra objacent: *Fatuzza* porro exiguo latici sub Politio alia adjunguntur aquæ copiosissimæ, quæ molis rotandis aptantur. Augetur hinc *Xillari* aquis uberrimis post Politium ad IV. pass: m. indeque fluvium Calatabuturi excipit. Ortum hic habet ex monte *Xarria*, qua orientem vergit, decurritque inter Calatabuturum, & Sclafanum, sub quibus ponte lapideo transmittitur. His itaque *Himera* nimium excrescens amplissimo alveo sub ipsis Himeræ, urbis olim celeberrimæ, nunc prorsus jacentis, mœnibus præfluens, ubi pontis visuntur vestigia, Bonfornelli, dudum *Senescalchi* opipuli turrim ad sinistram relinquit, & ostium ad pass: D. aperit.

MALI TEMPORIS Amnis. Vide *Caninarus*, qui pluviis aliquando auctus ad ipsa Panormi mœnia delatus, Portæ de Castro valvas disjecit, urbisque subjectam regionem inundans, ingenti clade cives afflixit, uti in Historiis.

MALVELLUS Fluvius oritur in agro cognomine, juris Ecclesiæ Monregalensis, ac Petralongæ adjunctus in Calatrasim se exonerat, unaque cum Fraxino aquis Belicum auget.

MAN.

MANFREDA Opidum. Vide *Mons Mellis*.

MANSIONIS Abbatia intra Panormi mœnia a Thermarum porta haud procul. Domum hanc Matthæus de Ajello Siciliæ Cancellarius a fundamentis excitavit, bonisque amplissimis dotatam SS. Trinitati sacram voluit, ante sæculi XII. medium, uti multis ostendit Eruditissimus Mongitore. Cisterciensibus porro Monachis S. Bernardi discipulis, in Siciliam ab eodem transmissis, Matthæus attribuit. Verum Henricus VI. Cæsar, illis infensus, XLV. anno postquam Coenobium tenuissent, eos deturbavit, ac Militaris ordinis Theutonici Equitibus MCXCVII. concessit. Quibus demum suppressis, Fiduciarii Magistri Panormitanæ *Mansionis* adlecti sunt, qui & Abbates vulgo etiam appellantur. Est hodie *Mansionis* Præceptor *Antonius Brancifortius* Siculus Sedis Apostolicæ, diu apud Venetos Legatus. Vir sane meritissimus, ac majoribus dignitatibus destinatus, nuper Urbinensis Legationis Præses adlectus.

MARE DULCE Fons est sub Gryphone monte in agro Panormitano ad meridiem II. ferme pass. M. ab urbe refugiens. Nomen ab celebri piscina, seu Naumachia sortitur; In hac enim illius aquæ, uti & illæ alterius proximi fontis, S. Philippi *Favara* titulo, concipiebantur, ac veluti Aquæ Dulcis mare exhibebant. Lacum magnum & Sarracenicè *Halbeira* appellavit Beniamin Tudolensis in Itinere eumque Gulielmum II. cum uxore regiis cymbis auro illitis piscium capturæ intentum, frequentasse tradit. Extat porro Naumachia hodie pene integra, in qua navales olim habebant ludos Panormitani; [quamvis, qui Rogerio II. Siciliæ seris temporibus Regi, attribuant opus, non desint]. At irregularis est figuræ, uti soli indoles postulabat. Circa septentriones, ædes olim magnificæ, vulgo

vulgo *Regium Solatium*, sed notabiliter labefactatæ, temporumque injuria quotidie in ruinas abeuntes, videntur, quę Naumachię hęrebant; unde a viris principibus ludi spectabantur. De his Falcandus, Fazellus, Maurolicus, Baronius, sed pręcipuè eruditissimus Dominicus Sclavo Sacerdos Panormitanus, de antiquis patrię monumentis optime meritus, nuperrime scripsit. Memorantūr circa *Maris Dulcis* regionem; a fonte enim, & piscina illa denominatur; circa Gryphonis montis radices cryptę, in quibus Gigantum ossa anno MDXXVII. Fazelli ętate inventa sunt, posterioribusque etiam annis detecta fuisse testantur Historici. Fons denique *Maris Dulcis*, ut & S. Philippi *Favara* Sacrę Mansioni Panormitanę a Friderico III. conceduntur MCCCXXIX. hodieque hortis rigandis circumpositis corrivantur.

MARETIMUS, sive *Maritima* Insula contra Drepanum in occiduo Siculo mari. Consule *Hiera*.

MARGANA Arx ad sinistram Vicarensis amnis ripam, qui a Thermis etiam dicitur. Cluverius, qui perperam hunc fluvium cum Himera confundit, male *Marganam* ad Himeram sitam evulgat. Sedet in rupe & tumulo, ubi forte olim *Morgyna*, de qua inferius, abestque a Vicari pass. M. VI. Illam Theutonici Equites, qui Mansionis Monasterium Panormi tenebant, condidisse Rege inconsulto scribit Fazellus. At enim Mongitore in Mansionis ejusdem Historicis monumentis literas refert Manfredi de Claromonte Regni Sicilię citra Flumen Salsum Vicarii MCCCLI. scriptas, quibus Joanni de Mincimberga Pręceptori facultas conceditur, Turrim, seu Arcem extruendi in Agro *Margane*. Hinc Ludovicus Rex, accepta ab Hermanno Rois Pręceptoris Locum tenente fide, post bi-

ennium

enorum id Messanę confirmavit. *Morgana* cęterum Casale anno MCLV. S. Joannis de Leprosis Hospitali domo, extra Panormi męnia, Guillelmi II. Regis liberalitate datum invenio. Domus illa, Friderico Cęsare volente, Sacrę Mansionis Equitum curę anno MCCXIX. commissa.

S. MARGARITA parva Insula in Drepanensi portu, alio nomine *Roncilius*, distat a littore pass: circiter C. ędemque eidem Virgini sacram dudum habuit, Drepanensium voto, uti tradunt, ędificatam, quod ejusdem patrocinio portus ab ingentis ceti infestatione liber evasisset. Sed eam Ecclesiam Albę Dux Siciliæ Prorex diruendam jussit, uti Columbariæ arci noxiam.

S. MARGARITA Opidum in agro *Misterendino* sęculo XVII. conditum, quod Pirrus suo ęvo larium 45. incolarum 175. vulgavit, hodie vero *Alexandri Filingerii* Cutodis Principis opera, nobilius redditum 6526. opidanos, focos vero 973. claudit, & si anno MDCCXIII. sub *Hieronymo* Alexandri patre animarum 3116. census fuerit. Sedet inter Belicis & Carabis amniū ripas, ęquo pene solo in meridiem, laxis, & rectis viis descripta, muris vallata, in quibus IV. portę dispositę. Princeps templum tutelari eidem Virgini dicatum non vulgari magnificentia refici nuper cępit cum foro amplissimo, ultimamque expectat manum. VII. alię minores Ecclesię incolarum fovent pietatem; S. Francisci Reformati, paucis ab hinc in opido constituti, civitatem augent, & Deiparę Collegium pro sequioris sexus educatione fundatum non levis est emolumenti. Dynastæ Palatium insigne ad omnem elegantiam ab eodem *Alexandro* concinnatum, Ecclesiam complectitur, quę S. Rosalię Patronę titulum referens, Ca-

nonico

nonico collegio duodeviginti Alumnorum sub Archipresbytero, & Mansionariis VIII. instruitur, picturisque, aulæis, argenteis vasis, & compluribus Sanctorum lipsanis splendida nitet. Magistratus præterea Domus decentissima, aula theatralibus ludis addicta magnifica spectatur, nec in privatis civium ædibus, quæ summa contentione augentur, venustas desideratur. *Principis* denique Suburbanum, *Veneria* dictum ad omnes rurales delicias comparatum, singulari dignum est inspectione. Ager fœcundissimus, irriguus, rerum omnium ad vitæ commoda affluentiam colonis suppeditat, opimas messes, plenas vindemias, oleum, fructus, pascua, olera præbet. Clero jura dat Agrigentini Episcopi Vicarius, in cujus clauditur diœcesi, reliquis civibus Decuriones, aliique a dynasta deputati ministri, quorum ordinem laudatus *Alexander* variis prærogativis insignivit

Misserendinum Feudum cum *Fortalitio*, seu turri tenuit olim gens *Montecatina*, & sub Rege Martino ad *Arettam* spectabat. *Calcerandus Incorbera* XV. sæculo emit, unde ad *Josephum Filingerium* jure uxoris *Elisabetha Bononia & Incorbera* devenit. Hic *S. Margarita* opiduli conditor fuit, habuitque filios *Franciscum*, qui improles obiit, & *Hieronymum*, qui cum Laurea Bononia Cullæ & Luccæ dynasta *Alexandri* pater fuit. Juliam Platamonem Cutodis hæredem duxit *Alexander* in conjugem, ac *Hieronymum* II. procreavit, Constantiæ Gravinæ sacris vinculis ligatum, quorum primogenitus *Alexander* laudatus extitit. Opidi latitudo est grad: XXXVII. XXXIII. longitudo grad: XXXVI. XXXVII.

MARGUNUS Fluvius, quo nomine ille Thermarum, seu Vicaris venit, alibi describendus.

S. MARIA DE ALTOFONTE Cisterciense Monasterium, aliter de Parco, quod in Regio Parco novo supra Panormum Fidericus II. Siciliæ Princeps anno MCCCVII. a fundamentis extruxerit. Designavit pro dote Parcum ipsum, & amplissimum Parthenicí agrum, hinc Abbas hodie Parci & Parthenici audit. Claruerunt ea dignitate Monachi ad annum MCCCCLVII. Deinceps Fiduciarii tenuere, ac inter eos postremus, qui & vivit, *Josephus Barlotta* Drepanensis S. Josephi Princeps, & Talaptæ Episcopus, moribus integerrimis præditus, & in pauperes munificus. Interest Comitiis loco XIII.

S. MARIA DE CRYPTA Ordinis S. Basilii Cœnobium Panormi primis Northmannorum temporibus ædificatum, & cum altero ejusdem nominis apud Lilybæum ab Henrico VI. Cæsare, ac Siciliæ Rege unitum MCXCVII. Hoc porro Christodolus Rozius Siciliæ Amiratus magnifice excitavit, ac bonis adauxit. Collegio Panormitano novo, Caroli V. Cæsaris decreto attribuitur, cujus Rector in publico consilio idcirco votum habet.

S. MARIA DE FOSSA NOVA Palatii Adriani. Est Territorii Terracinensis in Romana Provincia Monasterium, cui nostrum adnexum est a Matthæo Bonello fundatum, nomenque illius accepit. Vide *Palatium Adriani*.

S. MARIA DE NEMORE CALATAMAURI. Angustum initio fuit in monte Genovardo, & Calatamauri nemore Eremitarum domicilium, qui S. Benedicti subinde Regulam professi, celebri Monasterio initia dedere. Tulit hoc primùm Prioratus nomenclaturam anno circiter MCCCXX. & Friderici III. Regis liberalitate auctum, variis mox bonis a piis fidelibus

dona-

donatum, in Abbatiam erigi Bonifacii IX. Rom: Pont: decreto MCCCC. meruit, primusque idcirco Abbas *Benedictus de Maniacio* fuit renunciatus, & Romę insignia assecutus. Placidus Castagneda Abbas v. Montis Oliveti Congregationi unitum suum voluit Coenobium anno MCCCCXII. Quo ex tempore Abbates eadem Congregatio designavit. Est hodie eleganti & magnificentissima structura, paucis in Sicilia secundum, censibus affluit, alumnosque conspicuos fovet.

S. MARIA DE REFESIO in agro cognomine, sub S. Benedicti institutis conditum circa annum MCCLXXII. Monasterium, Guidonis Episcopi Agrigentini auspiciis, quod S. Joannis de Eremitis subinde cessit. Est *Refesium* amplissimum feudum Marchionatus titulo insignitum prope Bivonam, quo Placidus Joseph Zati nunc fruitur. Coenobii hodie nonnisi rudera conspiciuntur.

MARINEUM Opidum a *Francisco Bonanio* Fazelli aetate, idest saeculi XVI. anno XL. conditum, inter Cephalam arcem, ac turrim Rysalaimim in tumulo surgit ad septentriones; rectis distinquitur viis; Dynastae aedibus ornatur, & S. Georgio Martyri majorem Ecclesiam dicatam in opido pene medio, sub Archipresbyteri cura ostentat. Minoribus Reformatis novae data est *S. Mariae de Dayno* Ecclesia, quae civibus in summa est veneratione; sed mox Conventualibus tribuitur, sub Deiparae Immaculatae titulo, atque auspiciis. Ejusdem Virginis Collegium pro educandis puellis sub Minoritano quoque ordine S. Vincentii Ferrerii adhaerens templo, ac Monachorum denique Montis Oliveti SS. Crucifixi aedes, *Francisco* jam memorato authore, S. Mariae de Nemore suffraganea se offerunt; Minores reliquae Ecclesiae XV. enumerantur.

tur. Concluditur *Marineum* in Ecclesiastica Panormitana Provincia, & comarchia, ac Saccensis Militaris præfecturæ jura agnoscit, pedítesque XIII. educit. Fuit ejus census X. lustro a fundatione vix elapso, civium 1082. anno vero MDCLXI. lares 553. incolę 2327 descripti; MDCCXIII. lares 935. cives 3150. qui novissima enumeratione 3739. inventi sunt. Olim titulo Comitatus effulsit Philippi II. privilegio MDLXII. mox post triennium, *Gilibertus* Francisci jam supra laudati filius, ejusdem Regis literis, Marchio renunciatur.

Latissimè patebat dudum *Marinei* ditio, agrosque complures, vulgo *Feuda* complectebatur, rerum omnium ubertate ditissima, quæ varios hodie dynastas recognoscunt. In Friderici porro II. Censu *Petrus Formica* miles *Marineum* possidebat; sub Martino I. nobilis gens *Amodea* ejus dominio fruebatur; Ineunte sæculo XVI. *Bononii* obtinuerunt; hinc *Franciscus Bononius* Carolo V. rerum potiente, Insulę Quęstor, opiduli author fuit, cui filius *Gilibertus*, de quo supra, Comes & Marchio successit. Fuit idem Capacii quoque & Cephalæ dynasta, quem *Vincentius* excepit. De eo & successoribus satis alibi, Capacii Comites recensendo, dixi. Habet Marchio gladii potestatem, & in Regni publico consilio VIII. occupat scamnum; Longitudinis gradum XXXVII. XV. opidum attingit, & ad gradum XXXVIII. ejus est Poli altitudo. Celebrantur in agro, & proximo nemore aquæ thermales a S. Isidoro ob ejus Ecclesiam appellatæ.

MARSALA urbs Regia maritima, & quod veteri Lilybęo fuerit a Sarracenis subrogata, *Antiqua* titulo publicis in tabulis distincta, nomen a conditoribus ob ingentem & securum portum, hodie occlusum, accepit. *Marsa* enim Punicis *Portum*, *Alla Deum*

so-

sonat; ideo *Marsala* quasi *Portus Dei*. Quamvis autem eodem prorsus sedeat situ, ubi olim Lilybæum, ambitu minori bis pass. M. extensa, in quadro ponitur, & lætissima planitie, sativisque terris undique circumscribitur ad pass. D. circiter a littore. Muros habet, & fossam, arcemque ostentat in angulo orientali satis munitam; cui ex privilegio Requisentii proceres ab Alphonsi Regis ævo præsunt. Ad angulum vero australem *Gratiæ Veteris*, ad occiduum S. Joannis, ad aquilonarem S. Francisci silicibus fundata, ac ære olim publico magnifice constructa propugnacula, a sacris proximis ędibus dicuntur. Singulæ IV. muri facies portis ornantur, quæ peculiari suo propugnaculo instruuntur. Maris porta satis elegans, & magnifica ad hibernum, Porta nova ad ęstivum occasum spectant. Porta Mazaræ, qua ad hanc est iter, & Porta parva in oppositas respiciunt regiones. E Mazarensi ad Novam Portam via sternitur ampla, & recta, quam *Cassarum* appellant, & urbem diffindit mediam; reliquæ pariformiter vię rectę decurrunt, sed præcipua, Maritimæ respondens portę, spatiosum in forum ducit a Civili basilica appellatum, unde aspectus veluti e centro, in tres primarias patet regiones.

Sacras inter ędes Princeps fulget, eodem in foro, Corinthiis suffulta columnis, quas in Angliam pro ędificando S. Thomę Cantuariensis Pontificis templo navis deportabat, ventisque agitata in *Marsala* littore deposuit. Cives hinc majori Basilicæ condendæ aptarunt, eamque S. Martyri nuncuparunt. Factum id Guillelmi II. ævo putaverim; quo Regina ex Anglorum gente, cultum in Sicilia S. Thomę promovit. Instauratam porro anno MDXIX. ex quadam inscriptione in tecti trabe Pirrus affirmat, auctamque Sacello

Puri-

tur. Concluditur *Marinæum* in Ecclesiastica Panormitana Provincia, & comarchia, ac Saccensis Militaris præfecturæ jura agnoscit, pediteſque xiii. educit. Fuit ejus census x. lustro a fundatione vix elapso, civium 1082. anno vero mdclii. lares 553. incolę 2317 descripti; mdcc xiii. lares 935. cives 3150. qui novissima enumeratione 3739. inventi sunt. Olim titulo Comitatus effulsit Philippi II. privilegio mdcxii. mox post triennium, *Gilibertus* Francisci jam supra laudati filius, ejusdem Regis literis, Marchio renunciatur.

Latissimè patebat dudum *Marinei* ditio, agrosque complures, vulgo *Feudo* complectebatur, rerum omnium ubertate ditissima, quæ varios hodie dynastas recognoscunt. In Friderici porro II. Censu *Petrus Formica* miles *Marinæum* possidebat; sub Martino I. nobilis gens *Amodeo* ejus dominio fruebatur; Ineunte sæculo xvi. *Bononii* obtinuerunt; hinc *Franciscus Bononius* Carolo v. rerum potiente, Insulę Quęstor, opiduli author fuit, cui filius *Gilibertus*, de quo supra, Comes & Marchio successit. Fuit idem Capacii quoque & Cephalæ dynasta, quem *Vincentius* excepit. De eo & successoribus satis alibi, Capacii Comites recensendo, dixi. Habet Marchio gladii potestatem, & in Regni publico consilio viii. occupat scamnum; Longitudinis gradum xxxvii. xv. opidum attingit, & ad gradum xxxviii. ejus est Poli altitudo. Celebrantur in agro, & proximo nemore aquæ thermales a S. Isidoro ob ejus Ecclesiam appellatæ.

MARSALA urbs Regia maritima, & quod veteri Lilybęo fuerit a Sarracenis subrogata, *Antiquæ* titulo publicis in tabulis distincta, nomen a conditoribus ob ingentem & securum portum, hodie occlusum, accepit. *Marsa* enim Punicis *Portum*, *Alla Deum* so-

sonat; ideo *Marsala* quasi *Portus Dei*. Quamvis autem eodem prorsus sedeat situ, ubi olim Lilybæum, ambitu minori bis pass. M. extensa, in quadro ponitur, & lętissima planitie, sativisque terris undique circumscribitur ad pass. D. circiter a littore. Muros habet, & fossam, arcemque ostentat in angulo orientali satis munitam; cui ex privilegio Requisentii proceres ab Alphonsi Regis ævo præsunt. Ad angulum vero australem *Grottæ Veteris*, ad occiduum S. Joannis, ad aquilonarem S. Francisci silicibus fundata, ac ęre olim publico magnifice constructa propugnacula, a sacris proximis ędibus dicuntur. Singulæ IV. muri facies portis ornantur, quæ peculiari suo propugnaculo instruuntur. Maris porta satis elegans, & magnifica ad hibernum, Porta nova ad ęstivum occasum spectant. Porta Mazaræ, qua ad hanc est iter, & Porta parva in oppositas respiciunt regiones. E Mazarensi ad Novam Portam via sternitur ampla, & recta, quam *Cassarum* appellant, & urbem diffindit mediam; reliquæ pariformiter vię rectę decurrunt, sed præcipua, Maritimæ respondens portę, spatiosum in forum ducit a Civili basilica appellatum, unde aspectus veluti e centro, in tres primarias patet regiones.

Sacras inter ędes Princeps fulget, eodem in foro, Corinthiis suffulta columnis, quas in Angliam pro ędificando S. Thomę Cantuariensis Pontificis templo navis deportabat, ventisque agitata in *Marsala* littore deposuit. Cives hinc majori Basilicæ condendæ aptarunt, eamque S. Martyri nuncuparunt. Factum id Guilielmi II. ævo putaverim; quo Regina ex Anglorum gente, cultum in Sicilia S. Thomę promovit. Instauratam porro anno MDCIX. ex quadam inscriptione in tecti trabe Pirrus affirmat, auctamque Sacello

Puri-

Purificationis B. Mariæ Virginis eleganter conditum voluit Antonius Lombardo Episcopus, insigne de novo Canonicorum collegio ab anno MDCXXXII. exornatam, hodie spectamus. Post majorem S. Matthæi vetustissima Ecclesia secundas habet, quam in parochialem idem Lombardus erexit. Surgit ad angulum orientalem sub arce, arcam in cospectu habens, & in abside tholum. Societatis Jesu Collegium nobile est ab anno MDXCII. fundatum, opera sæpius laudati de Lombardo, & Stephani Fraselle, qui Sancto cognomini Protomartyri ab se extructum templum dicatum voluit. Occurrit post S. Thomam, atque ob cryptas subterraneas, in vivo saxo excisas, late patentes, antiquitatis amatoribus celebratur. Prędicatorum Fratrum Monasterium S. Spiritus titulo MCCCCXVIII. constitutum, Joanne de Falco, pietate illustri asceta, adlaborante, quod olim S. Petri Monialium fuisse tradunt, S. Gregorio Magno Epist. 69. lib. 8. memoratum, uti de antiquo Lilybæo loquens expendi. S. Francisci Conventualium a B. Angelo de Riete, Patriarchę socio, originem repetit juxta tertii sæculi exitum. Sedet ad angulum aquilonarem elato solo, & maris, portusque antiqui prospectu gaudet, sacra ædes, ubi Nobilium familiarum tumuli frequentes visuntur, satis exculta nitet, & monachorum domicilia optime disposita assurgunt. Data est primum Angelo Rietensi S. Andreę ædicula, postmodum gentis illustris Berardorum de Ferro, S. Luciæ Sacellum fratribus cessit, domusque Berlingerii de Requesens Sicilię Talassiarchę. Carmelitis prope occiduum angulum locus obvenit ab anno MCC. circiter, quum primum ex Jerosolymis hi in Siciliam trajecere. Æris campani turris structura nobilis, eorum Ecclesiæ adhæret, quæ ubi pulsatur æs,

loco

loco se movere videtur, agitarique advertitur ab imis partibus, veluti substructiones habeat, nutantes quidem, & simul solidas. Titulus est Deiparæ Annunciatæ; simulacrum ejusdem e marmore elegantissimum. Fratres Minores Observantes Beatæ Mariæ de Miraculis nomine Ecclesiam possident, claustrumque adnexum sęculo XVI. originem recognoscit. Tertii Ordinis in via Cassari, a porta nova haud procul, novissime domus instaurata fuit, post non leves jacturas, quas anno MDCLXVII. ex fortuita pyrii pulveris accensione subiit. Statuit ejusdem sęculi anno XVII. Seraphinus Bonhomo civis, & instituti professor. Augustinensium Conventus in S. Olivæ regione MCCCVI. primum coaluit, sub S. Marię de Annibo titulo, Quū vero, Leonardo Savino alumno rem solicitante, B. Virginis e lapide iconcula in excisa massa, subjectoque huic massæ puteo inventa fuerit MDXVIII. eò commigrantes ascetę, civium suppetiis Ecclesiam supra puteum ędificarunt, & cęnobium addidere decentissimum. Meminit inventionis Cajetanus, descripsitque eam, ubi de Cultu B. V. in Sicilia. Patronam sibi populus hinc *Deiparam de Cava* assumpsit, ac prima Septēbris die, ejus ingenti cum pompa festum concelebrat. Clerici Regulares Infirmis ministrantes MDCLXXI. recepti sunt. Olim S. Marię de Mercede fratres S. Andreę Apostoli templum a piscatoribus conditum occuparunt anno MDCXXX. sed paupertate adacti recessere.

Extra męnia Minores Capuccini in septentrionem passi circiter CCCC. ab anno LXX. sęculi XVI. locum habent, ędificiis, viridario, aquisque irriguis conspicuum. Circa meridiem Paulenses ad passi circiter DC. Conscriptis Patribus concedentibus, primum S. Mariæ de Crypta templum, subinde Jesus & Mariæ

in

in læta planitie coluerant, ubi nobilis vir Antonius Lalotta cœnobium illis, structura, sito, amœnitate, hortis, ac maris propinquitate celebre, condidit. Reformatis S. Augustini ad ortum S. Mariæ de Odigitria anno MDCXXX. data est Ecclesia, ubi antrum cum Deiparę imagine, multis prodigiis clara, a confluentibus undique populis summa religione culta. Sed & intra pomœrium tria sunt Sanctimonialium claustra: primum vetustissimum sub S. Benedicti Regula, quod Adeodata nobilis Matrona S. Gregorii ęvo fundavit, ubi & B. Scholastica vixit *Marsalensis* piissima virgo. Sedet in urbe media hodie, e loco ubi Dominicani degunt, translatum, ędificiis nobile, turri specula, templo eleganti, alumnarum numero splendens. Alterum sub nomine Inventionis S. Stephani, & S. Augustini institutis, Stephano Frisella jam laudato fundatore MDCV. ędificatum dicitur, ubi vetus Romanorum Prętorum Palatium, quod epigrapha in fornice satis declarat, subinde Regium, & Berardorum de Ferro demum nobilissimæ gentis domicilium fuit. Tertium eiusdem Regulæ S. Hieronymo sacrum Hieronymus Margius ædificiis, ac dote designata satis congrua, fundavit MDCX... Duo pręterea Parthenones sub titulo Spiritus Sancti, & Sacrę Christi familię spectantur; & S. Christinę domus extat pro mulieribus conversis; Mons denique Pietatis satis dives in S. Jacobi Apost: cui S. Blasii ædes Hospitalis celeberrima adjuncta. His Sodalitates accedunt numero VIII. ac privatę Ecclesię VII. Inter illas autem Purgantium Animarum effulget basilica, amplitudine & ornatu conspicua, in qua Sacerdotes XL. quotidie missas offerunt in earum suffragium cum stipendio. Nec reticenda S. Joannis de Rhodo commenda eadem in urbe cum hospi-

hospitali olim domo sub S. Antonii titulo. Sed seriem claudat insignis Abbatia Ordinis Basiliani S. Mariæ de Crypta titulo, a Cristodulo MXCVIII. Rogerio Comite Siciliam moderante, condita ac dotata, subindeque alteri Panormitanę ejusdem nominis, Roberto Guiscardo authore conjuncta, de qua Pirrus in Monast: Notitiis lib: 4. fuse scribit. Ejus perstat Ecclesia ad angulum orientale. De S. Joannis ejusdem Abbatiæ suffraganea, ubi Sybillæ puteus, jam dixi. Sacris hisce ædibus Civiles respondent cum publicæ, tum privatæ domus, spectatu enim dignum est cum primis media pene in urbe Pretorium, cui Turris Horologii elegans, & altitudine non mediocri adhęret. Circa portam maritimam amplissima pro regio Milite stativa, civium ære constructa videtur, aliæ hinc in via *Cassari*, atque in reliquis occurrunt decentissimę nobilium civium ędes, quæ inter primas insulæ civitates ordine, pulchritudine, & amœnitate *Marsalam* constituunt. Ejus Magistratum Decuriones IV. Syndicus, criminum Quęstor ac Judices constituunt. Stemma est domus, super quam Deiparæ imago, Divinum Filium inter ulnas habentis, eam quippe cives veluti Patronam venerantur. Locum in Comitiis quintum supra decimum occupat, atque a vectigalibus Friderici II. privilegio eximitur; quod Carolus Cęsar confirmavit. Militum præsidio munitur, hisque Tribunus, aut alius Regii exercitus Dux præest. Comarchię caput, & Saccensis *Præfecturæ* pars est. Medio sęculo XVI. laribus 1336. censebatur ex Fazello, sed Regiis in libris anno MDXCV. lares 2457. animas 8970 numerabat. Hinc MDCLII. foci 2758. cives 10936. descripti; MDCCXIII. in laribus 2430. incolarum 14616. & novissime 15205. census fuit. Cleri porro regimen

penes Mazarensis Episcopi Vicarium est; Animarum curę Archipresbyter invigilat.

Agri fęlicitas ingens est; nam cujusque generis segetes fert, fructus, oleum, vina, mel subministrat; armentis, gregibusque affluit; nec thermę in eo desiderantur; juxta enim littus, loco *Le Mire*, pass: ccc. a męnibus in austrum, fons aquę mercurialis scatet cū sedilibus & tholo. Celebrat Fazellus gallos, gallinasque *Marsalenses*, ac cęteris tota Europa, & Africa prestare dicit. Locus *Malsinas* olim, hodie *Ratalia*, ubi ruralis Ecclesia SS. Philippi, & Jacobi pass: m. vii. ab urbe, illa creditur, ubi fons aperiebatur, cujus meminit Paschasinus Episcopus in Epis: ad S.Leonem Pont: unde recurrente S. Paschatis die aquę effluebant, quibus Cathecumeni lustrabantur. De aeris salubritate, quum in promontorio sita sit urbs, marique idcirco tribus ex regionibus circumflua, non est, quod hic verba contexam. Portus enim licet occlusis faucibus, in septentriones, veluti stagnum ad pass: m. ix. extendatur, pisces ingenti copia suppeditat, ventorum flatibus sępissime concutitur, ęstusque suos habet.

De Viris Illustribus, qui Lilybęo extante floruerunt, jam satis in superioribus actum, proferam illos seris temporibus *Marsale* ortos, quorum ducit agmen Antonius Lombardus patrię primum Archipresbyter, a Regio mox Sacello apud Matritum, S. Gregorii de Gipso, S. Andreę de Platia, & S. Marię Novę Lucis Abbas, & hinc Mazarę Episcopus, & Agrigenti, tandemque Messanensis Archiepiscopus, de quo Pirrus & Mongitore. Onuphrius Vermis ab Urbano viii. Episcopus de Scalis apud Malphim renunciatus; pro rebus gravissimis in Hispanias ad Philippum iv. a Principe Philiberto de

Sa-

Sabaudia, Siciliæ Prorege transmissus, conceptæ de se opinioni abunde satisfecit. Thomas Schifaldus Ordinis Prędicatorum nobilis genere, Orator egregius, & Poeta Laureatus, Alphonso Neapolis Regi apprime charus, Quæsitor de Rebus fidei, claruit MCCCCXCV. Cristophorus Graffilami Minor Conventualis, vir doctissimus a Pirro appellatur; fulsit de Rebus fidei apud Pisas Quæsitor. Leonardus Muga Magni Etruriæ Ducis Theologus, ex Ordine S. Augustini Magister, Summus Orator per Siciliam, atque Italiam. Ejusdem instituti celebratur Vincentius Buga Gręcis & Hebraicis literis eruditus, moribusque incorruptis prędictus, qui Siculam Provinciam rexit, floruitque MDCXVII. Meminit Bonaventura Attardus Leonardi Savini, & Gregorii Amato, ambosque a vitæ perfectione, ac austeritate, aliisque virtutibus commendat. Ex laudato Mongitore claruerunt quoque, editisque ingenii monumentis mundo innotuere: Alexius Grignanus Musis acceptus ex Ordine Capuccinorum, ejusque germanus frater Hieronymus celeberrimus Ecclesiastes; Gregorius Valentinus ejusdem instituti, qui *SS. Patrum Hymnodiam*, & de *Casibus Reservatis* tractatum vulgavit: Antonius Provinzalis Tertii Ordinis Minorum diu Romæ elapso sæculo primos inter Theologos habitus; Bonaventura Anghilerus ex Conventualibus, *Lucis Magicæ Phisicæ* author, Josephus Marchesius Sacerdos pius æque, & doctus; Vincentius Calacasius Juris Consultus & Poeta de Bello in Africa ab Ioanne de Vega gesto scripsit; Priamus Capacius politiori literatura, ac jurisprudentia excultus, lepidusque Poeta, cujus etiam filius Thomas iisdem facultatibus egregie imbutus effulsit, Benedictus denique Emmanuel genere clarus, doctrina illustrior,

primariis Causarum patronis accensus, supremis in foro muneribus perfunctus. Regii Ærarii demum Fisci Patronus incorruptus, cujus elucubrationes cum editę, tum mstæ peritorum manibus teruntur. Idem Villæ Albæ Marchio Regis perscripto MDCLV. fuit. De aliis consulendus est Pirrus in Not. Mazar: Eccl:

MARSALÆ Fluvius. Vide *Sosius*.

S. MARTINI DE SCALIS Monasterium in Panormitanis occiduis montibus, ab urbe Metropoli pass: M. circiter VII. recedens, vetustissimo ejusdem nominis a S. Gregorio Papa Monialibus extructo subrogatum, atque illius ruderibus impositum, Abbatis prærogativa clarum, & Monachorum sub S. Benedicti Regula viventium collegio illustrissimum, a Pirro *opere ædificii, opum magnitudine, Fundatoris, ac dotatoris eminentia, ac jurisdictionis amplitudine, omnibus in Sicilia, pluribusque in Italia* excellens dictum. B. Angelus Senesius Catanensis S. Nicolai de Arena Monachus cum suis reædificavit, piique fideles, ac viri Principes bonis donatum amplissimis auxerunt. Ejus extat historia in Notitiis Eccles: Sicul: lib: 4. par: 2. Not: 1. ab laudato Pirro conscripta, quem idcirco consules. Præest illi hodie Aloysius Septimus pluribus nominibus commendatus, qui locum habet in publico Regni consessu.

MARTOGNA Crypta ad Erycini montis latera orientalia, quam & *Gigantis* appellant, quod in ea anno MCCCXLII. Erycis staturæ proceræ viri cadaver, uti tradunt, detectum fuerit. De qua re Fazellus lib: 1. Dec: 1. cap: 6. fuse scribit, nec non Boccacius de Gen: Deorum lib: 4. cap: 68. meminit.

MAURICIUM Casale olim ad Caccabum, de quo Invegius in Carthagine Sicula.

MA-

MAYHARUCA Ager, in Agrigentina ditione, aliter *Macalubis*, quem describit Fazellus lib: 6. Dec: 1. cap: 1. culturæ minime idoneus, ambitus D. pass: cujus est facies cinerulenta; ubi limosæ scaturigines complures, aquas cineri permixtas evomentes, cujus meminit Solinus. Vide *Macalubis*

MAYHASOLUS Fluvius, nonnullis *Alba* olim, *Isburus*. Consule *Alba*.

MAZZARA Urbs Episcopalis, a qua præcipua Siciliæ regio, seu Vallis, nomen sortitur, in Regiis libris *Inclyta*, post Arenæ fluminis ostium occidentem versus ad 11. circiter pass: M. in littore occurrit, quam amnis & Emporium ejusdem nominis sequitur cum stagno. Opidum fuisse dicunt olim, seu Castellum, quod Annibal Gisconis filius, Pœnorum in Sicilia dux facile sibi vindicavit, authore Diodoro lib: XIII. memoratumque affirmant in Antonini Itinerario: *Ad Aquas. Ad Fluvium Lanarium* XXIIII. nempe Selinum, sive Apiarium. *Mazaris* X. *Lilybeum* XII. Stephano de Urbibus: *Mazara castellum; Gentilitium inde Mazareus*. Apud Diodorum lib: 23. *Mazaram quoque Castellum a Romanis in servitutem redactum*. Et ex Cluverii mente lib: 1. cap: 13. in ejusdem Diodori lib: 22. de Rebus gestis Pyrrhi Regis: *Primamque urbium Heracleam subegit, dein Azones occupat; hinc Selinuntii Regi sese adjungunt*. Vocabulum quippe *Azones* in *Mazaram* corrigere non dubitat Cluverius. Ex quibus eruunt post Fazellum non pauci: *Mazaram* a Selinute longe fuisse diversam, & si in ejus ditione, ac Selinunte excisa, ex illius creverit reliquiis. Nec enim Fazello, minus *Mazarensibus* æquo, credendum; sub Sarracenis, ac Northmannis *Mazara* celebritatem accessisse; Gualterius

quippe

quippe inter Siculas tabulas veteres refert lapides complures, adhuc ea in urbe variis locis publicis extantes, Græcos, Latinosque; Urnas laudat Cajetanus prægrandes in sacra æde maxima ex marmore, in quarum altera Adriani Cæsaris triumphus, in altera Meleagri fabula eximie insculpta spectatur, veterum dubio procul opus; aliorumque ædificiorum vestigia, porphyreticum præsertim pavimentum ex Augustini Floriti scriptis commendat. Paruta denique numos cum inscriptione ΕΜΠΟΡΙΩΝ. Pegaso, Siciliæ Triscelo, aliisque symbolis signatos *Mazaræ* attribuit. Unde facile, obviumque de illius vetustate judicium ferre quisque poterit. Quidquod S. Martyrem Vitum sub Diocletiano passum, merito ac jure cives suum faciunt; & basis inter rudera inventa *Constantino Magno Imperatori a Bericio Perpetuo Siciliæ Provinciæ Correctore* dicata legatur. Quod Hybla fuerit, aut Engium juxta illos, quos refert Jacobus Adria, prorsus incongruum, nam Hyblæ circa orientales insulæ regiones sitæ, Engium longe alibi locatum videbimus.

De nomine opinionibus variant: nam a *Mazaro* quodam, qui primus ex Afris Siciliam circa Christi annum DCCCXXVI. cum aliis occupavit, dictam nonnulli somniarunt; A *Mazaro* flumine congruentius appellatam credunt alii. Bochartus a voce Punica *Mazor*, Latinis *Terminus*, derivatum *Mazara* nomen tradit, quod forte limes olim inter Græcorum fines, & Pœnos fuisset. Seris cætero temporibus inter primas a Sarracenis capta, & quod esset Africæ opposita, ab illis præcipue culta, frequentior evasit; Rogeriusque Comes, ubi primum ea potitus fuit, mœnibus cinctam, arce validius munitam anno MLXXX. voluit, cujus ope adjacentem infestaret regionem; quamque Panormi

ejus

ejus frater Robertus sedem statuisset, ipse *Mazaram* suæ ditionis caput edixit; Maximam sacram ædem Salvatori ex voto dicatam, testudinato opere absolvit, ac Stephano de Ferro Rhotomagensi primo Episcopo constituto, sedem Antistitis perpetuo sancivit. Ab hinc factum, uti ex *Mazaræ* nomine præcipua ex tribus Regionibus insulæ diceretur, quod supra innui; licet adhuc sub Sarracenis divisio hæc, & denominatio viguisse credatur. Excidit sane ab eo gradu, postquam Roberti filius Rogerius Panormi dimidium Comiti avunculo concessit, ac reliquum subinde urbis Comitis filius conquisivit; inter præcipuas nihilominus urbes computata, Fridericum II. ejusque conjugem Eleonoram aliquando excepit, quæ ibi filium enixa est, Rogerium appellatum, & in Cathedrali templo sacris ablutum undis; unde variis ab eodem Rege gratiis fuit illa anno MCCCXVIII, affecta.

Sub Martino I. Rege *Nicolao Peraltæ* titulo Marchionatus concessa, brevi tamen ad regia jura revocatur. Sed & Alphonsus Rex, quum æris penuria laboraret, loco pignoris *Raymundo de Cabrera* dedit; Cives vero XIX. Aur: millibus *Cabreræ* exsolutis, quum sese redemissent, ac ne deinceps dynastis subderentur MCCCCLIII. gratiosum impetrassent rescriptum, biennio vix elapso rursus *Ximenio de Corella* traduntur; Hic porro *Bernardo de Cabrera* jus vendidit, unde *Raymundus* Nepos obtinuit, qui ut Regi gratum faceret, *Ferdinandum* Calabriæ Ducem nothum Alphonsi filium hæredem dixit. Sub Alphonso *Joannem Palmulum* Mazaræ dominum fuisse etiam lego. A morte igitur *Raymundi Ferdinandus*, Neapolis Rex a Patre dudum inauguratus, *Mazara* potitus, antiqua *Mazarensium* privilegia rata voluit, ac nova illis attribuit

tribuit

tribuit MCCCCLVI. urbisque proventus Reginæ uxori pro mundo muliebri assignavit. Huic *Alphonsus* filius successit, qui regno suo excedere coactus, *Mazaram* sui juris venit, nec diu post fato interpellatur. Excepit illum *Ferdinandus II.* a cujus morte *Joanna* conjux in Siciliam delata, Panormum Regio cultu ingreditur, moxque magno procerum equitatu *Mazaram* se confert, ac uti illius domina se gerit ad annum MDXVIII. quo fato suo concedit. Triennio post *Raymundo de Cardona* Oliveti Comiti aureis L. M. Urbs nostra venum datur; At cives Comiti ære soluto juris & ditionis Regiæ MDXXXI. denuo fiunt, uti hodie perstant, Gubernatoris a Rege adlecti olim regimini subjecti, nunc proprio sub Magistratu, quem Jurati Patres, Syndicus, & Justitiæ Præfectus ingenua nobilitate clari, ac Judices in lege periti constituunt, cui & locus in Comitiis nonus designatur. Numerabat *Mazara* sub Carolo V. lares 1472. sed circa MDXCV. ejus erant foci 1875. animę 7694. Sequentis sęculi anno LII. descriptos lego in Regiis libris focos 1964., incolas 7146. sed ex Pirro in laribus 1700. cives 7788. Nostroque hoc seculo sub Victorio Amedeo Sabaudiæ Duce lares 1873. incolas 6964. & novissime 1845 in censu venisse invenio. *Salvatoris* figuram geminas inter turres in scuto ostentat; Caput est Comarchiæ & *Saccensis* Militiæ legionem equitibus XXXVI. peditibus LXXVI. auget. Ejus denique ager frumenti, leguminum, olei, vini, & pecoris ubertate celebratur, incolisque omnia ad vitæ commoda suppeditat.

Urbis situs est in meridiem atque occasum pronus. Cathedrale templum præ cæteris ędificiis conspicuum, Domino *Salvatori* sacrum, ab Rogerio Comite testudinato opere conditum, variis temporibus

re-

refectum, denique MDCXCIV. magnificentissime a Francisco Grasso cive & Episcopo totum pene recentiori symmetria instauratur. Æris campani turris anno MDLXXX. reparata, sed longe elegantior nova molitione MDCLIV. construi, quadriennio post ab Joanne Lozano perficitur. Frons spectatu digna, & in foro Rogerii Comitis marmorea magnifica statua, cujus sub pedibus victus, prostratusque Sarracenus effingitur, Bernardi Gasco item Episcopi opera & impensa ab an. MDLXXXIV. assurgit. Haud procul ędes Episcopales, quę remotę antea dilabant, decentissimas idem Bernardus primus molitus est, veteri S. Claræ cœnobio occupato, quod ab anno MCCCXCII. Moniales reliquerant, subinde Dominicus Spinola S. R. E. Cardinalis lautiores reddidit, & Bartholomeus Castellus novissime ampliavit. Extollit porro, commendatque Pirrus principis Ecclesię cultum ab insignibus SS. Lipsanis, S. Viti præsertim & Sociorum civium *Mazariensium*, a variis sacellis juris patronatus nobilium familiarum, pingui dote instructis, & a Canonico insigni collegio XIV. Canonicis, Cantore, Archidiacono, Decano, & Thesaurario, nec non XII. supernumerariis conflato, quibus XVIII. alii minores superadditi. Largos quoque Episcopatus proventus recenset, ejusque prærogativas, quod scilicet in Comitiis sacros inter proceres nono assidet loco, quod Archiepiscopo Panormitano suffragatur, laudatque demum sex & quadraginta Infulatos, ad suam usque ætatem, quibus alii X. accensendi cũ hodierno Hieronymo Panormo Sicliensi, novissime ex Clericis Regularibus assumpto, viro optimis moribus, sacris scientiis, dexteritate, & disertissima eloquentia apprime imbuto. Non hic omittam veterem illam laudati templi partem, quam *Thober* appellant,

ubi SS. Salvatoris, Petri, Joannis, & Jacobi Apostolorum ex albo marmore simulacra, celeberrimi Antonii Cagini manu insculpta, quæ præcipuum illius ornamentum efformant.

Clericorum Ephebęum Bernardus Guasco instituit non incomptum, nec angustum, ab Episcopali palatio haud procul, sed novum a fundamentis laxius, & elegantius construxit aptiori situ laudatus Castellus circa hujus sæculi initia. Jam parochiali gaudet in urbe prerogativa S. Nicolai Ecclesia ab anno MDCXXVIII. ut civium commodo, ac profectui animarum satisfiat. Filiales Ecclesiæ complures cum *Beneficialibus*; Sodalitia X. enumerantur. Ascetarum vero domicilia intra & extra pomęriū plura sunt, S. Francisci Conventualium, quod B. Angelus de Riete, Fundatoris socius, sæculo XIII. exeunte, ad urbis męnia constituit, & Episcopus Franciscus Grasso illius alumnus novis ędificiis cohonestavit. Carmelitarum, qui ante annum MCCCLXX. fundamenta jecerunt, ac ordinis titulo retento, omni ferme ęvo doctrina, & meritis floruere, quod ex illorum catalogo apud Pirrum satis constat. Societatis Jesu Collegium Josepho Lamia & Gaspare Riera nobilibus viris fundatoribus anno MDCLXXII. coaluit, & S. Ignatii titulo Ecclesia gloriatur. Eremitarum Augustiniensium, S. Mariæ de Auxilio nomine MCCCCXCVI. Joannæ Neapolis Reginæ, rerum potientis auspiciis, extructum est Cęnobium, ubi olim Judęorum Synagoga, sed ob tenues census elapso sęculo defecit. S. Dominici sub appellatione Rosarii, Gabriele Perpugnana urbis Moderatore dotem designante, MDXV. constitutum, non diu post deletur. Novum extra męnia ad D. passus instauratum, desertum quoque MDCLIX. Carmelitis Excalceatis octennio post cessit, qui

qui S. Viti subinde Ecclesiam a sodalibus ejusdem obtentam, coluere, ubi Divi Martyris puteus, prope quam, Petro Grassco authore, Conventum excitarunt. Minoritanis de Observantia S. Mariæ de Jesu ad D. passus extra, Henricus de Juncta, Regius Miles, & Mazaræ Gubernator locum designavit, B. Matthæi Agrigentini tempore. Capuccinorum denique in S. Martini extra ad passus D. ab anno MDLXXX. viget familia.

S. Philippi Nerii Oratorium statuit Franciscus Augustinus cum sociis MDCXIV. sub S. Caroli Episcopi auspiciis, Marcusque de Cava Episcopus adauxit. Monialium Monasterium vetustissimum, ordinis Benedictini S. Michaelis titulo, Georgius Antiochenus Siciliæ Talassiarcha MXCIII. condidit, ac largissime ditavit; alterum S. Veneræ ejusdem instituti antiquis etiam natalibus gloriatur, & pingui dote gaudet; Tertium S. Catherinæ Vir: & Mart: auspicia recognoscens, ante annum MCCCXVIII. Joanna de Surdis nobilissima Matrona fundavit, bonis designatis, ea conditione, quod si deficeret, Panormitano ejusdem nominis Monasterio illa cederent. S. Claræ olim efflorebat Claustrum, sed ejus ob civium seditiones occupatis censibus, Martino Rege volente, Provinciæ Minister Drepanum anno MCCCXCII. illud transtulit. Puellarum Collegium in æde S. Agathæ, Luciano de Rubeis Episcopo curante, stipemque annuam designante MDCII. erectum est. Mons demum Pietatis cum domo Hospitali, infirmis, & pauperibus fovendis, puellisque in matrimonium collocandis in S. Ægidii olim constitutus, non vulgari diligentia, & charitate administratur, hodieque sub Conceptionis Immaculatæ titulo venit. In Agro pass: M. circiter S. Mariæ de Jummariis Cœnobium erat Basiliense, Rogerii Comitis liberalitate,

ejusque filiæ Juliettæ, ædificiis, ac bonis auctum, quod primum Benedictino S. Mariæ de Engio unitum, in S. Joannis Jerosolymitani Commendam evasit. Insuper aliud SS. Nicolai & Joannis de Regali antiquissimum, Miletensi Monasterio Rogerii ejusdem jussu adnexum, Canonicali nunc Præbendæ, uti vocant, addictum, celebratur, cujus extat templum testudinatum, cum pervetustis iconibus. Eremitarum ædes, S. Georgii nomine, Martini Regis ævo notissima habebatur, ex cujus censibus Canonicatus Præbenda constituta.

Veteres adhuc muros, quos Rogerius dudum jussit, *Mazara* servat; sed temporum injuria aliquando labefactatos cives refecerunt; postremoque Franciscus Graffeo Civis, & Episcopus variis in locis instauravit; qui & portam addidit, a meridionali plaga Cathedralis Ecclesiæ frontem, ejusque majorem januam respicientem, quam coronide imposita MDCXCVIII. Ascentius Francisci ex fratre nepos reclusit. Aliæ porro sunt portę tres, Maritima scilicet, Panormitana ad aquilonem, & Mayhartæ ad occasum. Fossa olim circa mœnia profunda, & lata videbatur, in quam fluminis aquæ corrivabantur; hodie ex vestigiis dignoscitur. Arx munitissima, operibusque variis pręcincta, tormentis muralibus instruitur, oramque maritimam tuetur; propugnacula demum urbem ab hostium incursionibus custodiunt. Sunt viæ inęquales, nec rectę omnes decurrunt; Civium denique ædes decenter assurgunt, compluresque elegantissimæ spectantur. Prope S. Viti Ecclesiam extra mœnia aquę mineralis sulphureæ puteus, seu fons scatet, *Buybutus* dictus, ac littori adeo vicinus, uti sępissime fluctibus obruatur; hinc ebullire tranquillo tempore

in

in mari sulphuris particulæ videntur. Est Poli *Mazarensis* elevatio grad: XXXVII. XL. longitudo grad: XXXVI. X. respondet.

Conspicuos ob sanctimoniam & pietatem Cives enumerat *Mazara*, S. Vitum Martyrem, ejusque educatores Crescentiam, & Modestum, Diocletiano Imperatore, & Valeriano Siciliæ Præfecto, variè primum in Patria pro Christi fide vexatos; mox peregre profectos, tandemque martyrii gloria coronatos. Henricum Patriarcham Antiochenum & tit:S.Theodori Cardinalem, cujus vitam Leo Marsicanus scripsit. Joannem Matthæum Adamum Societatis Jesu, qui sacra Expeditione in Japoniam destinatus, Christi fideles egregie satis ibi juvit, & confirmavit, ementitoque habitu diu inter barbaros vixit. Sed deprehensus, agnitusque, vivus in foveam suspensus in urbe Nangasach martyr MDCXXXIII. occubuit. De eo Alberti, Aghilera, & alii. Marcum de Sacca Congregationis Oratorii Sacerdotem morum innocentia, simplicitate, orationis studio, atque in Deum & proximos charitate insignem, decessit in patria MDCLXI. Augustinum Gianguercium ex Minoribus Capuccinis Pirro memoratum. Franciscum Blancum genere nobilem, Minoritanum Conventualem primo, summum Theologum, & Ecclesiastem, qui ad Capuccinos transiens, primus ut Philosophiæ, ac sacris dogmatibus sodales sui operam darent, instituit; Sanctimonięque fama Drepani decessit. Franciscum Ciappo item Capuccinum, clarissimum Ecclesiastem, sed & moribus religiosis preditum, lacrymarum dono, aliisque charismatibus a Deo cumulatum. Rexit Provinciam, meritisque plenus Panormi obiit MDCLXXIX.

Dignitatibus Ecclesiæ, & sæculi insignes floruere.

Jo-

Joannes Graffeus Episcopus Pactensis Ordinis Minorum alumnus, præfuit annis v. ex Pirro. Andreas Thalac Episcopus Titularis, Cantor, Canonicus, & Generalis Vicarius vacante *Mazarensi* Sede. Franciscus Maria Graffeus patriæ Pontifex ex ordine Minorum assumptus; celebratur ab omnimoda scientia, & quod *Distinctionis Formalis Formalissimæ* in Scoti Schola primus adinventor fuerit. De eo Mongitorius in *Addit: ad Mazar: Notit:* Guillelmus Roccaforte *Mazar:* Canonicus, & Episcopus N... Vincentius de Marco Quæsitor de Rebus Fidei, Ordinis Prædicatorum. Antonius de Cataldo & ipse etiam Quæsitor in Sicilia, Archidiaconus & Canonicus *Mazarensis*. Thomas Lancerottus Ordinis Minorum, Clementi vi. a *Sacello*, Episcopus Laquedunensis, doctrina, & prudentia illustris ex Uvadingo. Joannes de Millusio Abbas, Archidiaconus & Canonicus, Alphonso Regi a sacris. Antonius Mannelli S. Mariç Novç Lucis Catanæ Abbas, *Mazaræ* Cantor, S. Mariç Trans Tyberim Romç Canonicus, Philippi II. Capellanus, Matriti obiit MDLXXXI. Carolus de Augustino SS. Martini & Fantini in Calabria Abbas, Mediolanensis Diœcesis sub S. Carolo Borromeo Visitator. Antonius Maccagnone S. Mariç de Jummariis Abbas. Paulus Cavallaro, Joannes de Adamo, & Andreas de Noto eadem dignitate sçculo xv. fulgentes. Cosmas Adamo S. Spiritus Buxemii, & Cçsar Levagi S. Nicolai de Nemore Priores. Hos omnes laudat Pirrus. Inter Laicos Augustinus Martius in M. R. C. foro pluries Judex, Regii Ærarii Rationum Magister MDLXXIV. Balthassar Maccognone in ejusdem R. C. subsellio non semel collocatus. Augustinus Levagi forum quoque, M. C. Judex, & Fisci Patronus illustravit sæculo xvi. ineunte. Josephus Politius

Juris

Juris Consultus eximius M. C. Judex, de quibus Mongitore in sua Bibliotheca ob editos libros agit.

Scriptores ac Docti Viri recensentur a Pirro ex Minoritanis Jacobus Bertuglia Poeta, & insignis Ecclesiastes; Vincentius de Regina celebris Orator, & Hungarici Regni Provinciæ Moderator. Ex Observantibus Nicolaus de Urso doctrina & pietate celebris, patriæ decus, & gloria, Catanæ obiit MDIV. Paulus Emmanuel Theologus Canonista, & Concionator eximius, in Sicula provincia Minister. Inter Carmelitas cõmendantur ab eodem Pirro Vincentius de Monte, & Vincentius Letus Oratores disertissimi; Bartholomæus Ragusius ordinis decus & ornamentū Philippo II. acceptissimus, Prioris Generalis socius, Siculæ Provinciæ Reformator, & Prior. Pompejus Ragusius illius frater doctissimus Philosophus, Theologus, & Ecclesiastes. Hic Joannem Bacconum Commentariis illustravit, in celebrioribus Italiæ instituti sui Academiis Regens, in Romana Curia Generalis Procurator, ac in Italia Vicarius claruit. Bartholomæus Cremona ex Canonico & Vicario *Mazarensi*, ejusdem ordinis asceta, pietatis, & doctrinæ monumenta posteris reliquit. Pomponius Margionius eloquentissimus, in Sardinia Prior Provincialis MDXCII. Bartholomæus Bentivenga inter Oratores optimus, in Quæsitorum Fidei tribunali Censor. Andreas Galletti in omnibus scientiis, ac sacris Ecclesiæ legibus præsertim versatus, viris Principibus, & Præsulibus charus; Gregorius tandem Catanea insignis Ecclesiastes, magnæque probitatis vir. Ex Augustiniensibus Nicolaus Petrus, & Joseph Tudischus ambo magni nominis Theologi, & Oratores sæculo XVI. floruerunt. Ex Prædicatoribus Thomas de Drepano *Mazarensis* eximiè in sacris & humanis scientiis

entiis

entiis versatus. In Sicula demum Bibliotheca laudatus recenset Mongitore, & Pirrus quoque memorat Juris Consultos: Antonium de Fridericis, Carolum Maccagnonem, Joannem Milatium, Joseph Centorbum, & Carolum Mirabella editis operibus notissimos. Medicos & Philosophos: Joannem Jacobum Adriam Caroli V. & Regni Siciliæ Archiatrum, Nicolaum Antonium Scrinam; Augustinum Floritum; & Nicolaum Ursum in Salmatiensi Academia MDXL. publicum Professorem. Poetas: Paulum Ferrum Jacobi Adriæ præceptorem MCCCCLXX. Callimatum Monvitidem MCCCCLXXVII. Ferdinandum Pompianum; Josephum Anellum; Vincentium Arnaum, Philonem, Hippolytum ab Hippolyto Græcis Latinisque literis apprime etiam instuctum, sæculo XVI. clarissimos; Anselmum Sansonem, Olivetanum Monacum, & Franciscum Galetti, Theologos: Nicolaum Ballum Clericorum infirmis ministrantium, Sac: Cong: Indicis Romæ Consultorem, sacrisque concionibus etiam cum laude recitatis celebrem, & Augustinum Floritum Soc: Jesu, Græcè quoque doctissimum, qui Octavio Caetano agente, plures Sanctorum vitas latinas fecit. Patriæ denique Rerum Scriptores Jacobum Adriam jam supra laudatum, qui & totius Vallis *Mazaræ* Topographiam mstam reliquit; Josephum Centorbum, cujus quoque memini, & Nicolaum de Fridericis Cong, Oratorii, a quo S. Viti & Sociorum gesta, ac Selinuntem illustratam habemus.

MAZARUM Flumen veteribus notum, Diodoro lib: 13. *Annibal, ubi ad Mazarum flumen pervenit Emporium illic situm primo insultu capit.* Et lib: 11. *In Sicilia inter Ægestanos, & Lilybætanos bellum exortum est de agro ad Mazarum flumen.* Ptolemæo He-

Heraclea, Ihburi amnis hostium, Sossi amnis ostium, Mazaræ fluminis ostium: Oritur ex fontibus *Sanugia* & *Rapicalido*, ab opido Salemi circa occidentem III. pass: M. dissitis, perennesque emittentibus aquas, ac per saxeum satis depressum ferme fluens alveum, in stagnum dilabitur marinum, occiduaque *Mazaræ* mœnia alluit. Id porro stagnum portuosum est, & parvorum capax navigiorum, protenditurque in mediterranea ad pass: circiter M. ac piscibus abundat. Circa ostium S. Viti Mar: statua, ad jactum lapidis ab urbe, elegantissima, stylobati versibus ornato imponitur; haud procul vero lapicidinæ conspiciuntur.

MECCINUS Mons Panormitani agri, frumenti ferax, circa illius urbis occasum, de quo Invegius & Massa.

MEDIJUSIUM Casale olim Sarracenicum *Miasilinsuph*; hodie opidum vulgo *Mezzojuso*, ac alio vocabulo *S. Veneræ* appellatum, Latinis Siculis, Græcisque Albanensibus commune, qui anno MCCCCLXXXVII. variis Turcarum vexationibus afflicti, cum familiis in insulam trajecerunt. Jacet in mediterraneis, Panormitana Diœcesi, & Comarchia conclusum, inter Cephalam & Vicarim, ad amnis Thermarum fontes. Datum Casale lego S. Joannis de Eremitis Panormitano Monasterio ab anno MCXXXII. & intra Agrigentinæ Ecclesiasticæ provinciæ fines comprehensum, immo tertiæ Canonicorum præbendæ attributum. At quum anno MCCLXXXI. inter Gobertum Episcopum, & Lucam Abbatem orta contentio esset, Episcopus juri suo cedens ex pactione, Abbatis Monasterii ditioni illud commisit. Erat tunc Parochia S. Mariæ titulo sacra; anno hinc MDL. Græcis Albanensibus, e proximis locis, ubi primum consederant, advenientibus cautum

 est,

est, ut vetustissima Divę Marię Ecclesia jam penitus collapsa tecto, aliisque necessariis rebus instaurata a Latino Parocho, qui Latinis sacramenta administraret, coleretur; Græci vero proprium Divo Nicolao dicatum templum cum suo haberent Curione. Unde autem Panormitano Antistiti acquisita in Opido fuerit deinceps jurisdictio, me nescire fateor. Subduntur nunc S. Marię Annunciatę, [id enim refert adjunctum nomen Latinæ Ecclesiæ] Virginis Miraculorum, Purgantium manium, S. Francisci, & Immaculatę Conceptionis ædes, cum adnexo Minoritarum de Reformatione Cęnobio, quod anno MDCLIX. ex piorum eleemosynis crevit. S. Nicolai vero suffraganeę sunt, S. Rocci, S. Veneræ, S. Antonii Patavini, S. Mariæ de Scala, & S. Mariæ Gratiarum, cui Ordinis S. Basilii Monasterium sub Græco ritu adhæret ab Andrea Rodes constitutum.

Ex Monachorum & Abbatis S. Joannis concessione gens nobilis de *Corbino* Pisis oriunda sub Ferdinando Rege primo *Medijusium* obtinuit, titulo Baronatus anno MXXIV. *Joannes Corbinus* Baydę dynastia accepta, cum *Vincentio de Bosco* Vicaris domino mox commutavit. Franciscus Vincentii filius *Blasco Isfar & Coriglies* Siculianæ Baroni venum dedit, qui in *Joannem Groppum* accepto pretio, transtulit MDLXXXXII. Hic *Medijusium* Marchionatus tessera auxit, moriensque *Josepho* filio reliquit, a quo *Vincentius de Bosco* ex Francisco natus revocavit anno MDCXXIX. Sed huic Baydæ arcem, agrosque *Joannes & Blascus Corbini* reddiderunt, *Medijusii* dominium MDCXXXIII. sibi vindicarunt; & Principatus honore nobilitatum sequenti anno voluere, ex Pirro; Emmanuel vero Philippi IV. privilegium MDCXXXIX. scriptum refert. Ex *Blasco* & Petronilla

Val-

Valguarnera *Josephus* prodiit, fuitque ex XII. Regni viris & Panormi Prætor. Hic cum Violanta Migliaccia *Blascum* genuit *Medijahi* hodie Principem. Ex *Blasco*, & Antonia Caccamo Dominicus, Emmanuele Filingerio maritus. Gaudet Princeps gladii potestate; In Comitiis locum occupat XL. & Opidi Magistratum designat. Clero Panormitani Archiepiscopi Vicarius jura dat. Ager, Petrusa, & Scorciavacca feudis, aliisque coalescens, fœcundus audit, uberrimasque omnis generis messes tribuit, oleum, vina, fructus, olera fert. Est situs Opidi in solo leniter prono. Longitudo grad: XXXVII. XX. latitudo XXXVII. I. non excedit. Thermarum denique Præfecto in indigena cogenda militia pedites XX. rependebat.

MELIA Casale olim inter S. Stephanum & Castrumnovum. Juris erat sæculo XIV. ineunte *Matthæi de Maletto*, qui Florentiæ de Calvello uxori dotem dilapidavit. Ab ejus hinc morte sine prole *Joannes* Florentiæ frater MCCCXXXVI. *Meliam* sibi adjudicavit. *Joannis* hæredes ad hæc usque nostra tempora, deleto casali, agrum possident.

MENDOLA Opidulum, aliter *Regalis Mons*.

MENFRIS Opidum, *Burgium Millusum*, & aliis *Burgettum*, de quo nonnulla protuli. A *Millusio Burgium Christianum* Franciscus Emmanuel diversum dicere in Elogio inclytæ gentis suæ, quæ *Burgium* tenuit; Sed duo Ego proxima casalia in eodem agro sub Sarracenis fuisse putaverim, quæ Aragonensium ætate perdurabant, unde *Menfris* opidum, seu *Burgettum* Comitatus titulo insigne. Illius situm indicavi, ac dynastas recensui. Subest Agrigentino Episcopo, quo ad sacras res; & in ea Saccensi Comarchia concluditur. Parochiam Archipresbyter moderator,

minores Ecclesiæ binæ famulantur. Primus opidi census MDCLIII. focos 168. incolas 575. Hujus sæculi anno MDCCXIII. illos 429. hos vero 1614. exhibuit. Sed sunt hodie descripti 2708. Sedet ad collis radices in æquo solo, & latitudinis grad: XXXVII. XL. longitudinis XXXVI. XL. assequitur. Ejus in publico concilio Comes locum tenet XVII. & gladii jure potitur. Ager fertilitate præcipuus celebratur; Aer, prospectusque haud procul a littore sanus, & jucundissimus.

MEZZAGNUM novissimum Casale in agro cognomine VIII. pass: M. Panormo dissitum, jussit, nova impetrata a Rege facultate, *Josephus Emmanuel Vigintimillius Belmontis* Princeps, & parochialem ædem Christo Domino in Cruce pendenti sacram voluit. Lares in dies augentur, ut & Dynastæ Palatium; Animæ CC. nuper sunt computatæ. Potestas gladii illi competit. Jus in Ecclesiis Panormi Antistes habet, qui Sacerdotem ad animarum regimen designat. Dicitur etiam *Belmontis* opidum. Vide supra.

S. MICHAELIS Fluvius, de *Campo Grosso* a proxima sacra æde ejusdem nominis, in Friderici Cæsaris rescripto appellatus; subinde *Pontis Rupti*, quod torrentis impetu Pons ad ejus trajectum, haud procul a littore, sæpius refectus corruerit. Caput habet sub Cephalæ arce ex tribus discrepantis naturæ fontibus; ex iis enim alter calidas, alter tepidas, tertius frigidas emittunt aquas, quæ in æde testudinata receptæ miscentur, & Balneas faciunt aluminosas, de quibus dixi. Augetur subinde aliis aquis ad radices Canis montis fluentibus, & hinc excurrens inter Soloenti arcem, & Turrim Columnam mare ingreditur. Haud procul ab ostio Pons surgit magnificus, S. Joanni Nepomuceno dicatus, cujus e marmore simulacro exornatur.

natur. Petrus Specialis olim *Siciliæ Præses*, sæculo XV. ad salutem itinerantium, proprio ære hunc pontem instituit, aquarum vi destructum, anno Salutis MDLIII. publica impensa restitutum, Fazellus affirmat. At rursus, quum corruisset, ætate mea, anno scilicet MDCCXXXI. reficitur. Dicitur Pons a Milicia proximo opidulo, quod illi imminet, ut & Amnis solet etiam vulgi voce nuncupari. Æstivo tempore sicco pede ostium transmittitur; hinc circa pontis latera vineæ succrescunt.

MICOLUFA Rupes cum vetustæ arcis vestigiis ubi & cisternæ in vivo saxo excisæ, aquæductus ac sepulchreta. Surgit contra collem Sarracenum, qui a Ravanusa opido ad pass: circiter M. dissidet.

MILICIA Opidulum, alio nomine *Altavilla*, in collibus sedet littori imminentibus inter Soloentum, & Turres, circa sinistram fluvii cognominis ripam, quem S. Michaelis, & Pontis Rupti, vocatum quoque, mox supra innui. Maris idcirco aspectu amœnissimum est, ac aere temperato gaudet. Ejus origo sæculum XVII. non excedit, primus enim illius census MDCLII. in Regiis libris elucet, ac focos 70. animas 200. exhibet. Major Parochialis Ecclesia S. Mariæ de Laureto sacra, Archipresbytero subest cum binis aliis minoribus. Clerus Panormitani Antistitis jura cognoscit. In Panormitana etiam Comarchia constituitur, & proceribus de Bononia paret, qui *Altavillæ* seu *Miliciæ* Marchiones ab anno MDCXXIII. Philippi IV. privilegio sunt vocati; primus enim *Franciscus Maria Bononius* eo titulo insignitus claruit, cujus successores in Sambucæ Marchionibus habes. Est illis gladii potestas, & in Regni Comitiis XXI. locus. Ager frugum, vini, olei, aliorumque terræ fructuum ditissimus habetur, ac pinguibus abundat pascuis.

MILLAYHA Turris in littore post Leocatam, olim Phintiam, cujus meminit Fazellus, ac post eũ Massa.

MILLUSUM BURGIUM. Vide *Menfrix*.

MINOA Urbs vetustissima a Cretensi Rege Minoe nomen sortita, eadem ac *Heraclea* fuit. Consule quę de hac supra expendi.

MINZELCUM Casale in Agrigentino territorio, quod Fridericus Rex Ursoni cuidam sibi accepto, & ejus hæredibus concessit.

MINZILIUSUPH Casale olim, hodie *Medijusum* Opidum, quod vulgo *Mezzajuso*.

MIRABELLA Arx olim ad dexteram Jati fluminis ripam, aliter Bathys, de qua Fazellus.

MIRAGLIA Fluvius, *Amiratus*, & Pons eximius in agro Panormitano. Vide *Orethus*. Vocabulum invenit ab Georgio Antiocheno, Rogerii Regis Talassiarcha, vulgo *Amirato*, qui ex lapide quadrato illum liberaliter extruxit. A Georgio itaque Pons nomen adeptum fluvio communicavit.

MIRAGLIA Mons in Panormitano australis lateris agro; ab Imperatoris Numismate, seu *Medalia*, a vultu nempe hominis lauro insigniti, petrarum prominentiis virgultisque efformato dictus; aliter *Falco*. Vide de eo, ubi de Numismate.

MISERELLA Casale Theutonicis SS. Trinit: a Friderico Cęsare concessum MCCIV. Situm indicat Fazellus ad fontem Resalaymis.

MISERENDINUM Vetus Casale. Consule S. *Margarita*. De eo in *Capibrevio* fuse Barberius.

MISILIBESUM & *Misilindinum* duo erant Casalia sub Sarracenis, hodie diruta, ab opido Sambuca non longe dissita; prope est fons *Cannatelli*, qui Carabim, seu Atym auget. Juris erant Joannis de Incisa Saccensis MCCCXX.

MI-

MISILICANDONUM Ager est, seu tumulus, sub quo præcipuum Orethi Fluminis caput; a Monte Regali M. circiter pass. in occasum abest.

MISILICASSINUM Arx Sarracenici nominis, de qua Fazellus, ad Isburi amnis dexteram, hodie Calatabellottæ. Fuit *Matthæi Maletta*, inde ad *Peraperlusios*, & ad *Lunas*, tandémque ad Moncadas devenit.

MISILMERIS Opidum, Sarracenis *Mesilimir*, Panormo dissidet ix. circiter milliarüs versus meridiē post Bayhariam. Ædificavit, Fazello teste anno MDXL Franciscus de Bosco Siciliæ Locumtenens sub arce ejusdem nominis, quam in rupe edita Manfredus Claromontanus extruxerat; seu magnificentius excitatam voluerat, nam ante Claromontanos Castri *Misilmeris* dominum *Joannem de Calatajerone* Panormitanum sub Friderico II. invenio. Ager tunc, ubi rupes surgebat cum arce, *Villalonga* appellabatur, & in Siculis annalibus celebris habetur, ob insignem contra Sarracenos partam ibi ab Rogerio Comite victoriam, tanta quidem barbarorum strage, uti ne unus superfuerit, qui suis cladis nuncium afferret. Castro Dynastę adjunctum palatium satis elegans, Nec procul cavea ferarum, ubi complures Africę belluę ferocissimę claudebantur. Hortus item Botanicus Catholici nomine insignitus, quem Franciscus Cupanus peculiari libro typis edito descripsit. Major parochialis Ecclesia S. Joannis Baptistæ auspiciis sub Archipresbytero, corpus S. Justi Martyris Calaritani integrum conservat, ac Ducum Sepulchris splendet; ędificiis, cultuque decentissimo subrigitur, & filiales sacras domus VIII. subjectas enumerat, quarum illa Deiparæ de Monte Carmelo Collegium Marianum pro educandis puellis adnexum habet, sub S. Dominici institutis. Extat in

Monte

Monte *Gibilrussa*, de quo dixi, prope Ecclesiam B. Virginis, Carmelitarum primi instituti, sive de Monte Sancto, asceterium, ubi ad professionem alumni Ordinis admittuntur. Spectat Mons cum Conventu ad *Misilmerim*. Hic priscis temporibus Basilianis cessit, subinde ab anno MDXCIV. Minoritanis fratribus de Observantia, quibus recedentibus MDCXXVIII. Carmelitis est datus. Est *Misilmeris* in Panormitana Comarchia, & ad Saccensem indigenæ militiæ Præfecturam spectat. Ducatus titulo gaudet, Philippi III. Regis privilegio, ab anno MDC. Habet Dynasta merum, & mixtum Imperium, uti appellant, in publico Regni Consilio IV. profert votum; & opidi magistratus designat. Ager pinguissimus, & Eleutheri amnis, qui *Misilmeris* etiam appellatur, aquis fęcundatus, frugum, vini, olei, graminis, olerum ferax est, incolisque omnia sufficit. Hi sub Carolo V. exiguo 40. larium numero utebantur, sed anno MDXCV. censa sunt 563. capita. Sequentis sæculi medio foci 240. animæ 1077. Anno MDCCXIII. foci 531. incolæ 2096. ac novissime 2263. descripti. Colunt veluti Patronum pręcipuum S. Justum M. cujus festum ingenti pompa, & vicinorum frequentia, die Dominica IV. Augusti celebrant.

Tenuit arcem inter primos, uti dixi *Joannes de Calataierone*, quod ex Censu Friderici II. clarissime patet; *Joannes de Claromonte* Magnus Seneschalcus subinde sibi vindicavit; *Manfredusque* illius hæres Castelli author Fazello creditur, qui forte in meliorē formam illud redegit. Post *Andreę Manfredi* filii defecitionem a Rege Martino, *Gulielmus Raymundus Moncada* impetravit, sed hic deficiens quoque & ipse, juribus excidit suis, & *Misilmeris* Arcis dominus *Gi-*

libertus

libertus de Talamanca, & Gruę eodem Martino volente evasit. *Ubertinus* filius, & *Gilibertus* junior ad annum MCCCCLXXVIII. possederunt. Hujus postremi abnepos *Joannes Vincentius* MCCCCLXXXV. *Guillelmo Adjuvante Christe* XL. florenorum M. acceptis resignavit. Ab hac insigni gente *Franciscus Boschus* assecutus, Ducatus tesseram impetravit. Ex *Francisco* & Joanna Velasco *Vincentius* jure Joannę Isfar uxoris Catholicæ Princeps, cujus filius *Franciscus II.* Alcantaræ Eques ex secunda conjuge Thomasia de Sandoval *Josephum* habuit, de quo & successoribus egi de Catholica loquens.

MONDELLUS Mons agri Panormitani, mari imminens ad septentriones; Solitarius, nulli alteri scilicet conjunctus, cum statione ejusdem nominis circa radices, & turri specula in supremo vertice. *Montellus* aliter, & *Gallus*, de quo scripsi.

MONS ALBUS in agro assurgens, ubi *Campusbellus* opidulum prope Leocatam. Sunt *Montisalbi* Duces ab anno MDCCX. proceres Sanmartini Raymundetti. Vide *Campusbellus*.

MONS ALLEGRUS, *Andegavium*, & vulgari vocabulo *Angiò* opidulum, cujus supra memini.

MONS APERTUS Opidulum Marchionatus titulo insigne, a *Petro Monteaperto* Resadalis Barone anno MDCXV. ædificatum in S. Laurentii feudo, quod olim *Joannis de Ubertis*, *Scaleri* filii fuit, unaque cum aliis *Aloysio Monteaperto* cessit, *Antoniæ de Ubertis* marito. Ex his *Joannes Gaspar*, unde *Bartholomęus*, qui Cæciliam Valguarneram uxorem habuit, genuitque cum ea *Petrum* nostri opidi authorem, ex facultate, Caroli V. Cæsaris privilegio obtenta MDXXXIII. Fuit ex XLI. Regni viris & Panormi Pretor, filiosque ex Eleonora Speciale habuit Hieronymum, Bartholo-

mæum, & Nicolaum. Improles ille decessit; ex *Bartholomæo* & Lucretia Pugiades ejus conjuge *Eleonora* prodiit, quæ *Petro Monteaperto*, Nicolai filio, consobrino adjuncta, *Nicolai Josephi* mater effecta est, *Montisaperti* opidi ex Philippi III. indultu nuncupat. Marchionis. Hic *S. Elisabethæ Opidi* conditor fuit, de quo in superioribus actum, ductaque in conjugem Elisabetha Valguarnera *Franciscum* procreavit. Ex eo, & Melchiora de Spucches Calamonaci domina *Nicolaus Joseph* II. primus Resadalis Princeps. Distidet *Mons Apertus* ab Agrigento circa æstivum occasum pass. bis м. in colle situs; cujus princeps Ecclesia S. Mariæ Gratiarum titulum refert, in qua & S. Laurentii Martyris opidanorum Patroni sacellum est cernere. Majori suffragantur tres aliæ sacræ ædes, Episcopi Agrigentini Vicario curam gerenti animarum subjectæ. Habet dynasta in Comitiis xx. locum, gladii potestatem, & deligendi ministros jus. Sæculo xvi. census incolarum 617. exhibuit, sequenti lares 198. incolas 710. hoc decurrente animas 817. descriptas invenio. Solo gaudet feraci, arboribus consito frugiferis, vinetis, oletisque referto, tumulis, planisque interspersо, fruges omnigenas ferentibus, armentis denique, ac gregibus gratissimis.

MONS AUREUS Opidum in Agrigentina Diœcesi, ac Suteræ Comarchia, ad Fabritium Pignatelli hodie spectans, dudum ad Aragonios Tagliavias; ortum ante elapsi seculi medium recognoscit, sedetque ad montis cognominis radices circa meridiem. Titulus Ecclesiæ Majoris est Deiparæ Virginis de Rosario, Rector Archipresbyteri gradum obtinet, ac binis aliis minoribus præsidet. Foci in censu de anno MDCLII. descripti sunt 78. animæ 280. Decurrentis seculi

culi anno XIII. lares 369. animæ 1031. nostra hac ætate 1656. Necis & vitæ jus Baroni competit, qui in Regni consessu publico locum XII. occupat. Ager felix est, ac fœcundus, pinguia pecoribus pascua præstat, & venationibus aptus existit.

MONS BONIFATUS ab *Alcamo* olim oppido, & priscis temporibus forte a *Longarico* ejus vertici imposito celeber. De eo in superioribus, ubi de *Bonifato*.

MONS S. CALOGERI, alter Thermis Himerensibus, alius Saccæ impendit. Utrumque descripsi.

MONS CANIS. Vide *Canis Montana*.

MONS CLARUS Ara ad *Caroti* dudum, subinde ad *Turmafici* spectans. De eo inferius, ubi Palmæ oppidum describam.

MONS DREPANI, & *S. Juliani*, *Eryx* Civitas, ita appellata, quod Drepano imminet, & S. Juliano sit addicta, quam supra laudavi.

MONS FRIGIDUS In agro Panormitano circa occiduas plagas, fertilitate celebris.

MONS GALLUS. Consule *Mondallum*.

MONS GERBINUS. Vide *Gerbinum*.

MONS HAZU, & alio nomine *Jatus*. De eo dixi; subdamque hic ex Malaterra: Rogerii Comitis exercitu *Jatum* in monte oppidum expugnatum, seu potius montem ipsum, in quo Sarracenorum familiæ numero ad XIII. habitabant, non levi labore subactum fuisse. Ita Plinii *Jetam* vetustam urbem nonnulli putant, quam affert nummum Philippus Paruta, in antica militem scuto & asta, in postica coronam lauream, cum inscriptione ΙΑΙΤΙΝΩΝ, referentem.

MONS LEPORIS Oppidulum, vulgo *Mongilepre*, in Diœcesi & ditione Monregalensis Archiepiscopi, ad occidentem III. circiter pass. m. distitum, totidemque

a littore situm Castelli Maris recedens. Laribus constabat 138. ex censu de anno MDCCXIII. incolis 456. qui hodie 1038. numerantur. Major Ecclesia B. Virgini de Rosario sacra, unica parochialis, sub Sacerdotis cura, qui Archiepiscopi vices gerit. Turris ab Joanne Vigintimillio, olim Montis Regalis pontifice, ortum cognoscens, multiplici concameratione digna est, quæ conspiciatur, circa quam homines primum congregati; unde *Montis Leporum* fundatio post elepsi sæculi medium. Ager erat Monasterii S. Catharinæ Monialium Panormi, quem laudatus Joannes emit.

MONS MAJOR Opidum, in collium declivi ad occidentem situm, toti circum regioni dominatur; Cephaloedensis Ecclesiasticæ provinciæ pars est, & Comarchiæ Thermitanæ finibus conclusum, Marchionatus honore nobilitatur. Circa XVI. sæculi initia in agro cognomine creditur extitisse; anno enim MCCCCVIII. in Censu Martini I. sub Feudi nomine venit, uti in altero Friderici II. MCCCXX. circiter descriptum fuerat. Tunc ad gentem *Filingeriam* spectare dicitur. Juris enim olim *Vigintimilliæ* quum esset, ex commutatione cum Sperlinga Castro, *Filingeriis* cessit; sed illud rursus MCCCIX. emit ab his *Guarnerius Vigintimillius*, qui veteris Monasterii S. Mariæ sub Benedictino instituto MCCCCXVII. author ex Pirro fuit, & Salvum primum in eo Abbatem voluit. Quo quidem tempore nullam opidi mentionem invenio. Templum majus S. Agathæ Vir. Mart. nomen refert; sed Christi Domini e Cruce pendentis patrocinio speciali incolæ gloriantur; cujus Ecclesiam Josephus Congelosi extruxit. Fratres S. Mariæ de Mercede sub titulo Animarum purgantium anno MDCXXII. coaluisse in *Monte Majori* refert Pirrus, sed defecere. Monialium sub

Imma-

Immaculatæ Conceptionis nomine, & Benedictinis institutis Lucretia Migliacio & Conte Marchionissa circa annum MDCX... in editiori loco fundavit. Reliquæ minores Ecclesiæ VIII. enumerantur. Primus opidi census anno MDCCIII. in Regiis libris fuit larium 303. incolarum 1260. Ex Pirro autem lar: 185. incol: 694. qui decennio ante scripsit. Sęculo decurrente foci 724. animæ 1965. numeratæ, & proximis elapsis annis 3890. Marchionatus denique tessera MDCXXVIII. illi obvenit. *Guarnerius* enim memoratus *Friderico* fratris filio moriens feudum reliquit; hic *Joanni Jacobo* primogenito, qui cum Margarita uxore non nisi fœminas genuit. *Francisca* primo loco nata ad annum MDXCV. tenuit; eamque *Elisabetha* altera soror excepit *Philippo Migliacio* nupta; unde *Mariani*. Ex eo *Gerardus*, qui cum Francisca de Augustino *Mariani* II. pater effectus est. Celebratur *Marianus* ab animi fortitudine & ingenii fęlicitate, rebusque in bello preclarè gestis. Nupsit Mariæ de Bononia, tulitque filium *Gerardum* in armis quoque strenuum, ex quo & Lucretia Conte *Marianus* III. Primus Bauciræ Princeps. Hunc & successores alibi laudavi. Habet Marchio gladii potestatem; in Regni Comitiis loco XIII. votum profert, & Magistratum juxta leges Siculas constituit. Opidi agros fecundissimos frugum, leguminum, ac pabuli feraces, fluminis Torti & Vicarensis aquæ abluunt, quod sub XXXVII. XXXV. longitudinis, ac pene XXXVIII. latitudinis locatur.

MONS MELLIS Opidum, vulgi voce *Mussumelis*, & dudum *Manfreda* a Comite ejusdem nominis de *Claromonte* conditore appellatum. Mons cujus occupat opidum latera, ad Nebrodes, seu Maronem, vernaculè *Maduniam* spectare, & unus ex Ge-

melius creditur Cluverio, sed perperam. Gemelli enim Nebrodis alii sunt, uti adverti, & in Valle Demana fusius expendam, longeque diversi a Gemellis in Mazarae regione sitis, quos a Camerata, & a Rosis hodie nuncupatos, Fazellus affirmat. *Melius mons prope illos* assurgit cum arce magnifica. Montis dominus olim Conradus de Aurea, at quum subinde juris fuisset *Manfredi de Claromonte*, Opidum hic loco opportuno ad austrum aedificavit, arcemque in rupe statuit, quae ruinis undique patens ad ii. ferme passus dissita nunc videtur, & *Claromontanorum* stemmata servat. In ea Procerum Siculorum conventum contra Aragonenses, Bonifacio Papa agente, Manfredus coegit; ubi & Ecclesia stabat S. Georgio sacra, sed nunc Opidi praecipua, & parochialis S. Ludovico Episcopo dicata assurgit magnifica, sub Archipresbytero, cum altero ad Sacramenta administranda deputato, cui filiales, uti appellant, vii. subordinantur. Monialium antiquissimum Pirrus memorat coenobium Deiparae Annunciatae titulo, quod alteri Monachorum S. Benedicti subrogatum dicit, hodie vero nullum est, sed instaurare novum cives contendunt. Praedicatores quoque Fratres ab opidi domino loco, & censibus donatos tradit, ac anno MDLXXVII. deletos. Verum hi rursus recepti sunt, & S. Dominici Ecclesiam occupantes, congrua dote accepta, Deo famulantur, populisque prosunt. S. Francisci Conventuales Fratres ab anno MDLXXIII. Dominici de Tusa divitiis, Comite suppetias addente, juxta Pirrum; sed ex Cagliola MDLXIV. locum occuparunt. Minoribus item Reformatis in S. Mariae de Jesu, Octavii Lanceae Comitis opera, MDCXLIV. designatum est Domicilium; sed hinc exturbati, alibi decens coenobium excitarunt, quod S. Joachimi titulo gaudet.

det. Ecclesia porro S. Mariæ Augustinianis excalceatis cessit. Pro infirmis domus est Hospitalis. Ad puellarum denique educationem Collegium Deiparæ nuper institutum spectatur.

Est opidum Comitatus insignibus ab anno MDLXIV. cohonestatum, Agrigentina Diœcesi, & Suteræ Comarchia, a qua pass: M. IV. circiter dissidet, comprehenditur; ac Deipara de Miraculis Patrona gloriatur præcipua. Sub Carolo Cæsare 917. laribus, incolisque 4111. constabat; mox sequenti sæculo focis 1599. ac incolis 5721. nostra ætate 1590. lar: civibus 5185. qui in novissima descriptione 6560. inventi sunt. Hinc sub vexillis provincialibus equites III. pedites LXXX. emittebat. Protulit viros illustres: Octavium Caracciolum præclaris parentibus ortum, Thermis educatum, ac Panormi inter eximios Jurisconsultos, & causarum Patronos paucis secundum. Præcipuos hic conscendit in foro gradus, & M. R. C. Judex fulsit; Publici juris fecit *Prætoris Curiæ Decisiones*, ac *De Fori Remissione* tractatum. Proregis vices gerens apud Acim decessit. Franciscum Francimare, Joannem Baptistam Bonfontem legalis scientiæ doctrina apprime imbutos, sed poetica laude in primis commendatos; de quibus Mongitore, & alii. Agri felicitas multa est, paucisque decedit; longitudo ad grad: XXXVII. XXX. latitudo ad XXXVII. XXXVIII. decernitur. *Post Claromontanos Reymundus Moncada dominus Montis Mellis* evasit, Martini Regis decreto, cui Agrigentum resignavit. Ob ejus vero desectionem *Jacobus de Prades* Siciliæ & Aragoniæ Talassiarcha, Caccabi, & Calatafimis Comes obtinuit, qui statim pretio unciarum auri CXC. accepto, *Joanni Castellar* Reginæ familiari Valentino dedit; idcirco in ejusdem Martini

censu

censu MCCCCVIII. venit: *Joanne, de Castellar pro Castro Masumelli, & loco Manfride*. Successit *Castellaro Joannes de Peraperstaso* illius sororis filius, Favaræ, Tripis, & Sambucæ dominus, Sed *Fridericus Vigintimillius* non post multum ab eo emit, ex cujus filii dominio *Petrus Campus*, *Joannis* gener opidum vindicavit MCCCCLXVII. *Petri* hæredes sequentis sæculi anno XLIX. *Cesari Lanceæ* Trabię dynastę vendiderunt, qui Comitatus honore auctum voluit. Fuit *Cesar* vir militia strenuus, & pacis artibus insignis, IV. Prętor, patriæque Pater merito appellatus. Ex eo & Castellana Centelles *Octavius* primus Trabiæ Princeps. Vide infra, ubi de Trabia.

MONS NUMISMATIS, seu *Medaliæ*. Vide sup.

MONS PEREGRINUS. De eo dixi sub *Ertlæ* nomine; circa cujus verticem celebris est S. Rosaliæ Virginis crypta, in qua veluti sepulchro illa ad plures annos se condidit. Habes hanc descriptam in meis ad Fazellum Notis.

MONS REFESIUS, aliter *Caprianus* inter Mayhasolum, seu Albam, & Platanim, olim Halycum amnes, assurgit, unde fluentum ad montis radices pręfluens nomen quoque sortitur, qui in Albam sese effundit. De S. Mariæ Monast: dixi; de Opido inferius.

MONS REGALIS Civitas Archiepiscopalis circa occiduas agri Panormitani plagas, ad Caputi montis latera australia sedet, cujus occupat clivum vetus Castellum, volgo *Castellacium* magna ex parte dirutum. Dicitur Siculis *Monregalis*, extenditurque alicubi arduè, plerumque leniter acclivis, totique regioni dominatur, ac ipsam Metropolim Panormum cum agro amplissimo veluti subjectam insigni spectaculo habet, a qua IV. circiter pass: M. abest. Id vero spatii am-

amplissima occupat via, recta quidem ad pedes usque Caputi, hinc, atque illinc annosis, patulisque arboribus, eximiis e marmore fontibus, & suburbanis Panormitanorum procerum, aliisque civium domibus referta; cui lenis subinde ascensus, ultro citroque euntibus, rhedisque satis accommodus ad opidi portam a S. Michaele appellatam succedit. Portæ huic altera imminet, ad montana iter aperiens, quæ Carubella dicitur. Humiles subinde muri ab aquilone opidum claudunt, succeditque ad occasum porta alia S. Castrensis nomine insignis. Ad meridiem arduę rupes civium ædes substentant; excisisque etiam rupibus Archiepiscopale Palatium incumbit, eique adjunctum Ordinis S. Benedicti monasterium. Porta sub palatio ad subjectum fructiferis arboribus cujusque generis consitum agrum ducit, a qua rapidis etiam abruptisque scopulis interjectis, altera, de qua egi porta S. Michaelis non longe distat, unde opidi pomœrium suscepi, quod MD. circiter pass: definitur; Templum tota Sicilia maximum opidi originem dedit circa annum MCLXX. Illud enim Guillelmus II. Rex non sine cęlesti nutu, uti habent historię, cum adnexo Cęnobio extruens, famulos designavit, quibus ad ministeria Monachi uterentur. Regius aliunde Parcus, locus quum esset, ædibus Regiis suburbanis insignis, paulatim auctis famulorum familiis, in opidum crevit, brevique id frequentissimum evasit; nec levia incrementa ex proximo metropolis urbis sito suscepit, adeout primum Ecclesia & Monasterium Abbatię titulum referret, subindeque in Archiepiscopalem Cathedram evehendam Guillelmus ipse curaverit.

Templi structuram Lellus olim, suisque ad Lellum accessionibus Michael Judice ęneis etiam tabulis

integro volumine descripsere, quamvis pro merito vix designari calamo possit; Externi enim parietes solidissimi, eo ornatu, qualem illa ferebat ætas, assurgunt. Propylçum ante majorem januam solis æstivum occasum respiciens, columnis suffultum marmoreis, utrinque turres pro ære campano habet; musivo opere, & tabellis e marmore interius compingitur. Porta ipsa vermiculatim efficta, valvçque ex çre fuso decorem addunt. Porticus item ad aquilonem pronai longitudinem çquat, columnis innititur, porta e marmore Ligustico, Valvç ex çre cernuntur, Alexandri Farnesii Cardinalis & Archiepiscopi opus. Cultus Basilicæ interior splendissimus; duodeviginti quippe Ægyptii lapidis columnis major navis instruitur, parietes ad tectum usque lacunatum, musivis figuris, novi, & veteris Testamenti historias exprimentibus, & pario marmore convestiuntur, in quibus profusissime vermiculato etiam artificio aurum ubique splendet. Columnæ ex eodem lapide minores absidum arcus fulciunt, & porphyreticæ quatuor principem absidem exornant; Sex itidem porphyreticæ & binæ e rubro veteri Organorum podia substentant; pavimentum denique ab ipso Sanctuarii limine magnis e porphyrite tabulis, & tessellato opere, interspersо auro; reliquum vero Siculo & Ligustico marmore constratum effulget. Sanctuarium e porphyrite tabulç etiam claudebant ingentes, quas meliori usu odeis ornandis Ludovicus Camerus Archiepisc. anno MDCLIX. aptandas curavit, Sanctuario clatris çreis munito. Post Chorum, qui olim elegantissimus, sedes, thronusque Regius porphyrite, clatris marmoreis, & musivo cultu insignis spectatur; contra quem sedes alia Reginis, uti aiunt, destinata.

Jam

Jam ala dexteræ absis Divinissimi Eucharistiæ Sacramenti custodia e marmore variegato, auro & argento splendida ornatur, gradus & clatri e marmore etiam, columnæ e porphyrite locantur; succedit Reliquiarum insignium custodia, & Christi Domini e cruce pendentis Sacellum, quod totum e marmore Ligustico dimidii anaglyphi opere, columnis loculamentis, picturis, æreis valvis, venustissimo pavimento, & tholo ad omnem elegantiam superbit. Post gradus altare S. Ludovico IX. Galliæ Regi sacrum, cum conditorio, ubi diu exuviæ ejusdem conditæ, & nunc vas viscera claudens asservatur. Alii insignes loculi ordinatim sequuntur, quos inter cum tabula porphyretica paullo elatus, Margarithę Guillelmi fundatoris conjugis corpus tegit. Templum introeuntibus in sinistra ala contra Baptisterium, S. Joannis ærea statua, stylobati porphyretico ad miraculum insculpta, imposita occurrit; mox S. Castrensis Episcopi magnificum Sacellum cum tholo & abside marmorea, sub qua ejusdem Divi reliquiæ. Contra absidem Ludovici de Torres Cardin: & Archiepisc: qui Sacellum jussit, sepulchrum. Hinc aliud S. Benedicti Sacellum succedit, quod variegato marmore dimidii anaglyphi affabre expolitum Monachi Canonici voluere, ubi nuper Archiepiscopi Jacobi Bonanni nobile sarcophagum videre licet. Respondet eidem alæ in abside ara cum Virginis Deiparæ simulacro, e trunco populeo, uti aiunt, quæ titulum de Populo refert, & veluti Patrona colitur. Ejus loculamentum decens, ac dives, columnisque ornatur e porphyrite. Contra, Guillelmi II. elegans tumulus, Benefactori optimo ab laudato de Torres MDLXXV. constitutus, & pone Guillelmi I. Regis ingens, spectandumque, cum tholo & columnis porphyreticum sepul-

chrum sistitur. Sacrarium huic alæ adnexum ob supellectilem, ornatumque argenteum insigniter fulget. In hac Ecclesia ab ipsis suis exordiis Benedictini Monachi, Canonici designati, munia omnia sacra obeunt, & Pontifici celebranti assistunt; Sacramenta civibus, quum unica sit in urbe, Parochi sex alternatim administrant, qui appellatione tantum Canonici. Alii insuper Præbendati xviii. variis temporibus adjecti cum Almutio festis diebus choro adstant. Habes in novissima Siculorum sanctionum collectione Caroli III. decreta varia, quibus vetera Monachorum jura sarta tecta ille voluit, & quorumdam ausus compescuit. Jam Archiepiscopi conclaves, & aulæ decentes sunt, & amplæ, prospectumque habent jucundissimum in ortum & meridiem ad littus usque Panormitanum. In illis Nobilium ephœborum collegium Franciscus Testa hodiernus Pastor, vir undequaque clarissimus, coegit. Peristylium ad Monachorum usum Ecclesiæ adhærens columnellis musivè elaboratis ccxvi. instruitur. Antiqui & celebris Dormitorii integri perstant parietes, Gothico ornatu insignes, & fornicis pars. Circa Templum & Monasterium turres elevabantur xii ex quibus vii. pene integræ, reliquæ vestigia ostentant. Murus inter easdem turres solidissimus ex parte etiam superest; pro Monachis hinc Canonicis satis accommodæ & insignes intra turrium & muri ambitum sunt ædes, ac pro institutis monasticis aulæ, officinæ, nec non viridaria, & deambulationes. Ante utrasque Templi portas duplex forum amplissimum sternitur, & in occiduo Deiparæ Statua surgit; alterum in septentriones, civium domicilia, & publicum prætorium ambiunt.

Sacras per opidum Ecclesias vetustate, & præstantia

stantia SS. Salvatoris ædes antecellit, in qua Domini Jesu Christi e cruce pendentis simulacrum summa civium pietate colitur, & xxiv. Canonicorum Collegium insigne ex Archiepiscopi Hieronymi Veneri institutione ab anno MDCXXVI. viget. Huic subest S. Mariæ de Horto, ubi devotissima Beatæ Virginis in muro depicta imago a pio rustico homine in Horto inventa, atque huc translata. Sacerdotum una viventium cœtui, quibus juvandi in extremo agone fideles cura incumberet, Joseph Filingerius Panormitanus Sacerdos, a sanctimonia celebratus, domum a fundamentis extructam prope S. Joseph Ecclesiam anno MDCXCIV. in ipso pene opidi centro addixit, quam Franc: Judice Cardin: & Archiep: promovit. Seminarium pro Clericis totius Diœcesis Ludovicus Torres hujus nominis II. anno MDXC. prope Cathedralem erigendum curavit, ac sua divite bibliotheca adauxit; cujus aulas hodiernus laudatus Præsul laxandas jussit. Ex ejus conspectu elegans S. Petri Ædes videtur, a Præbendatis Cathedralis Ecclesiæ Presbyteris peculiariter culta. Ecclesiæ S. Mariæ de Visitatione Societatis Jesu Collegium adnexum est, Alexandri Farnesii opera, in vivis adhuc S. Ignatio agente. Ostentat ille testudinem, totam sacram cellam ambientem, sedetque ad ortum secus viam, qua Panormum est iter. Scholæ ibi omnium disciplinarum juventuti instruendæ aperiuntur. Carmelitanis Cœnobitis locus est designatus ad austrum, Paulo Zamparrone Ordinis Magistro authore MDLXI. decensque Ecclesia sub Virginis Annunciatæ titulo cessit. Sub Palatio extra pomœrium pro Minoribus Capuccinis cellas, sacramque ædem Ludovicus I. de Torres MDLXX. statuit, agellum pro oleribus, aquis irriguum addidit, & in principe ara tabulam

lam Nativitatis Domini elegantissimam, Matthęi Stomi penicillo exaratam collocavit. Pertinet ad urbem nostram S. Mariæ de Rocca Augustiniensium Centuripinæ Reformationis cœnobium ad collis Caputi radices, Hieronymo Venero volente, ac dotem una cum Francisco Rainerio Archidiacono assignante, fundatum. Monialium quoque ordinis S. Benedicti, circa occasum, a porta haud procul, claustrum videre licet, ædemque sacram S. Castrensis nomine insignem. Erexit sub ipsis sæculi XVI. initiis pia fidelium sedulitas; auxit Henricus Cardona Cardin: & Archiep: quumque temporis decursu deficere videretur, Venerus, de quo dixi, in meliorem ampliorem que formam reparatis ędificiis redegit, adeo ut illius conditor passim habeatur. Supra S. Michaelis portam Theatinarum Virginum Domus sub Immaculatæ Conceptionis titulo assurgit, quę anno MDCLXXXVII. auspicia recognoscit, & ultimam expectat manum. Deiparæ Collegium cum elegantissima magnifica basilica SS. Trinitatis titulo post forum majus nuper, hujus nempe sæculi anno XXXVI. Alberto Carlino, moribus Sacerdote dignis prędito, promotore, coaluit; Pauperum puellarum sub B. Marię de Rosario nomine, publicę vię respondens, Gynecęum ab eodem Venero constructum, dotatumque viget. Domus tandem Hospitalis, S. Catherinæ adjuncta, in foro, quod parvum appellant, pro infirmis aperitur, quę alibi quamprimum laxiori situ statuenda.

Totum porro opidum aquarum venis abundat; unica ampla, & perpetua describitur via, ab ortu ad occasum, in quam transversim complures aliæ minores incurrent; ac in IV. diffinditur regiones, quarum vetustiorem a *Puzzallis* appellatam Sarracenos cultores habuisse tradit Lellus; verum Manasterii initia

tia, tenui meo judicio, non excedit, atque ab hujus famulis primo inhabitata passim crevit. Altera de *Ciambre* dicta, seu de *Camera* circa majus templum, Regia suburbana domo olim nobilitabatur. Jam tertia a *Turbis* contra Monasterium ad occidentem jacet, & quarta demum a Præsulum viridario, ibi olim consito, vulgi voce *Jardino* denominatur. Publica rerum administratio est penes Decuriones IV. & Prætorem; gladii jus pro Archiepiscopo Quæstor exercet; Dominus enim ille quum sit temporalis, omnes designat magistratus, quibus vices suas delegat; & Præfectum insuper supremum statuit amplissimæ ditionis, de qua mox dicam. Stemma Sydus refert coronatum. Ager, ubi ad montana se extendit, sterilitate damnatur; sed in plano collis vertice vineis ac frutetis dives, oleisque consitus videtur, ubi vero circa opidum ac sub eo decurrit, aquis undique irriguus, mira fertilitate luxuriat, proximamque urbem metropolim ingenti fructuum suorum copia feliciorem reddit. Commendatur in eo Locus a Venero authore appellatus, gratissimus, ac in deliciis ultro citroque commeantibus, ob perennes, variosque aquarum fontes, merito habitus, ad quem ampla & recta via utrinque arboribus obsita ducit. Hæc novissime per oc. & ultra passus eadem magnificentia producta, ad S. Rosaliæ elegantem Ecclesiam, in tumulo constructam aditum parat.

Hic de *Morregalensis* territorii quàm longe, lateque patentis, finibus, & Archiepiscopatus dote, proventibus, prerogativis non pauca contexere possem, sed ne actum agere videar, brevissime me expediam: Archiepiscopus & Metropolita Catanensem & Siracusanum Antistites, qui olim liberi, suffragantes habet; in Comitiis locum occupat III. & temporalis, uti appellant,

Mon-

-*Montis Regalis*, Busachini, Casalis Græcorum, vulgo Planæ, & aliorum dominus audit; LXX. & amplius sub ditione possidet agros, seu Feuda, quorum fęcunditas vulgaris non est; sed pręcipuè ex pascuis pinguissimis commendatur. Ea hodie fulget dignitate *Franciscus Testa* Nicosiensis patria, dudum Syracusanus Pastor, nunc quoque Summus Fidei in Sicilia Promotor, & Vindex, sacris & humanis scientiis cumulate imbutus, moribus integerrimis, & singulari pietate prędítus, disciplinę Ecclesiasticę tenacissimus cultor, Pręsulum denique absolutissimum exemplar. Est ipse primus & quadragesimus Archiepiscopus, cujus pręcessores *Jacobus Bonanaus*, Pactensis olim Pontifex, & Supremus Siculi Quęsitorum Fidei tribunalis Pręfectus, & Trojanus Aquaviva Cardinalis celebrantur, post editas a Pirro & Mongitore Notitias ad eamdem regendam Ecclesiam destinati, in Catalogum idcirco apud illos non accensi. Sęculo XVI. erant *Monregalenses* lares 996. incolę 5640. Sequentis vero anno LII. lares 1750. cives 7119. Anno MDCCXIII. foci 1790. incolę 5735. & in novissimo censu 8322. Saccentis Militaris Pręfecti nutui equites IX. pedites LXXXVI. *Monregalenses* subdebantur, & Comarchię Panormitanę finibus continentur. Altitudo polaris grad: XXXVIII. VII. longitudo XXXVII. V.

Memorant cives illustres: Antonium Ordinis S. Benedicti Conversum, qui Monasterii servitiis deputatus, humilitatem cum vitę eximia innocentia conjunctam adeo coluit, uti abiectissima munia interdiu sponte obire in deliciis haberet, rerumque Divinarum contemplationi noctes integras daret. Scripsit ejus gesta Alexander Orioles Abbas Casinensis. Paulum Cataniam ejusdem instituti Monachum, & S. Mariæ de

Massa

Massa Abbatem, cujus extant typis edita opuscula Siculis rhytmis exarata. Valuit etiam eloquentia, & historica peritia, suique Cœnobii Chronicon concinnavit, de quo cum laude Mongitorius. Antonium Vinitianum Siciliæ ornamentum, Poesis Siculæ Magistrum, & Latinę suo ęvo principem, Græco Pindaro, Latino Horatio, Etrusco Petrarchæ jure comparatum, scriptisque ubique notum. Franciscum Baronium & Manfredum Philosophicis ac Theologicis studiis nulli secundum, ab Latinæ linguæ cultu, carminum elegantia, & historica facultate commendatum. Ejus ingenii monumenta enumerat Mongitore. Vincentium Turrim Medicis, Philosophicis, & Astronomicis instructissimum. Petrum denique Novellum pingendi arte ad miraculum maxime celebrem, cujus tabulæ ubique summo in pretio habentur. Floruit sæculo xvi.

MONS REGALIS Opidulum in Agrigentina Diœcesi, & Comarchia, a Siculiana iii. pass: m. dissitum, ad Castri Philippi Ducem spectans, australi littori incumbens, novę est fundationis, & originis. Major sacra ædes S. Dominico nuncupatur, cui altera S. Antonini nomine subest. Venerantur coloni Virginem Deiparam de Monte Carmelo præcipuo ac singulari cultu, atque in Patronam adscitam habent; suntque in laribus 130. capita 510. quumque duo inter emporia, Sicilianum, & Agrigentinum constituantur, & agrum pinguem habeant, bonis rusticanis affluunt. In foro Ara extat, ubi Dynastis est decens habitaculum, quod hibernum respicit occasum.

MONS ROSARUM excelsus, Bivonæ supereminens, a Rosis appellatus, herbis suis præcipuam virtutem præstans, quas undique Bothanici confluentes decerpunt, ac colligunt, hominumque valetudini, ac

brutorum saluti accommodas experiuntur. Unus passim creditur ex Gemellis Plinio memoratis; cum altero enim, Cameratæ scilicet monte, æquali prorsus subrigitur altitudine. Ejus est mentio in Quisquinensis cryptæ inscriptione, de qua inferius, ac juris fuit Sinibaldi S. Rosaliæ Virginis Progenitoris. Veteribus denique *Genius* dicebatur, quem supra descripsi.

MONS ROSELLUS Opido Monteaperto subest, ab Agrigento haud procul; ubi arx specula, quam Fazellus a *Monte Rubro* habere nomen scribit.

MONS SARRACENUS Ravannsę opido imminens. Vide *Sarracenus*.

MONS TAURUS Circa Agrigentinam occiduam regionem surgit supra Montem Rubrum, seu Rosellum.

MONS VAGUS Opidum novi nominis cum parochia Agrigentino Episcopo subjecta, binisque Ecclesiis minoribus, Principatus tessera clarum ab anno MDCXLII. Sedet ad Belicis fluminis sinistram in leniter prono solo cum Dynastę palatio; laribusque 361. incolis 971. qui sunt hodie 2155. conflatur. Ejus constat ager *Gipponera*, *Adrigua*, & *Surafina*, feudis, quę olim *Miserendinum* territorium cum aliis conficiebant. *Rutilius Sciortinus* primus homines congregavit elapsi sæculi anno XL. bienniоque post Philippi IV. Privilegio *Montis Vagi* Princeps est dictus, Etruscis, & Siculis Musis delectatus, pacis & belli artibus imbutus, XII. Regni Vir splenduit. Duxit in uxorem Eleonoram Gravinam, cum qua Xaverium, & Hieronymam genuit. Ille florenti ętate vita excessit; *Hieronyma Joannis Gravinæ* S. Michaelis Ducis uxor effecta, peperit illi *Hieronymum*, Regis Aulicum, ex XII. Re-

gni

gui Viris, & Hispaniarum Magnatibus, qui Catharinę Moncadæ adjunctus vixit; unde *Joannes* Dux, hodie S. Michaelis, *Montis Vagi* Princeps, & S. Elisabethæ Marchio. Est opidum in Saccensi Comarchia atque ad Longit: graduum XXXVI. XXXV. Latitud: XXXVII. XL. statuitur. Pingui gaudet, irriguo, ac frugifero territorio, colonisque gratissimo.

MONTES GEMELLI De iis actum, ubi de Camerata.

MORGYNA Vetus Opidum, cujus apud Stephanum fit mentio. Cluverius, animi tamen anceps, ad Morganam, de qua dixi, statuit.

MOTTA S. STEPHANI Opidum, de quo inferius. *Motta*, Sarracenicum vocabulum, Arx in edita, excisaque rupe intelligitur. Hodie *S. Stephani de Bivona* nomine venit. Lucas Barberius *Nicolaum de Calatajerone* illius dominum memorat, a quo *Rogerius Senisius* habuit; Huic *Antonius* filius successit a Friderico Rege MCCCLXXIV. confirmatus. Cujus Nepos *Rogerius* Martino infensus evadens, arcem amisit, *Guicciardus* hinc *de Lisages* Lemovicensis ab eodem Rege MCCCXCVI. obtinuit. Hunc filii *Antonius* & *Andręas* excepere, quibus sine prole excedentibus *Joanna de Larcan* postremi uxor, ex conjugis donatione *S. Stephani Motta* potitur, unde *Antonius Jacobus de Larcan*. Hodie *Joseph Emmanuel Vigintimillius* possidet, Belmontis Princeps.

MOTYA ex antiquissimis insulæ urbibus, Phœnicum colonia, a *Motya muliere*, juxta Stephanum ex Hecatęo, *sic dicta, quæ Herculi indicavit eos, qui boves ejus abegerant. At Philistus castellum ipsam esse tradit Siciliæ, ad mare situm. Gentilitium inde Motyæus*. Memoratur etiam Thucydidi, Diodoro, Po-

lieno, aliisque. Ille, *Motyam*, Panormum, Soleuntem, finitima Elymis oppida Phœnices occupasse, tradit. Pausanias ad Pachynum Siciliæ promontorium *Motyam* statuens, Afros, & Phœnices illius incolas dicit. Natus hinc inter Historicos error; nam alii *Motyam* ad Portum Galli, & sinum Carinensem, alii in insula Fœminarum a Panormo & Soleunte haud procul; alii graviori lapsu in finibus Syracusanis, Pausaniæ testimonio fisi collocarunt. Sed alibi Pausaniam allucinatum ostendi, ac pro *Pachyno Lilybæum* adscribere debuisse. Fazellus autem, & si duas *Motyas* recognoscat, ad Pachynum unam, alteram ad Portum Galli, male Pausaniæ textum intelligit, quem calamo cespitasse planum erat advertere; ad Notum enim, & Africum promontorium vergere dicit, quod de Lilybœo verum esse constat, neutiquam vero de Pachyno, quod in ortum tendit; *Motyam* Afros, & Phœnices habitare affirmat, quod de locis ad Pachynum incongrue asseretur. *Motyam* hinc maritimam, unam fuisse in Sicilia ad S. Pantaleonis insulam in meis ad Fazellum Notis abunde satis probavi, inter Lilybæum, & Erycem, contra S. Theodori caput; uti rursus innuam. Quod porro *Motya* Elymis finitima, cum Panormo & Soleunte dicatur, jure quidem factum; Elymorum quippe regio Entellam, Ægestam, Erycemque ab Trojanis conditas urbes concludebat; *Motya*, Soleuntes, Panormus a Phœnicibus occupatæ, Græcisque infestæ æque erant. Vide, quæ in dictis Notis fuse congessi.

De *Motyæ* ortu, Diodorus tradit cum Thucydide & Pausania, quod primi Carthaginienses condidere. At idem Pausanias in Phocicis ex Antiocho Syracusano, Gnidios authores illius facit, qui mox ab Elymis, & Phœnicibus pulsi sunt. Tempus indicat Cluverius

rius, Olympiadem L. ante natum Dominum MXXX. Ex Stephano & Hecatæo jam dixi, quod *Motya* mulier nomen dedit, Herculis ætate. Id autem si pro vero haberetur, Sicanorum ævo, longe ante Olympiades, *Motya* urbs extitit. Quando demum, & quo casu desierit ignoratur. Consule *S. Pantaleonis Insula*.

MOTYUM Agrigentinorum Castellum. Diodorus lib: 11. *Ducetius Siculorum Dux ductis in Agrigentinorum agrum copiis, Motyum Agrigentinorum præsidio custoditum aderitur*. Et paullo post: *Dum hec ita geruntur, Agrigentini Motyum Castellum, quod a Ducetiano præsidio tenebatur, expugnant*. Quo situ autem fuerit non liquet. Quamvis nonnulli, ubi hodie Narus, *Motyum* locant, aliique ad locum *Vitum Soldanum*, in quo ingentes extant prostrati ædificii reliquiæ, prope Ravanusam constituunt.

MOTHARTA Arx ab urbe Salemi un pass: M. recedens, & a Castro Veterano VIII. *ubi*, ait Fazellus, *ingentes conspiciuntur ruinæ*. Cluverius has esse *Leghi* veteris opidi, cujus meminit Ptolemæus, affirmat. Geographus enim proximè Electhium *Legum* statuit; Electhium vero, conjecturis agens, ubi Castrum Veteranum hodie, stetisse olim putat.

MUCIACCUS Collis prope Leocatam, olim Phintiam, ubi Ecnomum Castellum stetisse credit Fazellus, pass: M. II. habet in ambitu, ingentesque quadratos lapides, ac structuræ veteris monumenta servat. In ejusdem verticis medio fons est, qui rivo in fluvium proximum illabitur. Adjacet autem eidem fluvio pass: M. circiter; Leocatâ vero vix pass: M. II. Ecnomus alibi situs, uti supra ostensum; Rudera hinc in *Muciacco* Phintiæ urbis reliquias esse videbimus.

MU-


MUCLOFA Arx Saraceenica, quam teste Malaterra, anno MLXXXV. Rogerius Comes expugnavit.

MULOTTA Casale, juris dudum *Mariani Capisii*, Dlesis, Comiani, aliorumque Feudorum domini ex Friderici II. Censu.

MUXARUM Arx, *Muthar* Fazello. Vide *S. Angelus de Muxaro*, hodie Opidum. *Muxarum* a Friderico Cæsare MCCXXXII. datum Ursoni Agrigentino Episcopo lego apud Pirrum; Sed an de nostro intelligat, subdubito.


MYRTUS Casale sub Partenico olim, quod Raynaldus Avenellus anno MCXI. Ecclesiæ & Monasterio S. Bartholomæi Pactensi dono dedit.

FINIS PRIMÆ PARTIS.



TOMI SECUNDI

PARS ALTERA.



ADURIS Opidulum, alio nomine *Bonpensiere*, uris est illustrissimæ gentis *Lanceæ*; homines enim primus in agro *Naduri* Octavius Lancea Trabiæ Princeps anno circiter MDCXXX. coegit, ędemque parochialem S. Octavio Mart: sacram voluit, ac aliam minorem adiecit Christo Domino e Cruce pendenti dicatam. Censi sunt, anno vigesimo post, illius lares 131. opidani 405. at decurrente sęculo descriptos lego lares 209. incolas 473. & novissime 474. Jacet in Suteræ Comarchia, a qua pass: M. IV. in ortum hibernum distat; subditurque Agrigentino Episcopo, ejusque Vicario in rebus sacris paret. Situs est planus, solumque fertile, aer non insalubris. Colitur denique a *Nadurensibus* Tutelaris præcipuus S. Joseph, Deiparæ sponsus. Ineunte sæculo XV. *Naduris* feudum *Riccardo de Monte Leone* erat obnoxium, cujus hæredes sæculo etiam XVI. administrabant, uti ex illorum apud Barberium patet catalogo. *Lanceis* subinde cessit, qui jure gladii, & voto in Comitiis XXXII. gaudent.

NARUS Civitas Regia, nobilis, & antiqua; & si perperam Fazellus origine, & nomine Sarracenicam evulget, Monti trivertici ad ortivas plagas sito inhæret, contra Agrigentum, ipsa vero meridiem occasumque respicit; ac pass: ferme M. XII. ab ea urbe, a meridionali vero littore VIII. dissidens, aspectu lęto, ac jucundissimo gaudet, totique regioni dominatur. *Nar* Punica dialecto *Flammam* sonat; eo enim in colle, uti aiunt, specula habebatur, unde flammarum ministerio ad hostium cavendas insidias circumpositę gentes admonerentur. Ibi Geloos statuisse Agragantem Jonicum cum Mario Nigro, & Chiarandano nonnulli

perhibent, annis centum ante Dorici Agragantis conditum. At Motyum Ego cum aliis Agrigentinorum Castellum, cujus ex Diodoro memini, eo in clivo locatum, congruentius adstruo. Antiquam quippe dubio procul stationem sepulchra, rudera, atque ædificiorum vestigia non levia arguunt, quumque de Jonico Agrigento minus constet, de Motyo inanis suspicio non erit. Cives cetero in veterem, & novam patriam suam dividunt, & ad primam spectare arcem, & *Camastræ* Castellum tradunt. Secundam vero Sarracenis adscribunt, sub quibus maxima suscepit *Naros* incrementa, ac nomen sortita est. A Rogerio Comite hinc expugnata, Christianis sacris donatur; Regii mox sanguinis Principibus, aliisque, Claromontanis præsertim obnoxia, in *Demanium* tandem recipitur. Hodie igitur *Fulgentissimæ* gaudet titulo, in scuto idcirco Collem e triplici vertice flammas emittentem refert; Sedem in Regni Consilio occupat xviii. Patritio, Curatoribus iv. Syndico, & Criminum Quæstori regenda committitur. Sed olim Ducem ad Arma, Arcisque Præfectum habebat. Caput est Comarchiæ, Agrigentinæ Diœcesis pars, ejusdemque urbis Militari Instructori equites xxxii. pedites cvi. suppeditabat; sub xxxvii. xv. latitudinis, & longitudinis gradu xxxviii. xxx. sita, temperato utitur clymate, ac rerum omnium affluentia celebratur; Sub Carolo V. demum lares 1496. numerabat, civesque anno mdxcv. 4725. Pirri ævo focos 1629. animas 6426. sed Regiis in libris de anno mdclii. lares 1978. incolæ 7973. censi sunt. Sæculi hujus anno xiii. lares 1978. incolas 7886. & novissime 8755. exhibuit.

Arx vetustissima in ortum, Claromontana adhuc stemmata, quod ab ejus gentis dynastis fuerit instaurata,

rata, conservat, ac toti opido, supremo in vertice posita, imminens, quadratam refert figuram; turres ad latera, & angulos, in quarum una opus horologii, ac pro noxiis tutissimas habet custodias. Major subinde ad austrum in colliculo succedit Ecclesia, Deiparæ Annunciatæ Virginis nomine; Manfredi Claromontani opus, quę Consecrationis insignia referens, sub Prioris regimine, & xxxii. Sacerdotum, Dei famulatum obeuntium cura, pingui dote designata, degit; amplissima scala, ab imis partibus magnificentissime assurgente exornatur, ærisque Campani turri instruitur, Binæ illi Sacramentales Ecclesiæ in suburbiis subiiciuntur, de quibus mox dicam; Altera enim Parochia circa septentriones S. Nicolao Episcopo sacra, Archipresbyterum Rectorem agnoscit, vetusque & ipsa ante Claromontanos viguit, uti & tertia S. Catherinæ Vir: & Mart: auspiciis, iisdem Claromontanis authoribus, quorum adhuc præfert insignia, suo sub *Pręposito* effulget, australisque Regionis curam agit. Extra Leocatæ portam ad pass: cc. longa, & lata via intermedia, S. Calogeri splendida assurgit antiqua Ecclesia. Porta hæc prope *S.* Catherinæ parochiam integra sola perstat, inter męnium reliquias, nomenque habet, quod ad Leocatam civibus iter aperiat. Est S. Calogerus pręcipus *Neri* Patronus, cujus festus dies ingenti pompa cum nundinis celebratur, & signum nobilissimum magno est in honore, antrum denique sub templo ostenditur, quod aliquando eumdem *Sanctum* incoluisse tradunt. Regularium Canonicorum S. *Georgii* in Alga Collegium eidem Ecclesiæ dudum adnexum *Pirrus* perhibet, fundatumque primum in S. Antonii ad iii. ab urbe lapidem, Eugenii IV. tempore; in S. Calogeri subinde translatum affirmat; Sed hodie defecit, ejusque

loco Minoritarum Conventualium cęnobium coaluit. Jam circa eamdem plagam *S.* Mariæ de Jesu suburbium extenditur cum Parochia S. Pauli titulo, a Vincentio Bonincontro Episcopo instituta. Ad oppositam vero in septentriones, aliud *S.* Augustini Casale appellatum, Aloysii de Grua *opera* anno MDLL. extrui cęptum videtur, cujus parochialem ædem alter Agrigentinus Pontifex Franciscus Trahina MDCXXX. S. Erasmo sacram voluit. Ex hoc Casale ad S. Calogerum una perpetua via, mediam percurrens civitatem, describitur, in quam aliæ cum e supremis partibus, tum ex inferioribus deducunt.

S. Augustini Cęnobium, unde suburbio aquilonari accquisitum est nomen, immemorabilis originis, ante Sarracenos scilicet, vulgatur, in colle Eremito, instauratumque haud procul a mœnibus MCCXVII. passim dicitur, ubi non mediocri nunc structura sedet, eidem Patriarchæ & Ecclesiæ Doctori sacrum, quod Andreas Alochus, & Joannes Medici bonis auxere. Succedit temporis ordine Minorum Conventualium celebre Asceterium infra viam, de qua dixi, ędificiis excultum, MCCXXX. juxta Pirrum, & Uvadinguum, Gregorii IX. facultate, a Roderico Palmerio nobili, ac pio viro fundatum. Ex Cagliola autem serius MCCCLXII. Joannis Claromontani divitiis erectum. Huic enim Urbani V. diplomate, quod ille affert, fuisse concessum: ut ad Brycem, Salemi n, & *Notum* Ordinis S. Francisci Conventus constituere libere posset, abunde satis constat. Ditissimum illius sacrarium est; ingens Deiparæ Immaculatæ ex argento signum ostentat. Sternitur ante frontem amplum satis forum ab eodem *S.* Patriarcha appellatum. S. Mariæ de Jesu fratres de Observātia in suburbio cognomine MCCCCXXX.

con-

coaluerunt; quibus Reformati, Francisco Mazarinensi authore, MDXCV. successere. Carmelitis in S. Mariæ Annunciatæ circa extremam opidi oram ad austrum in regione *Lazaretti* datus est locus ab anno MCCCCLXXX. quibus Hieronymi de Guagliardo alumni opera, aurei bis centum annui ex Regio ærario designantur. Capuccini extra urbem humiliori situ ad meridiem S. Cataldi Ecclesiam occuparunt MDCX. circiter ex Pirro; sed juxta Ordinis Annales XX. post anno. Dominicanis laudatus Pontifex Bonicontrus MDCX. ad S. Joannis Baptistæ Ecclesiam supra Leocatæ portam, claustrum suis sumptibus construxit, censibusque adjectis illi consuluit. Societatis Jesu denique Collegium Antoninus Lucchesius *Naronsis* eques MDCXII. congrua dote designata, medio pene opido fundavit, quod ædificiorum mole, & templi sub Conceptionis titulo elegantia satis nobile eminet. Huic forum respondet, ubi Nundinæ habentur; nec procul aliud venale se offert.

Bina Sanctimonialium claustra; S. Salvatoris vetus, dives, & magnum primum, ac Deiparæ Annunciatæ recentius secundum; illud secus Prædicatorum Fratrum Cœnobium, nec procul a Principis templi scala, aliud Societatis Collegio proximum; utrumque vero secundum sæpius laudatam viam sese spectandum præbet, & ab alumnarum religiosa integritate commendatur. Est & Virginum, quæ parentibus orbantur Conclave, Vincentii Lucchesii divitiis ab an: MDXVIII. dotatum, Deiparæ Collegium, Mons Pietatis, & S. Rocchi Hospitalis domus ad infirmorum, pauperumque levamen. Minores demum Ecclesiæ cũ Sodalitiis XX. recensentur. Celebris S. Jacobi de Altopassu ædes, cum adnexa olim altera Hospitali domo, ad Nundinarum forum extabat, Magno Magistro cognominis ordinis sub-



subjecta, hodie Regii Juris Patronatus Commenda, quod Siculos Principes auctores agnoscat. Pene collapsa m Pirrus vulgavit, sed instaurata nova Ecclesia, ac decenter culta videtur, adnexasque enumerat domos S. Jacobi, apud Ennam, Leocatam, Agrigentum, & Nicosiam. Ejus sunt proventus scutata circiter centum. Prior locum habet in Comitiis, & Crucem ac habitum defert. Dignitate fruitur Franciscus Conradus, Monregalensis Ecclesię Archidiaconus. Publici Consilii Basilica olim decentissima, nunc ruinosa, civium nobiliũ ędes non paucę, amplę, & splendidę urbem per spatia exornant, sed hæ potissimum dominis destitutę squallescunt. Ager *Netensis* culturę aptissimus, messes opimas, vindemiasque uberes tribuit, fructus, amigdalas præsertim ingenti copia, olera, mel, pascua suppeditat; inter feraciores denique per insulam recensetur.

Illustres viri Nicolaus Palmerius ex ordine Eremitarum S. Augustini, Orator, Philosophus, & Theologus insignis, Catholicæ Fidei Defensor, ex Catacensi Episcopo in Calabris, Hortæ, & Civitatis Castellanæ. Romæ decessit MCCCCXLVII. Ejus extant opera in Vaticana Bibliot: quorum meminit Fontaninus in Antiq: Hortæ. De eo Ughellus, Herrera, Attardus, aliique. Thomas Ordinis Prędicatorum Episcopus Hipponensis, de quo Pirrus. Floruit anno MCCCCXLVIII. Joseph Lombardus Augustiniensis Magister, doctrina clarissimus, Pactensis Ecclesiæ Pontifex MDLXIX. destinatur; sed fato interpellatus consecrationis insignia minime suscepit. Vincentia Maria Landolina ortu nobilis in S. Salvatoris patrio Cœnobio S. Benedicti Regulam professa, omnium virtutum exemplar enituit; Contemplationi addictissima, humilitatis, & paupertatis cultrix, sed pœnitentia cum primis insignis. Sancte

ibi obiit MDCLXXXIX. Juniperus Minor Laicus Reformatus, Dei Servus præcipuus. Lucas Capuccinus Sacerdos sanctimonia illustris, miris a Deo favoribus honoratus Ennæ MDCLV. piissime decessit. Franciscus Clericus ejusdem instituti summa in Virginem Deiparam affectus devotione, Virginitatis amator præcipuus, aliisque sanctis operibus clarus, III. a sua conversione anno, Virginis ejusdem apparitione dignatus, Drepani in Domino obdormivit. Gaspar Paranymphus Societatis Jesu concionandi munere illustris, sanctimonia, & pietate illustrior. Obiit MDCXXIV. Franciscus Micichè Minor Conventualis vir literis, ac morum probitate paucis secundus; Generalis in Mediolanensi provincia Visitator, & Siculæ Præses. Marcellus Ecclesiastes conspicuus, Marco Antonio Columnæ Proregi a sacris conscientiæ, Siculam rexit provinciam MDCXXXIII. Hieronymus Guagliardus Augustin: Magister, viris principibus ob vitæ candorem, & eximiam doctrinam acceptissimus. Scripsit de Rebus Moralibus. De his Pirrus cum laude loquitur. Balthassar Melatius Minor Conventualis Theologus numeris omnibus absolutus; de Ordine suo, & Romano S. Bonaventuræ Collegio optime meritus, Sacræ Scientiæ, & Historiæ in Sapientia publicus Professor, nec non per præcipuas Italiæ urbes muniis variis notissimus. Romæ dies clausit MDCCIX. De eo Mongitore. Prosper Fabarius S. Augustini instituti monachus & Magister omnibus humanis, ac sacris scientiis apprime instructus, Theses Romæ de his ingenti plausu publicas instituit; Eloquentia plurimum valuit. Græcæ & Hebraicæ linguæ callentissimus fuit; variis supremis muniis inclaruit, tandemque in patria pie, uti vixerat, anno MDCCXV. mortem oppetiit. Lauda-

tur

tur a Mongitore in Bibliot. Sicula. Hic commendat etiam Salvatorem Sacerdotem Capuccinum, qui *Nari* patriæ suæ Historiam ex antiquis tabulariis erutam concinnavit, a Jo: Andrea Massa, & Attardo laudatam. Sigismundum Rossum Societ. Jesu Oratorem & Theologum, Calogerum Caietanum ejusdem Societ. Ecclesiastem, Antonium Trigonam ex Minoribus Conventualibus, & Josephum Caietanum, omnes ob editos libros literario orbi notos. A bellica demum virtute Salvator Palmerina celebris habetur, qui Rogerii Comitis tempore claruit.

Sub Aragonensibus varia *Nari* fortuna fuit; *Petrus* enim *Lancea* ab Rege Jacobo, uti conjecto, in clientelam cum aliis insulæ opidis illam accepit, in Friderici idcirco censu MCCCXX. circiter inito, obnoxius ille pro *Naro*, Calatanixecta, Delia, & Sambuca dicitur. Duas autem habuit Petrus filias, quarum unam *Joanni Infanti* Randatii Duci Friderici Regis filio nuptui dedit. Alteram Artali Alagonæ Regii etiam sanguinis Comiti sponsam assignavit cum *Naro* & Delia. *Joannem Claromontanum Nari* dominum MCCCLXII. lego; & *Nari* tamquam sui juris opido S. Francisci Cœnobium fundasse ex Urbani V. diplomate. Sed anno MCCCLXVI. Friderici III. Regis privilegio *Terram Nari in valle Agrigenti, cum castro, & castrum feudi, seu tenimentum Deliæ ejusdem terræ Nari, quæ fuerunt Nobilis Artalis de Alagona Regni Siciliæ Magistri Justitiarii*, *Matthæus* Claromontanus accepit. Huic in bonis ac dignitatibus *Manfredus* successit, Manfredo *Andreas* filius, ob cujus a Rege Martino defectionem *Guillelmus Reymundus* dynastias assecutus, *Nari* dominus evasit. Verum coacto ad Syracusas Regni Concilio decretum, uti Demanialibus *Narus* accenseatur; quod rursus Joannis Regis *Capitulis* firmatũ est.

NARI

NARI Fluvius ab urbe proxima, cujus abluit fines, & agros, nomen sortitur. Perperam cum S. Blasio, & Agragante a nonnullis confunditur; fontes enim longe diversos habet & ostium alibi ad Puntam albam aperit, ac veteribus *Hypsa* forte appellatur. Duo enim ejusdem vocabuli videntur celebres esse in hac ora amnes; alter hodie *Belicis*, de quo jam dixi, alter *Narensis*. Oritur ergo inter Candicattinum, & Castrum Philippi opida, collemque, cui *Naras* insidet ab ortu & meridie præterlabitur, & aquas, quæ circa eumdem collem promanant, recipit; novis sub Favara exurgentibus laticibus augetur, ac inter Caput album vulgo *Puntabianca* & Agragantis fluminis ostium sese mari adjungit. Hic *Hypsa* Polybii; Agragentis mœnia, quæ occidenti soli opposita, idest, quæ celebris illius urbis latus orientale ambiebant, præfluens; quod alibi adnotavi.

NEBRODES Mons, *Madonia* vernaculè, ad cujus occiduas radices sunt Himeræ fluminis fontes, sedentque Politium civitas, & Rahal-Joannis Arx, nonnullis in Mazaræ valle statuitur; Himera enim eamdem definit vallem; Politium, & Rahal-Joannes intra illius clauduntur sinum. At enim ad Demanam *Nebrodem* spectare constat, de eo idcirco alibi.

S. NICOLAI Arx ad littus surgit inter Thermas & Turres, quam *Thomas Crispus* Panormitanus, Fazello teste a fundamentis extruxit, annis circiter ab ejus ætate centum, circa sæculi xv. scilicet initia. Cætaria sub hac arce, ejusdem nominis in Censu Martini I. juris *Orlandi de Grasseo* dicitur, cui forte *Crispus* successit. De Thoma idem Fazellus scribit Dec: 2. lib: 9. cap: 8. Catholicæ Princeps hodie possidet a Crispis jus habens.

S. NICOLAI PARVI Arx sub colle Soloento in Panormitano littore ad ortum, post Zaffaranum promontorium.

S. NICOLAI Insula, seu scopulus, jacens contra Fluminis parvi, *Fiumeli* aliter, ostium post Leocatam, jactu fundæ a littore recedit, & priscæ habitationis indicia servat, Navigiorumque stationem habet. De ea Fazellus.

NIXUS fons Panormitani agri circa septentriones, supra Archiepiscoporum hortos ex Fazello: *Fons est ingens a Nixe dictus, quem ad sagittæ projectum præclarus sequitur fons Gabriel.*


NOCILLA Fluvius, S. Cataldi alio nomine a proxima ęde eidem sacra, ab hostio haud procul. Oritur ex fonte Renda, aliisque auctus aquis, *Nocille* vocabulum ab hospitatoria taberna suscipit, peractoque III. pass. M. cursu in sinum Castelli Maris circa occidentem se exonerat.

NUBIA Turris specula in promontorio cognomine, inter Drepanum & Birgis fluminis ostium. Ejus meminit Fazellus.

S. NYMPHA Opidum a præcipua Patrona, & parochialis Ecclesię Tutelari appellatum, ineunte sęculo XVII. in agro *Rabifiro* ad Partanæ ditionem spectante conditum; ab urbe Salemi, cujus clauditur Comarchia, haud procul; Marchionatus insignibus ab anno MDCXXI. decoratur, atque in leviter declivi sedet solo. S. *Nympha* princeps Ecclesia Archipresbytero commendatur, minoresque alię numero quinque; sed S. Annæ adnexum habet Tertii Ordinis Minorum cęnobium MDCXXII. Bartholomęi Cotronæ ejusdem instituti opera fundatum. Sunt ejus hodie lares 826. cives 3579. Pirrus autem sua ætate lares 148. incolas

676

676 descriptos refert, sed in Regiis libris fuerant anno MDCLXII. enumerati foci 413. incolæ 1618. *Adrianus Papè* illius erat dominus, & primus homines congregaverat, vendiditque *Aloysio Arias Giardina*, qui primus Marchio dictus est; atque ex uxore Maria de Guevara Didacum & Ursulam filios habuit. Hæc a Patre hæres relicta, Mario Bellacera & Cangeloso nupsit; unde *Simeon*, qui gentis *Giardinæ* nomen & arma assumpsit. Huic sine prole obeunti successit frater *Joseph*. Hunc ejus & Sylviæ Libri filius *Simeon* secundus est assecutus. Hunc *Petrus* frater excepit, ex quo & Stephana de Rosa *Joseph* prodiit, florenti adhuc ætate mundo exemptus. *Eleonora* soror præferri *Aloysio Gerardo Giardina*, ex primo stipite oriundo, postulavit, sed caussa excidit. *Aloysius* nihilominus *Friderico Neapolis Eleonoræ* marito, Rabaliutanę Principi congrua accepta pecunia, attribuit. *Aloysius* porro a Didaco repetens genus, senioris Aloysii Arias filio, Ficaratii Princeps evasit, & Juliæ Massæ adjunctus *Didacum* genuit hodie S. *Nymphæ* Marchionem. Jacet Oppidum sub latitudinis gradu XXXVII. XLVII. ac longitudinis XXXVI. XXXII. Colitur in Majori Ecclesia os brachii S. Nymphæ V. M. Panormitanæ, quod *Fridericus Neapolis* Roma detulit anno MDCCXXIX. e Sacrario S. Mariæ in Montecelio eductum. Habet Marchio gladii potestatem & in Regni Consilio locum XXIII. sedet. Nymphensis Vir Clarissimus nuper floruit Joannes Sinacori Tertii Ordinis S. Francisci Generalis Minister; Hunc eo supremo gradu dignissimum vitæ, ac morum integritas, in rebus agendis prudentia, atque omnigena doctrina effecerunt. Ager denique fertilitate præcipuus, frugum, vini, & pabuli dives; multo cum fœnore colonis labores rependit.



LEASTRUM Opidulum *S. Mariæ de Oleastro* aliter appellatum, in *Casacca* feudo conditum, quod *Marcus Mancinus* a Vincentio Bononia Marinei Marchione, ineunte sæculo XVII. emit, cum facultate congregandi homines. Sedet illud circa Aquilonem in collis vertice, quem læta planities extendit, distatque ab urbe Panormi passuum XVII. in cujus diœcesi & comarchia comprehenditur. Ortum anno MDCX. circiter recognoscit, Patrono gloriatur S. Antonino de Patavio, cujus est festus dies celebris, parochialemque Ecclesiam Deiparæ sacram habet cum Archipresbytero. In ea insignis tabula Virginis de Monte Carmelo, Alberti Duri opus, & aquæ baptismalis fons ex integro lapide Cydonio. Tenuit laudatus *Mancinus* ad annum MDCXXVII. quo fatis concedens, *Trojanum Parisium* Milocca Baronem heredem dixit, onere assumendi nomen & arma, adjectisque *Trojanus* hinc *Marcus Mancinus* II. est appellatus & a Philippo IV. Marchionis insignibus MDCXXVIII. donatur. Ex eo & Antonia Septima *Simon*, qui *Marcus Mancinus* III. Hic sine prole decedens fratrem *Hieronymum* heredem reliquit; Ducta in uxorem Joanna Colnago *Hieronymus*, *Franciscum* procreavit, unde *Cajetanus Maria*, Dominicæ Caracciolo maritus, quorum superest filius *Franciscus Parisius*, *Marcus Mancinus* VII. *Oleastri* Marchio. Sunt lares hodie 67. animæ 162. Sed in censu de anno MDCLII. lares 100. opidani 351. numerabantur. Habet dynasta merum mixtumque imperium, & in comitiis votum XXX. Sub XXXVIII. latitudinis, & longitudinis XXXVII. XVI. constituitur,

tur, ac fecundo utitur solo. In proxima hospitatoria taberna a Lignis appellata, fons est, cujus aqua thermalis; hinc illa a Balneis etiam dicitur.

OLIVA. In Antonini Itinerario *Locus ad Olivam* memoratur a Lilybęo xxiv. pass. m. dissitus, & Cluverio Salemis urbis situi convenire dicitur. *Feracissimus*, ait, *sane est arborum frugiferarum, & maxime olearum ager Salemitanus*.

OLULIS vetus Opidulum ex Ptolemęo inter Soloentum & Himerenses Thermas, juxta alios a Soloento haud procul. Cluverius, & Hophmannus corruptā esse vocem apud Geographum autumarunt pro Soloen.

OMPHACE Castellum priscæ ætatis a Dędalo constructum. Pausanias in Archadicis: *Quum Dorienses in Siciliam transmigrarent, Antiphemus is, qui Gelam coloniam deduxit, Omphace Sicanorum opido direpto, simulacrum a Dędalo fabricatum, Gelam deportavit*; Et in Bęoticis de ejusdem Dędali operibus loquens, illa memorat, quæ in Sicilia ab Omphace Gelam deportata fuere. Subdit hinc Cluverius: *Hoc Opidum Omphace, quia nulli aliorum scriptorum memoratur, tum quia simulacrum illud in eo opus fuit Dedali; nihil sane veri est similius, quam Cocalum hoc voluisse, ut eximii artificis monumentum, in nova sua regia cum regiis opibus collocaretur; nempe in ea, quæ ab ipso Dędalo extructa, postmodum Agrigentinæ urbis fuit arx; hancque ab initio, antequam a Græcis occuparetur, dictam fuisse Omphacem*. Ex hoc igitur authore, *Omphace* a Dędalo, Cocali jussu extructa, arx ea munitissima fuit, ubi regios ipse thesauros custodiret, quæque Agrigenti postmodum arx fuit ex Diodoro, & Polybio alibi descripta. At enim quum Agrigentina Arx Camicus fuerit olim, ex Pa-

ncratio,

neratio, & Cluverio, uti suo loco expendi, *Omphace* Pausaniæ, eorundem judicio nonnisi Camicus esset dicenda. Carolus Philibertus Pizzolante Cluverium a vero aberrasse in Camici, & *Omphacet* situ statuendo, multis ostendit; immo Cluverium sibi non constare clarissime evincit. *Omphaces* nihilominus situm sibi ignotum profitetur, & si Camicum ad Castellacium non incongrue ponat, ubi Dędalium stetisse conjectavi.


ORETHUS Fluvius in agro Panormitano, *Habes* sub Sarracenis, *Amiratus* Northmannorum ævo, a magnifico ponte, quem Georgius de Antiochia Rogerii Talassiarcha super ejus construxit ripas, prope S. Michaelis Ecclesiam, quam idem Comes extruxerat in loco, ubi Divino nutu admonitus, de victoria contra Sarracenos indubiam assumpsit spem. Pons hinc, & fluvius veluti insigne adscitum ab equitibus, quos contra eosdem barbaros Rogerius ordinavit. Vibius in Fluminum Catalogo: *Orethus Panormus Siciliæ*. Polybius & Diodorus eumdem memorant, sed sine nomine. Ab auro hinc, qui *Orethum* appellari passim credunt, vulgari opinioni nimis deferunt; Italis enim Aurum dodie dicitur *Oro*, nec Vibius ab Auro *Orethum* nominasset; Minus Græci, penes quos Aurum *Chrysos* vocatur; S. Mariæ de Oretho Ecclesia, a flumine nomen accepit, non ipsa flumini dedit; is aliunde titulus paucis ab hinc, ab adventu scilicet Sacræ domus apud Picenum, Deiparæ appictus. Ab *Oros* græca voce, Latinis *Mons*, congruentius deducitur; habet enim fluvius in montibus ortum. *Oretho* Punicè ex Bocharto *Liber* sonat; An Pœnis, qui diu Panormum tenuerunt, debeat fluvius, quod *Orethus* dicatur? Oritur porro ex duobus fontibus *Missilicandone*, & *Fravetto* supra Montem regalem, sub quo opido


opido, *Fluvius latus* appellatur; augeturque Parci novi aquis, in valle sub Meccino colle; hinc S. Spiritus vetus Cisterciense præfluit cœnobium, moxque aliud Minoritanum de Observantia S. Mariæ de Gratia titulo, ubi ponte traducitur. Non diu post pons alter, quem impetus aquarum dudum disjecit, unde *Pontis rupti* nomen *Oretho* obvenit; quod, illo refecto, adhuc retinet. Succedit haud procul a mœnibus Pons *Ammirati*, ac ipso in littore, ubi ostium aperit, postremus subrigitur, a proxima S. Brasini Ecclesia appellatus. Colligitur a prima sui origine ad ostium pass: circiter m. v. alveo, ut plurimum profundo, cephalis, anguillis, aliisque fluvialibus piscibus dives. Celebris est ob partam circa illum contra Pœnos Metelli Romani Consulis victoriam, rursusque seris temporibus, MXXXVIII. Christi anno, ob relatum de Apollopharo Sarracenorum Rege a Georgio Maniacio triumphum.

OSTEODES insula. *A Solunte*, inquit Plinius l. 3. cap. 8. LXXV. *millia Osteodes, contraque Paropinos Ustica*. Tabula Itinerum insulas supra Siciliam ab occasu in ortum describens *Osteodem* reponit primam. Ptolemæus Usticam locavit, a freto, & Æolias insulis versus Lilybæum progrediens. Diodorus denique; *Post Liparam ad occasum versus in alto mari insula quædam est parva, atque deserta, Osteodes ab eventu quodam dicta*. Mela autem perperam inter Æolias VII. enumerat; cui Fazellus adhæret. *Est hodie*, scribit Cluverius, *circa Usticam hoc maris tractu*, inter Æolias nempe & Soloentum *exigua quædam insula, quam Osteodem esse satis clarissimè apparet*. Nomen unde habuerit docet idem Diodorus lib: 5. Erant inter Carthaginensium milites mercenarii ad VI. M. qui quum stipendia non acciperent, concursu primum facto, in-

fanis

fanis clamoribus ductores impetebant; deinde se remis jus suum persecuturos minabantur, manusque ducibus injiciebant. Tametsi autem a Senatu ob id reprehenderentur, contentio tamen magis exarsit. Tribunis ergo militum mandavit secreto Senatus, ut quod seditiosum esset, e medio tollerent. Hi statim conductitium militem navibus imponunt, ac veluti ad militare aliquod negotium in insulam prædictam provecti, jurgatores exponunt, relictisque illis abeunt, qui fame tandem exhausti, contabuerunt. Cumque in insula tam parva tot veluti captivi interiissent, locus, ceteroqui angustus, ossium multitudine repletus fuit, unde nomen insulæ obvenit. Hæc ille.




ACHECUM Opidulum, *Paccinu* Siculo ore, nomen a Teresia Pacheca Villenæ Marchionis, Siciliæ Proregis nepte, *Placidi Fardella* S. Laurentii Dynastæ uxore accepit, ejusdemque Placidi opera elapsi sæculi anno VII. originem cognovit; in agro ad III. pass. M. ab urbe Drepano circa austrum post S. Laurentii fluentum. Pirrus Parochialem Ecclesiam S. Mariæ titulo ab opidi authore fundatam dicit, cujus etiam opibus S. Francisci de Paula cœnobium coaluisse affirmat; Sed Christi Domini e Cruce pendentis nomen illam referre alibi lego, quod sit hic præcipuus opidi Patronus. Principatus gaudet honore ab anno MDCVIII. Philippi IV. privilegio, eodem *Placido* agente, qui variis quoque Militiæ muniis, & civilibus dignitatibus fulsit, auctusque ex Teresia Joanne Francisco, & Emmanuele filiis, in patria Drepano extrema vidit. Excepit illum *Joannes Franciscus*, qui cum Topatia Gajetano Placidum in ipso ætatis flore mundo exemptum, Mariam & Antoniam habuit. Has loco cedere *Emmanueli* Joannis fratri in foro judiciali coactas anno MDCLXIII. publicę docent tabulę. At quum ex conjuge Isabella Basi prolem hic non accepisset, *Maria* neptis *Aloysio Sanseverino* Bisignani Principi nupta, in maritum jura transtulit sua. Ex his *Joannes Leopoldus*; unde *Aloysius* & *Nicolaus*. Ille dynastiis satis amplis in Neapolitano Regno contentus, *Nicolai* favore nuper anno scilicet MDCCXII. Siculis cessit. Est hinc *Nicolaus Sanseverinus* Pacheci Princeps hodie, S. Laurentii Marchio, gaudetque gladii potestate, & locum in Comitiis XX. obtinet. Tribunus Militum *Ni-*

colaus fuit, cui muneri nuncium remisit. Censi sunt opidi lares 216. anno MDCLII. Incolæ vero 687. Ex Pirro 161. 579. sed nostro hoc sęculo sunt foci 236. animæ 817. & novissime 1239. Sub gradu XXXVI. XV. longitudinis, & latitudinis XXXVIII. sedet; Minores Ecclesias duas enumerat, & Principis palatio decoratur.

PACONIA Insula a Ptolemæo inter Ofteodem & Siciliæ littus locata; adeoque illa fœminarum creditur Cluverio in sinu Carinensi, de qua dixi.

PALATIUM ADRIANUM Opidum. Nemoris Adriani supra memini, quod inter Prizim & Bivonam situm dicit Pirrus, ubi vetus S. Mariæ Monasterium a Guillelmo Rege ex voto ædificatum. Haud dubium idcirco, quod nomen ab eodem nemore opido nostro fuerit appictum. Perperam hinc Adranum, sive Adranum Diodoro memoratum castellum, nonnullis creditur, quod inter Segestam & Magellam stetisse alibi ostendi. Northmannorum ævo, quamvis Prizis Matthæi Bonelli, viri Principis opera extructi memoria extet, nulla tamen Palatii elucet. Cisterciensi Monasterio S. Angeli titulo, quod subinde Guillelmus Matthæi frater fundavit, agrum, ubi postmodum *Palatium Adrianum* surrexit, fuisse attributum non dubito. Illud enim Casęmaris & Fossænovæ ejusdem ordinis Cœnobiis adnexum Romanus Pontifex quum voluerit, nostrum opidum juris eorumdem sæculo XIII. invenio; Anno hinc MCCXIV. Friderici Cæsaris, & Siciliæ Regis privilegium refertur in Capibrevio Eccles. quo Casęmaris Abbas Casali quodam donatur, quod hodie *Palatium Adrianum* esse affirmat Pirrus. Sequentis sæculi anno III. Joannes Valecta, Manfredi Comitis filius Prizis castrum, ejusque jura, ac *Palatium Adrianum* inter alia, Monachis e S. Angeli Monasterio

nasterio exturbatis, occupavit, cujus hæredes ad Friderici III. tempora tenuere. Rex enim hic circa annum MCCCLXXXI. suis præcepit literis apud Syracusas, uti Bona Monasterii ob bellorum turbines a viris nobilibus usurpata redderentur. Martinus nihilominus & ipse Rex *Geraldo de Millares* Regii stabuli Magistro anno MCCCXCII. concessit, Prizum vero, uti suo loco reponam, Raymundo de Aprilia assignavit. *Geraldus* porro *Bartholomæo Rubeo* Syracusano a Regiis rationibus florenis III. M. acceptis *Palatium* mox vendidit, quod ad *Nicolaum de Abellis* mox devenit; unde in Censu ejusdem Martini de anno MCCCCVIII. dicitur hic *Palatii Trianæ* dominus. Verum Thomas de Asmari Catanensis Electus, mox Fossænovæ & Casæmarii Abbas, Apostolicas exoravit literas de anno MCCCCXVI. pro Castri Prizii, & terræ *Palatii Adriani*, aliorumque bonorum revocatione, quæ male tunc ab *Raymundo de Albellis* Nicolai filio possidebantur. Excepisse Thomam Pontificis Romani rescripto Bernardum de Maja Ordin: Prædic: Dertonensem Episc: natione Siculum invenio, qui Alphonsi Regis literis confirmatus, per suum Procuratorem ad Emphyteusim, uti ajunt, *Joanni Villaraut* fratri Prizium & *Palatium* MCCCCXLVIII. concessit, onere adjecto solvendi auri uncias XXXVII. & pro *Palatio* singillatim decem.

Aliquot elapsis annis Albanensium Coloniæ nostrum adauxit *Palatium*. Græci enim e patria profugi, sedes in Sicilia LXXXVIII. sæculi XV. anno quærentes, ibi una simul cum antiquis oppidanis inhabitarunt. Tunc ad Abbatem revocatum e manibus Villarautæ gentis oppidum conjecturæ suadent; altero & vigesimo quippe post anno Paulus Æmilius Ursinus Casæmarii, & Fossænovæ Præsul fiduciarius, Rom: Pontificis, Re-

gisque indultu *Obicio & Attilio de Opplainghis* Pisanis, Panormi agentibus pro aureis ccl. annuatim solvendis, ad Emphyteusim illud tribuit; Fulviusque Ursinus Pauli successor MDXLIX. *confirmationem unionis Monasteriorum Casemarii, & Fossanove perpetuamque incorporationem cum Casale Palatii Adriani* a Paulo III. Pontifice obtinuit. Quum autem sub Fulvii successore Hieronymo de Cartanella *Franciscus Oppezinga* Opidi dominus, juris Regii Patronatus prætextu, censum pendere recusasset, in judicio caussa excidit, & ad pactiones emphyteuticas de more MDLXXIII. sese obstrinxit. *Petrus* Francisci filius, Ordinis de Alcantara Eques, militari gloria clarissimus, Gallias, Hispanias, atque Italiam sua fama implevit, cui *Papinius* successit, & huic *Marianus*, a quo ob Canones non solutos opidum *Petrus Aldobrandinus* Cardinalis, & Abbas revocavit. Excepit Petrum *Franciscus Barberinus* Cardinalis & ipse, penes quem, & alios post ipsũ opidi dominiũ stetit, ad Joan-Dominicum Parracianum, qui novissime Abbas Casemarii, & Fossenovæ adlectus, ac Purpuratis patribus accensus *Vgoni Naterbartolo* Malfitani Marchioni rursus *Palatium* concessit censu annuo reservato, quo mortuo, *Placidus* Ugonis nepos Villæ Rosæ Dux, hodie in vivis agens obtinuit. Abbas cętero in Siculis Comitiis vocum inter Ecclesiasticos proceres XXXVII. profert.

Distat *Palatium Adrianum* a Prizio IV. circiter pass. M. in austrum, solumque ad eamdem plagam, & ad occasum acclive occupat, circa Isburi fluminis fontes, cui agri sui fertilissimi, & frugum omnis generis feracis aquas longe copiosas adjungit. Parochialis ejus Ecclesia, ubi Græcus viget ritus, Deiparæ Virgini sacra, minores habet duas suffragantes. Sed &

La-

Latina Parochia B. M. de Monte Carmelo nomine insignis, binis quoque minoribus sacris ædibus jura dat. Utrique proprius præest Archipresbyter, sed Agrigentini Episcopi partes, ad cujus spectat Diœcesim, Vicarius gerit. Ibi olim Carmelitæ degebant Fratres, uti Pirrus testatur, qui desecere. Conflatur hodie laribus 965. incolis 3732. sed erant illi anno MDCLII. ferme 908. cum opidanis 3106. Ex Pirro autem adnotantur foci 752. cives 2841. Sub Carolo V. erant lares 934. incolæ 1944. In Corileonis Comarchia & Saccensi Militari Præfectura computatur, peditesque XLII. equites III. sub signis emittebat. Ejus est latitudo grad: XXXVII. XLV. longitudo XXXVII. V.

PALEOPOLIS Pars illa urbis Panormi, quę cęteris vetustior, eo vocabulo a Græcis est appellata, & a Neapoli discernebatur, sive a recentiori, quę antiquæ superaddita Polybio & Diodoro testibus. Sita autem *Paleopolis* in illa terrę cuspide, quam utrinque mare, seu portus dexter & sinister ambiebat, ab S. Antonii hodierna Parochiali Ecclesia, ubi propugnaculum, ad Regium usque Palatium, firmisque męnibus & portis muniebatur.

PALMA Opidum recens, *Albæ Villæ* ex Pirro. *Mons Clarus* aliter, haud procul scilicet ædificatum ab arce *Montis Clari*; quæ collis jugum occupans prope australe littus jam a sæculo XIV. sub Aragonensibus, Claromontanos authores recognoscit, eorumque vocabulum refert. Ubi & Camicum vetustissimam urbem stetisse olim nonnulli perhibent. Memoratur Aretio *De Situ Siciliæ* & aliis. Barberius prope Leocatam *Manfredi Claromontani* juris fuisse affirmat, ob cujus filii *Andreæ* a Martino Rege descitionem *Raymundus de Moncada* obtinuit; subindeque *Joannes de Crisso*, sive

de Giffo, ac eo fine filiis decedente, *Palmerius de Caro* Miles ejufdem Principis privilegio ob eximia gesta MCCCC. est allecutus. Palmerii filius & heres *Joannes*; ex quo, & Elifabetha Pugiades *Calcerandus*. Hic cum Blanca Aragonia *Joannem* genuit MDXIV. *Montis Clari* dynastam, & Eleonoræ Vigintimilliæ maritum; unde *Franciscus* prodiit, qui Margarithæ de Aretio conjunctus *Ferdinandum* edidit; hujufque & Annæ Celestis proles *Francisca*. Hanc fibi defponfavit *Marius Thomasius* cum dote *Montis Clari*, unde *Ferdinandus*, ex quo & Isabella Restia *Carolus* opidi *Palmæ* fundator circa annum MDCXXXVII. Sub Marii Patrui cura relictus *Carolus* optimis moribus fe commendavit, adeo ut brevi mortalium non pauci cum familiis ejus fub tutela confugerent, & novæ coloniæ nomen darent; hinc tribus vix lustris elapsis laribus 473. civibus 2420. uti Regii habent libri de anno MDCLII. brevi coaluit; hodie vero 1227. focos, animas 5535. enumerat, quæ anno fæculi hujus XIII. censæ funt 4478. Pirrus vero, qui tertio a fundatione anno fcripfit, lares 38. colonos 152. computat, eumdemque Carolum Ducis *Palmæ* titulo donatum refert, quod Mongitore confirmat, quamvis Caroli fratrem *Julianum*, de quo inferius, ea auctum dignitate Eruditiffimus *Siciliæ Nobilis* author Emmanuel evulget. Est Palmæ fitus amœniffimus in tumulo meridiem refpiciente DC. circiter paff: ab ora maritima diffito. Rectis viis, & amplis defcribitur opidum, propugnacula contra barbarorum incurfiones oftentat, & turrim fpeculam, quam Castellacium appellant. Elegans Dynastæ palatium præcipuo in loco. Major parochialis Ecclefia, in qua S. Alipii Martyris coluntur exuviæ, magnifica, cum fuffraganeis minoribus decem fub Ar-

chipresbyteri

chipresbyteri cura, & Agrigentini Pontificis Vicario, Deiparæ Virgini sacra est, cujus nativitatis diem festum cum nundinis sollemni pompa incolæ celebrant. Montis Calvarii Eremus pro clericis in clivo sedet; Puellis pauperibus custodiendis conclave congrua dote gaudet; uti & egenorum Valetudinarium, & Pietatis Mons Julio Duce institutore; Scholarum Piarum Collegium decurrentis sæculi anno xii. coaluit. Sed insigne Monialium Ordinis S. Benedicti Monasterium S. Mariæ de Rosario titulo, nedum ædificiis, sed singularis sanctimoniæ opinione splendet, in quo religiosæ perfectionis tyrocinium Ven: Maria Crucifixa, ejusque soror Maria Lanceata, aliæque illarum sodales inchoarunt, atque ad pietatis apicem pervenere, uti gesta per illas satis declarant. Sed jam de Ducibus reliqua prosequor: Carolus enim vix inita Ducatus possessione, mundo renuncians, Clericis Teatinis accenseri voluit, quos inter doctrina & puritate morum enituit adeo, uti incredibile videatur unum hominem tot libris exharandis suffecisse, virumque principem tam constanter, & impigre omnibus asceticæ vitæ exercitiis inhæsisse. Excepit fratrem *Julius*, ejusque virtutes æmulatus, sęculi miraculum evasit, Eques S. Jacobi & primus Lampedusæ Princeps est dictus, cujus hæredes & alios alibi laudavi. De Carolo & Julio in *Biblioт: Sicula* Mongitore pręclara commemorat, editosque ab illis libros recenset, ex quo Ego de Ragusa loquens nonnulla excerpsi.

Surgit in littore ad *Palmam* spectante xii. pass: m. extenso circa Balatellæ stationem Arx tormentis bellicis munita, a S. Carolo nomen habens, quod Caroli scilicet mox laudati auspiciis fuerit condita. In eam paucis ab hinc publica horrea e Montis Clari

ca-


castello translata sunt. Ager opidum circumambiens late patet, & fęcunditate præcipuus, frumenti aliarumque frugum ditissimas messes suppeditat; pascua armentis pinguia prębet, palmis ubique sylvestribus consitus, unde vocabulum novę coloniæ factum est, venationibus aptissimus evadit. Fontes cęterò copiosi & frequentes soli ubertatem augent; nec aquæ desiderantur salubres, quas inter celebres illæ Mintini laticis, quibus haustis noxia animalia pereunt. Aretius rubri sulphuris mineras celebrat. Est Palma in Narensi Comarchia, ad latitudinem grad: xxxvii. viii. & longitudinem pene eamdem.

PALUMBA Opidulum in Panormitano itinere occurrit. Vide *Roccapalumba*.

PALYMITA Urbs vetus, Elyma ex Fazello dicitur in editi collis plano jugo imposita. Consule *Elyma*. Cluverius ad *Palymitam* olim stetisse Parthinicum affirmat.

PANORMUS Siciliæ Metropolis, Sedes Regis, & Archiepiscopatus titulo illustris; scriptoribus omnibus cum vetustis, tum recentioribus celebratissima, situs amęnitate, amplitudine, Civium excellentia, incolarum numero, ędificiorum splendore, firmis munimentis, agri fęlicitate, innumerisque aliis naturę, & artis dotibus, unde insignis & ingens queat civitas superbire, affluenter referta, paucis denique per Italiam secunda, ad aquilonare insulæ latus, sinumque maris ortui ęstivo obversum occupans, in plano sedet solo, ac *Fælicis* titulo jure optimo gloriatur. Portus moles magnificentissima hodie, (nam alia prorsus erat olim urbis facies) circa septentrionalem sinus plagam prima occurrit, in Auctario ad Thomæ Fazelli *De Rebus Siculis* Decadis I. lib. viii. a me descripta, cum

Phari


di Campagna

Phari turri, arce, fontibus, amplo navali, emporii, & publicæ annonæ promptuariis, ac S. Luciæ suburbio; cujus littoralis longe projecta ora novissime muro e quadris ingentibus lapidibus ad fluctus coercendos munita, ad arcem usque, Maris Castellum vulgo, præcipuum terra, marique urbis propugnaculum, jam supra delineatum. Sub arce secura navibus minoribus statio, Molis parva passim, circa fauces operibus instructa, populari voce a *Gerita* appellatis. Hinc Felixporta, subjectumque littus, nuper & ipsum muro etiã contra undarum impetus non levi sumptu circumscriptum, cui amplissima respondet area, paucis ab hinc, medio maritimo *Trons* munimento disjecto, laxior reddita, ac rhedis innumeris quotidie frequens, civiumque oblectationibus æstivo præsertim tempore aptissima. Excipit hanc Veghę Propugnaculum, a Gręcis vulgo nuncupatum, portæ ejusdem nominis adhęrens; orientalia subinde, nec non australia mœnia, aggeresque succedunt lapidei, portis interpositis Thermarum, & Vicaris, foro veteri, & Machedæ, seu novę vię respondentibus, & minoris notæ aliis S. Agathæ cum propugnaculo, & Montis Alti. Hinc ad angulum circa Africi plagam Pescaræ munimentum, moxque depressiori situ porta de Castro sub Regio Palatio, quod ad omnimodam magnificentiam olim ædificatum, variis temporibus subinde insigniter auctum, turribus, propugnaculis, aulis, & conclavibus laxioribus, scalis amplissimis, marmoreis peristyliis, ac S. Petri Sacello musivis ornamentis splendido, undique superbit. Porta Nova, sive Austriaca elegantissima Palatio adjungitur, quę in hybernum respiciens occasum, ad Cassari viã aditum pandit; e cujus conspectu area late patet, cum privatis ędificiis, tum Palatii propugnaculo septa, unde

ad Montem Regalem rectum amplumque est iter, alibi descriptum, & ad suburbia cives commeant. Muri facies post portam Novam binas alias aperit portas, & Papyreti munimento instruitur, quod ab altero Angulari de Aragona in aquilonem vergente excipitur. Ad camdem coeli faciem subsequuntur Carinensis porta ac ejus propugnaculum, Macheda, rectà portam Vicaris spectans, agerésque de Cardines & S. Georgii cum proxima S. Rosaliæ porta ad suburbium, Molem, & Peregrinum montem, ejusdem Sanctę Virginis crypta celebrem ducens, post quam Castelli fossa, & prętentæ munitiones.

Pomęrio, quod ad quadri figuram accedit, oblonga latera ad austrum & aquilonem habentis, cursim designato, ad internas partes leviter adumbrandas progrediar; alibi enim in Notis ad Fazellum stylo indulgens circa illas nonnulla protuli. Duę enim, quibus *Panormus* quatuor in regiones, sive quadrantes diffinditur, præcipuæ ac celebres sunt viæ, Cassarus seu Toleta, & Macheda, vulgi voce: Via Nova. Illa a Felici maritima porta pene omnium elegantiori ad Austriacam, de qua jam supra, e borea scilicet ad africum ampla & recta nobilibus ædificiis utrinque perpetuo instructa pass: MCCC. circiter protenditur; Secunda vero non ad rectos angulos, sed parumper decussatim primam pene mediam scindens, a Macheda porta ad Vicarensem, ex aquilone & austro, ęquè magnificis instructa ędibus ultra pass: M. procurrit. In centro octogona se offert area, cujus IV. latera descriptæ viæ, reliqua comptissimę facies e marmore Ligustico elaboratæ occupant, statuis, fontibus, emblematis, alisque elegantiis excultę. Referunt statuæ IV. anni Tempora, totidemque Hispanię, & Sicilię Reges, ac Divas

Po-

Panormi tutelares; fastigium aquilæ complent.

Jam vero pars illa civitatis, seu quadrans S. Christinæ, in austrum, & occasum, *de Albergaria*, ab una, quibus constat regionibus hodie, & de Palatio olim appellatus, eidem respondentem amplissimam aream complectitur, cc. circiter pass: extensam; cui Regales aulæ in ea prospectum habentes circa ortū; ac propugnacula duo, nec non Philippi IV. elegans ex ære statua decus conciliant. Hæret ejusdem orientali lateri magnum Nosocomium in Matthæi Sclafani ædibus Alphonsi Regis ævo constitutum. Celebriora porro ejus sunt ædificia S. Nicolai de Albergaria parochialis Ecclesia a Blanca Regina Martini uxore fabricis & dote aucta; S. Joseph Clericorum Theatinorum magnificentissimum templum ad Prætoris forum cum adnexa ampla domo, & S. Cajetani ante hujus fores simulacro ab anno MDCIII. Societatis Jesu Professorum claustra, perystilia, Ecclesia, quæ ad omnem elegantiam nitent, & MDLXXXIII. ubi olim S. Mariæ de Crypta Basilianorum cœnobium, originem cognoscunt; Eorumdem S. Francisci Xaverii elapsi sæculi anno MDCXXIII. fundatum Domicilium, ædesque sacra spectanda. Carmelitarum vetus & illustre Monasterium; anno enim XVIII. sæculi XIII. initia ex Invegio & Lezana habuit; novis hodie insignioribus fabricis exornatum, ubi effossus a S. Alberto puteus, cum Area ante ipsum satis ampla, quam forum excipit venale, vulgi vocabulo de *Ballerò*. Alter præterea ejusdem ordinis Conventus S. Nicolai de Bononsis in area cognomine; Minorum Fratrum duo. Fratrum Redemptionis, SS. Trinitatis, ac de Mercede tres; & S. Joannis de Deo cum valetudinario. Ex Monasticis familiis præter illud S. Mariæ de Crypta a Roberto Guiscardo Duce ædificatum, quod, uti dixi,

Societatis Jesu Presbyteris cessit; S. Georgii de Kemonia, eodem Duce authore, anno MLXXII. sub S. Basilii regula, ac Friderici II. Regis indultu Cisterciensibus de Parco Monachis MCCCVII. attributum sub Palatio ad meridiem spectatur; qua in regione S. Joannis & Hermetis, vulgo de Eremitis, Rogerii Regis jussu restitutum, ac pluribus censibus auctum, veteri peristylio, templo, tholisque adhuc extantibus; ac S. Spiritus recens ab Olivetanis Monachis conditum visitur.

Nec minoris quoque ornamenti Sanctimonialium Parthenones eidem quadranti putantur esse; quorum præcipui: S. Salvatoris in via *Cassari* ab laudatis Roberto & Rogerio sub S. Basilii disciplina, & Græco ritu constitutus, a Martino I. idcirco Regius appellatus, & Constantiæ Imperatricis incolatu celebris, cum elegantissima Ecclesia; S. Joannis de *Ruchone*, passim de *Reglione* ante annum MCCC. S. Benedicti institutis addictus, ubi Equitum Joannitarum ædem dudum viguisse fama refert, S. Claræ ordinis Minorum antiquissimus a Pirro appellatus, atque in meliorem formam a Matthæo Sclafano Adrani Comite MCCCXL. redactus cum adjecto *Saladino* ingenuarum virginum conclavi, in quibus omnibus ex primaria nobilitate non levi numero alumnæ, eximiæ religionis opinione degunt; & S. Elisabeth demum sub Capuccinorum legibus in Palatii area sub annum MDCVI. quod ex humilibus principiis passim coaluit. Ut de aliis Divorum basilicis cum sodalitiis, & pœnitentium mulierum claustris, deque Nobilium & Dynastarum domibus, undique splendidis sileam; Area de Bononiis cæterò, seu Aragonia haud dissimulanda in *Cassaro*, cujus occupat medium æneum Caroli V. Cæsaris signum basi marmoreæ impositum Ducis Alburquerquii Proregis opera erectum.

Pars

Pars porro altera S. Nymphę, quadransque ad occasum & aquilonem a Templo maximo dicitur, & Saracenicè Saralcadis; ubi & Papyreti depressiori situ est regio, a fonte cognomine vocabulum habens. Authorem ea sacra Basilica Gualterium Archiepiscopum recognoscit, de qua Pirrus: *Novum Templum, ait, magnificentissimum, si quod aliud extructum est, si exteriores præsertim parietes respicias, (qui enim interiores sunt, iis non fulgent ornamentis, quæ mente Præsul conceperat, quamquam in aliorum contentionem venire haud timeat) amplissimis ita levatur spatiis, ut nullum tota Sicilia majus habeat. Dedicatum est Assumptæ Virgini*. Major quippe absis tota ex albo marmore dimidii anaglyphi & statuis a Cagino celebri sculptore ad artis miraculum elaborata, & musivo opere splendet; Venerabilis Eucharistiæ sacellum, musivis etiam, & insigni e Lazzalo lapide custodia spectandum assurgit, uti & aliud Deiparæ vario e marmore præstans. Delubra Christi Domini e Cruce pendentis, S. Christinæ Virginis, aliorumque Divorum eximia; sed illud S. Rosaliæ, ubi cum ejusdem reliquiis dives argentea arca clauditur, nulli alteri comparandum. Regum insuper ac Principum e porphyrite conditoria oppidò nobilia; uti & illa Præsulum cum vetusta, tum recentiora. Propyleo in austrum satis patens area respondet, cujus centrum ejusdem S. Rosaliæ statua paucis ab hinc erecta, extremas autem oras marmorea Sanctorum simulacra, & clathri lapidei nuper quoque instituti exornant. Pro majori porta ad occasum signa etiam nobilissima; contra vero æris campani turris se subrigit. Archiepiscopales ædes circa occasum splendidæ, eisque adjunctum Clericorum seminarium ad eamdem plagam amplissimum;

Hinc

Hinc pro Militibus præsidiariis stativa cum supremi eorum Præfecti domo supra Papyretum. Eminet præterea *S.* Hyppoliti de Scicaldis parochiale templum, cujus extare memoriam ab anno MCCCVIII. Pirrus testatur; & *S.* Crucis ejusdem sæculi anno VI. celebre in via Macheda prospectum habens.

Collegium vero Societatis Jesu longe ac late patens, omnemque supra ordinem magnificum ab anno MDLXXXVIII. ad *Cassarum* ædificari cœptum, ejusdemque instituti Tyrocinium amplum & ipsum, MDXCI. edito situ ultra Papyretum, Octavii Lombardi opibus constructum, Clericorum infirmis Ministrantium sæculo XVII. ineunte, Scholarum Piarum, uti appellant, cum adnexo Convictu ab anno MDCXXXIII. sub S. Silvestri titulo in via nova; ac Minorum quoque Clericorum *S.* Marci nomine, *ad Caput*, MDCXX. domus, mole & venustate præcipuum, inspectionem merentur. Nec spectatu indigna: *S.* Augustini Eremitarum celebre & antiquissimum, primis nempe Northmannorum temporibus ortum recognoscens; Ejusdem ordinis Excalceatis addictum prope Cariniis portam, & *S.*Gregorii Ecclesiam MDCIV. Minorum de Reformatione in regione *Guillæ* sub SS. Cosma & Damiano patronis MDCIX. fundatum; ad *Pannariæ* denique aream, Spiritus Sancti titulo, Monachorum *S.* Martini Hospitium, Jacobi Maidæ beneficio MCCCLIV. constitutum; ut Canonicorum *S.*Georgii de Alga Cœnobium præteream, qui MCCCCXXXIII. *Panormi* sedem fixisse dicuntur, & Regis Alphonsi largitate bonis adaucti in *S.* Jacobi de Massara primum, medio mox sæculo XVII. *S.* Mariæ de Populo Ecclesiam occuparunt, hodieque deleti non extant.

Sacrarum Virginum hinc Monasteria præ cæte-

ras

ris ædificiis locum habent: *S. Mariæ* nempe de Cancellario Benedictinum a Matthæo de Agello Guillelmi II. Logotheta MCLXXI. haud procul a *Cassaro* conditum, ac pingui dote locupletatum; Montis Virginis sub S. Claræ disciplina, circa eamdem plagam sub ipsum sæculi XVI. initium Aloysii Septimi opus; S. Mariæ de Monte Oliveto, vulgo Abbatia Nova, Clarissarum quoque, MDXII. ad Principis templi latus, aquilonare fundatum cum satis ampla Ecclesia. Septem Angelorum, quod ad S. Francisci Paulensis præscripta, Hectore Pignatelli Siciliæ Prorege censum suppeditante, anno MDXXXII. contra majoris Basilicæ forum circa orientem coaluit. Prope Carinis portam, titulo Conceptionis Deiparæ, ab anno MDCXXVI. ad nostra hæc tempora ob non vulgarem alumnarum frequentiam & pietatem celebre, S. Benedicti instituta profitetur; Stigmatum S. Francisci prope Machedæ portam, & de Sponsis Christi, aliter S. Viti, & omnium Gratiarum; utrumque etiam religiosæ perfectionis speculum, quæ elapsi sæculi anno XXX. & XLVIII. ortum habuere; Demumque S. Juliani, Immaculatæ Conceptionis auspiciis, sub Vener. Ursulæ Benincasæ regula ab anno MDCLXXVII. in vico cognomine assurgens, cum nova sacra æde elegantissima commendatur. Pauperum puellarum claustra, aliæque sodalium Laicorum Ecclesiæ ornatu, & mole non ultimæ, piis locis accensendæ, sed præferri omnino dignum Montis ædificium, quod laxo spatio se solo constans, *Panneria* aream ab austro habet, illamque nobiliter exornat. Inter frequentissimas Dynastarum domos Hieracensis Marchionis præcipua, *Cassaro* respondens computatur; quamvis in ceteris elegantiam minime desideres.

Tertiam *Panormi* regionem S. Olivæ, a *Loggia* vul-

vulgari voce appellant, quod Emporium nempe comprehendat, quo Mercatores conveniunt. Habet ab ortu majorem arcem, seu Castellum maris, & navium stationem tutissimam, idest parvam Molem, ad quam civibus patet exitus portis per intervalla dispositis v. a septentrionibus vero suburbium. Medio fere centro forum venale, ubi illud olim Sarracenorum Falcando memoratum, constituitur. In S. Dominici area e cimezicio Biliemis lapide ingens columna subrigitur, eique signum Deiparæ Immaculatæ æneum insidet, circa cujus basim Regis, & Reginæ ænea etiam simulacra visuntur. *Vicaria*, sic appellant, contra aream maritimam in *Cassero* eo consilio extrui cępta, ut in illa suprema Regni cogerentur tribunalia, nonnisi pro noxiis custodias ostentat medio, & infimo, aliis enim caret ordinibus. *Garaffus* fons satis celeber variis e marmore ornamentis nitet, ubi frequens aurificum officinæ. Sed & sacra ædificia magnificentiam præseferunt cum primis S. Antonii Parochia de *Cassero* nuncupata, ad vetustæ urbis mœnia, & Turris *Pharai*, supra forum, in quam translata S. Cataldi jura affirmant, ubi fons Baptismalis elegantissimus. Altera S. Jacobi maritima Drepanitano marmore convestita, circa orientem, quam anno MCCCXXXIX. memoratam Pirrus tradit, & de suburbio dictam, quod extra pomęrium sita, antiquissimam demum S. Andreæ Apostoli subrogatam. Tertia S. Margaritæ a proximis coriariis officinis, vulgo de *Conciaria* sæculo XIV. in Regiis libris notissima; Et IV. demum S. Nicolai Græcorum ad sacra ejusdem nationis incolis ministranda MDLIV. constituta; ut S. Silvestri de Castello ad mare intra hujus septa, prætercam.

Cœnobitarum claustra longe nobiliora: Nam S. Do-

Dominici, cui ab anno MCCCXVI. exordium obvenit, mole & magnificentia paucis secundum splendet, ingensque templum cum fronte elegantissima ostentat. S. Citæ ejusdem instituti in hospitali Lucentium domo MCCCCXXVIII. fundatum, amplissimum quoque non longe assurgit; Carmelitarum vero, titulo Deiparæ Virginis de Odygitria ad aquilonaria urbis mœnia, MDXCII. auspicia recognoscens, non angustum. Theatinis Clericis S. Mariæ de Catena celebris & vetus Ecclesia sub ipsis sæculi XVII. initiis cessit e conspectu areæ maritimæ, in *Cassaro*. Basilienses Monachi, qui in S. Christophori dudum inhabitabant, in regione Olivellæ novum sibi monasterium anno MDCXCVII. statuere, Hispanis ascetis B. Mariæ de Monserrato Carolus Vigintimillius MDCLXV. in Castri majoris area locum designavit; S. Philippi Nerii demum Congregatio, sacris de Olivella, & S. Ignatii Martyris ædibus occupatis, Basilicam insignem, ornatissima facie, æris Campani turri, internisque aliis decorationibus conspicuam habet. Virgines Deo sacræ binis conclavibus cultum quoque augent, quorum unum S. Mariæ Vallis Viridis antiquissimum, Carmeliticæ inhærens disciplinæ, inter Prædicatorum fratrum Asceteria assurgit, sæculo XIII. clarum, cujus olim Antistita in ejusdem ordinis cæteras Moniales Siculas jus dicebat; Alterum ad Castellanæ vicum S. Mariæ Virginum, Benedictinæ regulæ, satis conspicuum, ante annum MCCC. extructum. Pueris educandis S. Rocci Orfanotrophium in via Macheda, aliud musicis artibus imbuendis juvenibus, tertiumque Græcis alumnis addictum, Parochiæ S. Nicolai proximum patent. Puellas excipit S. Mariæ de Providentia MDCCX. tenue exordio cœptum, hodie non angustum ad S. Rosaliæ portam. S. Bartholomæi Hospitalis domus ad

incurabilium levamen nobilissima ac dives; prope Felicem portam extremam *Cassari* oram exornat, cui præclarissima ac religiosa dynastarum sodalitas de Charitate nuncupata adhæret, Ecclesiam extra mœnia ad littus habens. Celebrantur tandem S. Sebastiani Martyris supra maritimos muros, S. Georgii Januensium vetusta, unde S. Rosaliæ portæ vocabulum dudum erat; S. Matthæi Purgantium animarum cum pulcherrima fronte in *Cassaro*; nec non aliæ cum sodalitiis sacræ ædes; Civium vero nobilium, ac Magnatum tanta magnificentia ubique spectandæ se præbent, ut vel præcipuas enumerare operis plurimi esset. Amplitudine cæteras superat illa Terrænovensis Ducis sub Olivella, ac Buteræ Principis; Sed Scordiensis Pinacotheca digna est, quæ conspiciatur.

De quarta Metropolis nostræ regione S. Agathæ dicata, Sarracenice *Jalsia*, sive *Ghausa* illud Fazellus affirmat, quod mœnibus olim munita suis, ab reliquis distinquebatur; *Ghausa* enim Clausum sonat locum. Vergit illa in ortum & meridiem, & ab utraque plaga amœnissimo prospectu gaudet; tribus diffinditur viis; aream maritimam longe ac late extensam, vastamque complectitur, cujus ad ortum latera publicum Telonium, Fidei Quæstorum Basilica, & Monetaria officina occupant; Prætoris quoque palatio, seu civilis Consilii domo instruitur, cum laxioribus aulis, Nummaria mensa, & Bibliotecha nuper instituta: illius autem aream fons e marmore insignis, & nulli forte in Italia secundus exornat, externos parietes vetusta monumenta, inscriptique lapides expoliunt. Forum vetus contra Thermarum portam in amplissimo occurrit bivio. Caroli III. Siciliæ dudum, hodie Catholici Regis simulacrum basi nobilissimæ insidet e-

con-

conspectu Ecclesiæ Minorum Tertii ordinis a Misericordia vulgo nuncupatæ. Philippi V. Hispaniarum Regis statua demum in Telonii minoris exurgit area, cui maritima ejusdem nominis porta respondet. Sacra ædificia Quadrantis hujus, ut numero, sic & magnificentia aliis non decedunt. Parochias enim duas S. Nicolai de Ghausa, & S. Joannis de Tartaris comprehendit, quarum illa mole præfert vetustatem, ortumque jactat ante XIV. sæculum, situ vero circa Feliceam portam, & Cassarum respondet. Altera post Forum vetus subrigitur, cujus extat memoria ab anno MCCCCX. Minores Conventuales, qui ad urbis mœnia primum consedere, MCCXXXV. ad eum, ubi nunc degunt, locum, transierunt, cœnobium que insigne, S. Francisci de Clavariis titulo, cum nobili Ecclesia colunt. Iisdem S. Mariæ de Miraculis in maritima area MDCIX. cessit. Observantes in S. Mariæ de Angelis, quæ dudum suorum fuerat hospitium extra urbem degentium sub monte Gryphone, occupant post maritimam aream. Fratres ibi aliquando bis centum non incommode habitarunt, ut de illius amplitudine judicium inde ferri queat. Vulgus *Gangiam*, quæ Siculis Hospitium sonat, appellare consuevit. Tertii Ordinis ejusdem S. Francisci duplex est asceterium, Deiparæ de Misericordia celeberrimum ab anno MDCVII. ad Lactarinis forum, & S. Nicolai de Tartaris, quod antiquius; MDLXXXIII. fundatum quippe dicitur, ut ægros fratres de Zisa exciperet, uti inferius ostendam. S. Nicolai de Tolentino Augustinenses Reformatos in via Macheda excipit Ecclesia, elapsi sæculi anno IV. originem cognoscens, ubi olim S. Mariæ de Populo Clarissarum Virginum Parthenon, quæ nuper magnificentior surrexit. Ad Thermarum portam Carmeli-

tis Primi Instituti, seu de Monte Sancto data est S. Antonii sacra aedes, cui satis decens Monasterium illi adjunxere. Anno MDCXXIV. Fratres Redemptionis de Mercede Reformati Conventum cum Ecclesia elegantissima Immaculatae Conceptionis titulo condidere prope Cassarum. S. Mariae de Spasmo Olivetani Monachi incolunt. SS. Benedicti & Aloysii Casinensium Coenobium S. Caroli adhaerens MDCXXIX. coaluit in foro veteri, Salernis sumptus suppeditantibus. Clerici infirmis ministrantes Tyrocinium, ubi post Graecorum portam area statuitur, MDCXXVII. S. Matthaei nomine construxere, quod littoris subjecti jucundo aspectu gaudet. Minores demum Clericos sub S. Joannis Evangelistae auspiciis, quo ad *Lattarinis* forum a Cassaro est iter, statuisse domum, annus MDCXXXV. vidit, paucisque ab hinc Basilicam spectatu dignam reserasse accepi. Jam Sanctimoniales cum vetustis, tum novissimis temporibus non obscura nactae sunt loca. S. Maria enim de *Martorana* circa XII. saeculi exitum sub Benedictina regula contra Praetorium ad hibernum occasum fundatum est, in cujus Ecclesia S. Simone sacra complures musivi operis antiquae picturae, novissime perelegenter concinnatae, & e porphyrite lapide tabulae visuntur. Illud porro Aloysia Goffredi Martoranae uxor; hanc Georgius Antiochenus Rogerii Amiratus condidit, & Clero Graeco, Canonicisque ejusdem ritus attribuit; subindeque Alphonso Rege indulgente, Simon Bononia Panormitanus Praesul sacris virginibus attribuit. Succedit S. Catharinae Vir. & Mart. Monasterium ad ejusdem Praetorii aream, S. Dominici institutis addictum, amplo & conspicuo templo decoratum, Palmae de Magistro Angelo fortunis, ubi olim praecipua urbis veteris porta de Bebical, aedificatum.

Ejus-

Ejusdem instituti S. Mariæ Pietatis a Francisco Abbatelli Cameratæ Comite suis in ædibus MDXXVI. constructum, respondet hodie post portæ de Græcis aream, & nobilissimam e marmore frontem, paucis comparandam ostentat. Sub Assumptæ in Cœlum Deiparæ nomine Claustris Macheda via sçpius laudata, meridiem versus instruitur, Mariæ Lacerdæ, & Moncadæ Montis Alti Ducis pietate constructis, congruoque censu ditatis, in quibus & ipsa sub Tereſiæ nomine Carmeliticam Reformatam professa disciplinam religiosè vixit. In area quoque Portæ de Græcis Tereſianæ Moniales degunt ab anno MCCXLII. quæ olim alibi fundatæ. Harum Ecclesia laxior, prospectusque eximius. S. Rosaliæ, conditum ab Aleramo de Caretto Galeani Comite anno MDCLIII. a Macheda non abest, in ortum splendide assurgens, quod paullo ante Joseph Bonfantes Sacerdos Virginibus honestis addixerat, & Urbani VIII. literis clausura, munitum fuit. In regione demum Sacrę Mansionis S.Marię de Mercede Cęnobium Aloysię Moncadę opibus MDCXCIV.coaluit.

Habet præterea hæc regio cum puellarum, tum mulierum Gynecea præ cęteris laxiores: S. Mariæ de Gratia, quò illæ conveniunt e turpitudinis cęno emergentes; S. Mariæ Majoris, ubi sese concludunt Malenuptæ; S. Catharinæ de Senis, quod ingenuas paupertate adactas suscipit; A Deiparæ Lacrymis compellatum, puellis derelictis addictum; ut alia minoris notæ præteream. Sed Sanctissimæ Trinitatis de Mansione, seu Teutonicorum, Cistercienſibus primùm designata ędes, mox Equitum Teutonici Ordinis Hospitalis domus, cujus hodie Præceptor Abbatis titulo a Rege designatur, cum primis accensenda. De ea nonnulla dixi, uberioremque notitiam

titiam dedit Antoninus Mongitore. Prope Thermarum portam sita assurgit; Conclaves decenter commodi; Ecclesia atrio, pronao, columnis, absidibus, & sacellis instruitur; Abbas in Comitiis votum profert. Circa ortum porro in veteri *S. Mariæ de Victoria* Alborum Nobilium *Sodalitium* opificio & ornamentis splendidum cum adjunctis ædibus spectatur; *Supra* Thermarum portam aliud ejusdem ordinis non minorem præferens magnificentiam, aulasque etiam habens suas, sub Pacis titulo effulget. Ephebeum insigne pro Nobilibus Imperialis titulo decoratur. Ex Dynastarum denique ædibus numero, & amplitudine præstantibus unam memorem inclytæ dudum gentis Adjuvame Christe, hodie ad Moncadas pertinentem, quam Carolus V. Cæsar ex Africa redux suo incolatu nobilitavit.

Interna urbis facie descripta, quæ extra mœnia servat *Panormus* præclarissima monumenta, remanent percensenda. Extra portam Novam occurrit igitur S. Teresiæ nobilis virorum Conventus ad africum in area cognomine ab anno MDCX Deiparæ de Remedio sacer cum magnifica Ecclesia. *Succedit* in Montregalensi via contra æstivum occasum Visitationis Deiparæ, seu *S.* Francisci Salesii Monasterium, nostri hujus sæculi anno XXXI. ad omnem magnificentiam extructum. Nec longe in ora opposita amplissimum Pauperum Hospitium, quod ultimam expectat manum. S. Mariæ de Victoria hinc Paulensium fratrum non angustum, ædesque sacra non incelebris ab anno MDCVIII. Francisci Gravinæ divitiis extrui cœpta; Eademque via euntibus in dexteram, ad pass. CC. circiter Minorum Fratrum, quos Capuccinos vocant, spectandum se præbet Cœnobium, latissime undique patens cum sylva pomœrina, & Ecclesia sepulchris insigni. Ad sinistram

vero

vero post Cubam, Burgundorum equitum hodie Domicilium, de quo alibi dixi; secus viam Vallis suburbanum subrigitur, & alia utrinque visuntur cum hortis, vineis, viretisque ad rurales delicias satis accommodis. Ager occiduus & aquilonaris, ubi Collegii Societatis Jesu lautior villa extenditur, ad Buccam Falci oram, unde ad S. Martini celebre Monasterium est iter, alibi descriptum, rusticis casis & civium suburbanis frequens adeo se offert, uti opidi speciem oculis objiciat; nec sua parochia caret. Excipit hunc S. Joannis de Bayda in tumulo ordinis Minoritani Conventus hodie, quem supra laudavi; & in subjecta oletis, arboribusque consita, & frugibus ac vino fœcunda planitie Zisa Castellum vetus, de quo infra, nec procul Tertii Ordinis Minorum asceterium, quod an: MDLXXXI. sub Deiparæ Annunciatæ titulo coaluit. Mox S. Isidori Carmelitarum Excalceatorum Tyrocinium, & infra S. Francisci de Paula maximum ac nobilissimum Monasterium, ad S. Olivæ priscum templum MDXVIII. contra Carinis portam conditum assurgunt. Huic postremo celebre respondet impluvium novissime quadrato schemate architectatum, quo pii fideles ad religiosa colloquia sub Sacerdotum de Oratorio disciplina festis diebus conveniunt.

Post lata atque irrigua viridaria Suburbium succedit, cujus est Parochia S. Mariæ de Monserrato sacra, circa MDLXX. constituta. Ad Molis orientale littus Minorum Conventualium S. Luciæ auspiciis Conventus; circa australes illius oras Societatis Jesu Quinta Domus Exercitationibus spiritualibus ab anno MDCCXV. Joannis Severini Canonici ære addicta. Inter Navale demum, & Molis arcem Fratrum de Mercede exurgit, Deiparæ de Populo titulum referens Monasterium

sterium

sterium MCXXXV. ædificatum. Moles ad pass. occ. ingenti auri vi erogata, in mare protenditur, quam veteres artis miraculum demirantur. Pro felici port. Caroli II. elegans e marmore statua; fontes, theatrum; post Græcorum aggerem longè ac latè S. Erasmi planities excurrens; ubi e Macheda via exitus civibus patet, S. Antonini de Padua spectatu dignum se offert Asceterium ab anno MDCXXX. Minoribus Reformatis constructum, cujus aream fonte & statuis Alcalę Dux Siciliæ Prorex ornavit. Cessit ejusdem Ordinis Monachis S. Mariæ de Jesu vetus Conventus, ad. II. ab urbe lapidem sub Gryphone monte, quod B. Matthęo de Agrigento authore, Senatus Panormitanus magnificentissimum, institutis nihilominus conforme, statuit, adjectisque variis circa montis latera sacellis ac solitariis cellis celebre hodie habetur. S. Nicolai de Gurgaro Cistercienſibus, Rogerio Regni potente, Theodorus de Antiochia ad Orethi fluminis ripas prope pontem attribuit, cui circa MCCCCLXXXVIII. S. Mariæ de Gratia nomen obvenit, estque hodie ab S. Francisci de Observantia ascetis cultum. Siculis Historicis memoratum, quod in ejus finibus Siculis Vesperis initium fuerit, Sancti Spiritus, ad Cistercienses olim spectans, Gualterius Archiepiscopus, Guillelmi II. Regis auspiciis constituit anno MCLXXIII. circa supra memorati amnis plagas ad passus D. in meridiem. Servat Cœnobium priscæ ætatis insignia, quorum præcipua in Monasticis Siciliæ notitiis expendit. Tabulam eximiam Beatę Virginis de Spasimo in uno ex Ecclesiæ sacellis in urbem primum, mox in Hispaniam advectam tradunt. Abbatia, ejusque proventibus magno S. Spiritus Valetudinario adnexis, Cistercienſibus Olivetani Monachi subrogantur, qui ob aeris inclementiam ęstate

circa mœnia se recipiunt. *S. Agathæ* de sacro Vestigio data est Augustiniensibus Centurupinę Congregationis MDCXXIII, qui prius in S. Mariæ de Providentia degebant. Distat sacra illa ædes a propugnaculo, & porta cognomine pass: CC. Conventus adjunctus decens est, congruisque instructus ędificiis. Circa eamdem demum oram ad pauperes excipiendos, fovendosque extra Thermarum portam vetus Hospitium videtur. Pro amentibus S. Joannis de Leprosis veteris originis Zenodochium patet. Mitto hic reliquas Panormitani agri cum veteres, tum recensiores magnificentias, molesque eximas; nam singillatim de Bayharia, de Collibus, de Mare dulci, aliisque loquens, pręcipuas recensui.

Panormitanus Archiepiscopus Primatum obtinet in Sicilia, & suffraganeos Agrigentinum, ac Mazarensem, nec non Melitensem habet Pontifices. Institutio illi competit Canonicorum, & Electio juxta Mensium leges sacris in legibus constitutas; Sed non omnium; Sunt enim ex illis VIII. Millennarii a primęva mille tarenorum auri præbenda. VI. Centenarii, quod aureos centum participent. II. de Blanca dicuntur, seu S. Nicolai de Albergaria, eoquod censibus hujus Ecclesiæ a Blanca Regina constitutis gaudeant, ac duo Portus Canonici appellantur, quia ex Portus vectigalibus census percipiunt; Sed his novissimis Regia competit Præsentatio. Quum autem inter enumeratos omnes optio vigeat, fit inde, uti uno, & altero decedente e vivis, juxta optionis leges ordine singuli ascendant, & duos Portus vacare semper contingat, quos subinde Rex pręsentat, & vacua Archiepiscopi Jurisdictio remanet. His porro XVIII. Caroli V. Cæsaris liberalitate sex alii accesserunt, Regii appellati, cum ob Regiam Præsentationem, tum quod S.

Joannis de Eremitis Abbatia gaudeant. Subrogati hi dicuntur a Pirro sex aliis, quos Eugenius IV. abolevit; Munia cætero subeunt communia, & Subdiaconi tenentur esse, sed optione carent. Præcedit loco, & dignitate Canonicos, primusque post Archiepiscopum venit Cantor, qui S. Nicolai Regalis de Mazara est Prior, & Comitiis interest. Secundus ab ipso Archidiaconus. Millennariorum præbenda ambo gaudent & ab Rege præsentantur. Eorum extat prima notitia MCXXXII. Tertius in ordine Decanus venit. *Thesaurariatus* munus est, non dignitas. Clerus hinc & Ecclesiæ Ministri duo supra quadraginta enumerantur, quorum agmen ducit Subcantor; IV. Major Capellanus Parochiæ curam gerit. *Seminarium* a Cæsare Marullo Archiepiscopo fundatum, Alumnos XXX. nutrit; Sed Convictores sunt alii, qui ut ad scientias assequendas incumbant, & ad pietatem informentur eò confluunt. Fulget hodie Archiepiscopali honore Marcellus Papirius Cusanus, qui LXII. est numero, juxta Pirri, & Mongitoris supputationem, Vir in sacris Ecclesiæ legibus, & scientiis, dexteritate in rebus gerendis, aliisque animi dotibus illustris. In Regni publico Consilio Ecclesiasticos inter proceres primus sedet; Ast ubi, alium ex Siculis Præsulem Caput esse *Parlamenti* contingit, huic locus datur.

Regia S. Petri Capella Rogerium Regem authorem habuit MCXXXII. Templum sumptuosissimum appellat Pirrus, & Collegio Canonico ab eodem Principe instructum, juribusque Parochialibus a Petro Archiepiscopo donatum dicit. Marmorum diversitate, mussiva pictura, aureis lapillis, tabulis porphyreticis, columnis variegatis, aliisque ornamentis nitet; specum habet subterraneam, ac religiosissimam, porticum columnis

lumnis suffultam; & vermiculato opere decoratam. Collegii Primas, seu Cantor, Parochus quoque est, Canonici ab ipso exordio XII. constituti, totidem Ministri, seu Chori Capellani, sex Diaconi. & Clerici minores alii, quos omnes Rex deligit, & congruis censibus substentat.

Prætorem ac Senatum in Hispanorum Magnatum retulit cœtum novissima Regum liberalitas. Unus ille ex XII. Regni Viris est perpetuus, & cum Senatu Demanialis Brachii in Comitiis Caput, ac publicę totius Regni Sanitatis Curator. Utrumque olim instituisse officium Romanos perhibent, mox ut Carthaginiensibus ereptam urbem sibi vindicarunt, quin & Aquilam pro stemmate dedere, unamque ex V. Siculis civitatibus immunibus & liberis voluerunt, uti Cicero affirmat in Ver: Annonæ insuper idem Senatus administer, Populi commodis invigilat, de tuenda urbe, ejusque propugnaculis servandis sollicitudinem gerit. Syndicus, & Maleficiorum Quæstor sua quoque munia obeunt, Prætorii Judices, uti & Quæstoris civium controversias dirimunt, quorum est ampla jurisdicendi potestas, etiam de nece, & vita. Reliquas & insignes immunitates, favoresque, quibus liberaliter Reges ac Principes *Panormum* sunt munerati, apud genuicos Scriptores habentur. Incolarum census & larium sęculo XVI fuit 16627. licet apud Fazellum foci 1500. numerantur, 114131. ex Regiis libris MDXCV. Sequentis vero LIII. lares 1859I. animę 111818. Sub annum MDCCXIII. summatim cives 10000. & novissime 102106. sunt computati. Hujusmodi autem descriptiones, Viris Ecclesiasticis, & Sanctimonialibus exceptis, Regii Palatii, & Archiepiscopatus, Piorumque locorum familiis minime comprehensis, institutas intelligas. Complectitur

enim *Panormus*, uti de singulis ejus regionibus loquens, reposui: Parochias x. Monachorum cœnobia iv. totidemque eorum Hospitia; Regularium Clericorum v. ac totidem Societatis Jesu Ædes; Presbyterorum Congregationes ii. Fratrũ diversi ordinis vi. supra xxx. Conventus; Sacrarum Virginum Claustra iv. & xx. Puellarum & Mulierum Gynecea xviii. Zenodochia iv. ii. Nobilium, & totidem Clericorum Ephebea, Orphanotrophia iii. Pœnitentium Sodalitates xxxvi. Confratrum cętus xxxvi. Filiales Ecclesias xxxi. Oratoria xix. Uti ex his facile inde colligas, non exiguum illorum esse numerum, qui in censu desiderantur. Reliquos cętero & bene multos, qui urbanis funguntur muniis, resque publicas administrant, Prętori & Senatoribus subordinatos silentio obvolvam, ut ad potiora progrediar.

Panormi origo antiquissimis Æolicis, sive Pelasgis Grecię populis passim tribuitur, qui inter primos in hanc insulam trajecerunt; Thucydides hinc Phęnices Motyam, Soluntem, ac *Panormum*, finitima Elymis opida, una incoluisse affirmans, neutiquam de primo *Panormi* conditu, sed de novis per Phęnices deductis Coloniis intelligendus. *Grecæ enim quum sint* ΠΑΝΟΡΜΟΣ *&* ΣΟΛΟΕΙΣ *vocabula*, inquit Cluverius, *a Grecis fuisse conditas eas urbes suspicari pronum erit*. Certum immo esse ego dixerim; Gręcis autem, qui seris temporibus post Phęnices in Siciliam advecti sunt, adscribi nequeunt; tum quod hi per australes, orientalesque oras sese effuderant, tum quod Phœnices pulsis per Græcos Siculis, loca a Græcis occupata frequentare non ausi, inita cum Elymis societate, qui e Troja oriundi Gręcis omnino infensi erant, sedes circa eorum opida posuere; inde enim

exi-

exiguo ad Carthaginem trajectu Sicilia distabat. Quum circa Elymos igitur recens nulla Græcorum extaret colonia; nec Græcum nomen *Panormos* altero eorum in Siciliam appulsu Græci intulerint; priscis omnino Æolicis & Pelasgis illud tribuendum, ortumque ab illis *Panormum* habuisse pro satis comperto habendum putaverim. *Antiquum Panormi vocabulum*, verba sunt laudati Cluverii, *compositum est ex duabus vocibus* ΠΑΝΥ *&* ΟΡΜΟΣ. *quorum illud* omnino, *hoc* navium appulsum *sive* stationem *significat*; *quasi dicas Eximium portum. Diodorus lib.* 22. *Pirrus Panormitanorum urbem aggreditur, quæ pulcherrimum totius Siciliæ Portum habet, ex quo & appellationem istam urbs consequuta est*. Et sane a parva Mole, seu *Cala* ad Papyretum usque sinus maris protendebatur angustus, circa aquilonem; alter vero sinus ad meridiem latior ad fossam, vulgo *Gorofolam*, ultra Teresianum Cęnobium sub Portę Novę area amplum occupabat spatium, Terræ vero cuspis inter utrumque sinum jacens initium inde habuit, ubi S. Antonii Parochia, ibique Turris *Baych* præcipuum Palęopolis, seu veteris *Panormi* propugnaculum, portui imminens, a qua non longe turris altera *Pharus* circa Fratrum S. Joannis de Deo Conventum videbatur.

De Portu Diodorus idem lib: 11. tradit; Belli Punici tempore Romanos classe navium ccı. illum occupasse, jactis prope muros anchoris. Amilcharis vero Pęnorum Ducis naves numero ad D. eumdem tenuisse ibique per triduum classarios refectos, & alibi lib: 14 Imilconem cum longis navibus cccc. & onerariis DC. *Panormum* trajecisse scribit. Gaufridus Malaterra, qui sub Northmannis vixit, Pisanos catenam, quę portum ab una ad alteram claudebat partem, confregisse memorat;

morat; hæc autem ab arce maritima ad S. Mariæ de Catena templum juxta Fazellum extendebatur. Harum porro stationum opportunitas, simulque agri fœlicitas Phœnicibus occasio fuit inibi gentis suæ præcipuum emporium statuendi; Factum ab hinc, ut *Panormus* frequentior evaderet, & prima inter Phœnices colonias haberetur. Id quod vetusta illorum monumenta & sepulchra nuperrime extra Portam Novam defossa apertè declarant. An post Pelasgos ante Phœnicum colonias Sicani urbem nostram tenuerint, certe firmare non auserim. Invegius annuit, multisque ostendit; Numos immo complures adducit, in quibus Sicanorum elucet religio, seu verius superstitio, ab Hercule præ aliis promota, quem in oras invectum Panormitanas contendit. Cyro Persis imperante, uti cũ Valguarnera & Cluverio Invegius supputat, Carthaginienses majori numero, Mazeo Duce, in Siciliam delati, armis rem agentes, non exiguam Siciliæ partem sibi vindicarunt, exceptique, uti reor, a Phœnicibus contribulibus, aut forte etiam per ipsos evocati, per oram *Panormitanam* late sese effudere. Tunc veteri novam accessisse urbem meridionali portui adjacentem, conjecturæ suadent. Polybius enim utramque memorat; ex Diodoro *Exterior* appellata est ea, quam Polybius *Neapolim* dixerat. En hujus verba in gestis Primi Belli Punici: *Novi Consules Aul. Attilius & Cn. Cornelius classe navium cccc. Panormum in Siciliam appellunt, eamque urbem cæterarum caput in ditione Carthaginiensium, aggrediuntur. Dejecta non difficulter turri ad mare sita, quum illac irruissent milites, capta est per vim illa opidi pars, quæ dicitur* Neapolis; *nec mediocriter illa, quam veterem vocant periclitabatur*. Diodori autem locus habet: *Romani con-*

tinuo

tinua oppugnatione, & machinarum usu, murum dejecerunt, & urbe Exteriore *potiti, multos interemerunt; ceteri in antiquam urbem refugere*. Ex Polybio porro discimus *Panormum* caput fuisse ceterarum in Sicilia, quas sua sub ditione Pœni tenebant. At qualis tunc fuerit ejus amplitudo, & frequentia, colligi ex illo poterit, quod expugnata demum ab Romanis quum fuisset, XIV. civium m. e victorum se manibus pecunia redemerunt; X. vero m. vel uti legunt alii XL. m. captivi abducti sunt; quumque in diuturna & obstinata obsidione, multo plures ceciderint, quò incolarum numerus excesserit, perspicue satis arguitur. Turris ad mare, quam Romani ex Polybio facile sibi vindicarunt, ubi hodie Arx major dubio procul surgebat; Nec enim alibi vestigia extant

Auctam nihilominus sub Romanis subinde *Panormum* complura evincunt; quod Liberis nempe Civitatibus accensam illam Senatus volu erit, quod singularibus affecerit gratiis, & privilegiis, demumque Augustam Coloniam constituerit. Idque vetera etiam testantur numismata in præcipuorum Reipublicæ Consulum honorem *Panormi* cusa, quos vel Rectores vidit, vel sibi specialiter beneficos Sicilia experta est, quasi aut *Siculorum* omnium loco, aut ob collata in patriam munera vices *Panormitani* rependerent. Nec minori celebritate sub Cæsarum dominio floruit, uti insculpti lapides a *Panormitana* Republica illis dicati evincunt, quos bene multos adhuc hodie superstites videmus. Tunc Sanctarum Virginum Nymphæ & Christinæ, nec non Mamiliani Episcopi aliorumque Christi pugilum martyrio consecratam quoque *Panormum* Historiæ perhibent; sequentibusque sæculis pari prorsus felicitate iis affluit bonis, quibus anteferri ceteris in-

insulæ civitatibus, & antiquas omnino æquare fortunas meruit. Adeptam enim Gensericus Vandalorum Rex, post diutinam oppugnationem, Regiam constituit Civitatem, quod & Theodoricus juxta Procopii mentem præstitit; in ea quippe urbe validum Gothorum suorum posuit præsidium. Politiam vero quod spectat Ecclesiasticam, egregiis Præsulibus, & uti tradunt, Primatibus, ejus Ecclesia illustrata; civibus dignitate etiam maxima, sanctimonia, & virtute præclarissimis insignita resplenduit; Carolum, gestis, ac nomine Magnum incolam aliquando, & ex sacro latice Siciliæ præfectum levantem habuit, atque ex ejus genere Rosaliam celeberrimam Anachoritidem aluit, quæ sola una velut urbis nostræ decus supremum, inclytumque sufficeret.

Quid Sarracenis rerum potentibus *Panormo* non accessit, aut gloriæ, aut claritudinis, aut famæ. Adalcan, sive Alcamus, qui jugum primus insulanis imposuit, nil habuit antiquius, quam sibi *Panormum* subiicere, eamque ditionis suorum caput designare. Enumerantur hinc *Amiræ* circiter XX. ab anno Christi DCCCLV. apud Invegium, ad MXXXVII. qui *Panormi* sedem statuere, atque insigniter populo, ædificiis, publicisque monumentis auctam voluerunt. Theodosii Monachi de sua & Syracusani Episcopi captivitate extat Epistola, in qua celeberrima tunc temporis, civibusque frequens *Panormus* dicitur *adeo ut illuc universum Sarracenorum genus confluxisse putaretur, atque urbi primoriæ permultas adjacentes urbes posuisse*. Et Regium sane Palatium ad urbis hodie verticem, Cuba, & Zisa, extra mœnia illorum opus habentur, adduntque alii, magnificas Maris dulcis ædes, ac piscinam iisdem deberi, præter profanas Basilicas, ubi ad impia

sacra conveniebant, quas perpurgatas Northmanni Principes Vero Deo deinceps dicatas voluere. Horum contra Sarracenos expeditio in Siciliam xi. sęculi anno circiter lx. consignatur, At nonnisi lxv. *Panormo* potiti, eam quoque sibi Metropolim destinarunt, novisque munimentis firmiorem reddidere. Vidit Falcandus Guillelmi tempore, qui quartus a Rogerio Comite Sicilię imperitavit; quamvis *Panormi* sextus fuerit Princeps; nam ante Rogerium Robertus, ejusque filius res administrarunt. Falcandus igitur *trina partitione distinctam, tresque in se particulares continuisse civitates* affirmat, *quarum quæ inter extremas media collocabatur*, (& vetus hęc fuit, sive *Paleopolis*, *Neapolis* ad dexteram, Transpapyretica ad sinistram, sive ad aquilonem) *latitudine* quidem *parum habebat*; *in longum vero spatio majore porrectam*, *viæ tres describebant*, *Mediа vicus marmoreus dicebatur*, *altera a turri Pisana per viam coopertam ad domum Archiepiscopi*, *juxta majorem Ecclesiam ducebat*. (Pisanam Turrim Thesaurorum custodiæ destinatam Gvillelmus I. ad Palatii angulum statuerat) *Tertia demum ab Aula Regia*, *quæ Palatio subest*, *per domum Sarraceni*, *ad ædes Silvestri Marsicani*, *& Capellam Georgii Amirati* (est hodie Ecclesia de Marturana) *& inde ad propinquam urbis portam porrigebatur*. Ante Falcandum Arabs Christianus in Itinerario, Rogerii Regis ætate enarato, hanc ipsam urbem a Falcando designatam sua lingua *Kassar* appellavit, unde nunc celebri viæ nomen factum; Suburbia vero, alterius civitatis vocabulo *Kalsa* dixit. Celebrat autem in illa Regias Ædes, Maris portam, & Navale; nec non Orethi fluminis, meminit, quod australes Suburbiorum oras alluebat, molasque triticeas agitabat. Per hæc porro tempora

aggesta humus, quam passim amnes, ac torrentes advexerant, sinus maritimos majori ex parte compleverat; Cives hinc certatim loca, seu terras ex equore factas occupaverant, ædibusque extructis quaquaversus urbem auxerant, jamque muris suburbia adhæserant. Beniaminus idcirco Tudolensis, Guillelmi II. tempore, *Urbem Magnam Panormum* compellans, bis passum latitudine, totidemque longitudine cum Suburbiis complexam vulgavit.

Id spatii Fridericus hujus nominis I. Siciliç Rex, & Romanorum Imperator mçnibus instruxit; mox Fridericus alter, & Petrus, aliique Principes, eorumque Legati, Senatu, Populoque Panormitano æs suppeditante, propugnaculis, & aggeribus adjunctis, longe munitiorem urbem reddidere, qualem hodie spectamus. Referunt hinc majori ex parte propugnacula illorum nomina, quorum auspiciis constructa. Invegius Falcandi verba exponens, locis hodiernis indicatis, perspicue, qualis Northmannorum ævo *Panormi* fuerit facies, ostendit. Fazellus veluti ob oculos eam exhibet, uti ætate sua spectabatur; qua nunc magnificentia sedeat, Ego jam supra brevissime indicavi. Qui fuerint porro temporibus hisce ejusdem progressus in Siculis Annalibus consulendi; potissima enim Siculæ Historiæ capita *Panormum* concernunt. Superest Civium mores, indolem, studia, excellentiam denique expromere.

Panormi Genius sub senis cujusdam figura, caput corona præcinctum habentis, exprimitur; cujus corpori serpens advolvitur, pectus obmordens, sive alimentum veluti ab ubere sugens, cum epigraphe *Suos devorat, alienos nutrit*. Id enim singulare servant cives, ut in exteris excipiendis, fovendisque

nulli

nulli, Fazello teste, sint secundi; Confluere idcirco, sedesque *Panormum* transferre omni pene ęvo Januenses, Pisani, Galli, Hispani, & alii sunt visi, uti cujusque nationis sacræ, hospitalesque ædes potissimum declarant; non tam quod emporium singulis ętatibus rerum omnium fuerit celebratissimum, sed quod insita veluti comitas, & in extraneos propensio incolis videatur. Reliqui hinc ex insulanis propria quasi in patria excipiuntur; fit inde, ut dum, aut forensibus in supremis Regni Aulis vacant negotiis, aut studiorum caussa, aut occasione aliqua alia *Panormi* degunt, suis in laribus dies ducere, sibi blandiantur. Optima quippe studia, forensia pręsertim, ingenuas, liberalesque artes *Panormitanos* profiteri, & cum confluentibus ad eos communicare, tot testantur Academię variis in locis institutę, summaque contentione in Dynastarum aulis coactæ; Nobili erudiendę totius Siciliæ juventuti reserata Ephebea, innumerisque aliis Legali disciplina imbuendis aperta gymnasia, Testantur nuper congesta publica Bibliotheca, totque aliæ publico etiam commodo privatis in ędibus, & cęnobiis, cum divites, tum selectæ; editi in dies libri; pręstantes eruditione, & scientia omni ætate viri; Juris consultissimi pene absque numero; summi denique in naturalibus, sacrisque facultatibus Magistri. Prę cęteris vero in literariam rempublicam *Panormi* merita commendant, veteris ęvi memoriis, rebus exoticis mirandisque artis & naturæ operibus referta Collegii Societatis, & S. Martini Musea; Ut de Opificum, Operarumque cętibus sileam, quorum & singularis est peritia, & insignis industria, ut nihil passim artefacti, quod non imitentur, aut moliantur, invenias.

Hic veluti proprio in loco de *Panormitanis* Scri-

ptoribus agere pretium operę foret, vetustumque Andream Philosophum, & Historicum, Antonium Panormitam Laureatum Poetam; Titum Calphurnium Bucolicum, Petrum Ranzanum Annalium totius orbis Compilatorem, Antoninum Dianam Theologiæ morum copiosissimum scriptorem, Franciscum Mariā Magium vitæ sanctimonia, editisque innumeris operibus clarum, Carolum de Neapoli græcè doctum, Josephum Galeanum Medicum prętantissimum, aliosque celebrare, nostroque ævo illustres, Michaelem de Judice, Benedictum Castronum, Antoninum Mongitorem, cui S. P. Q. P. simulacrum in civili basilica constituit, cęterosque laudare, sed omnes, etiam pręter enumeratos, satis præcipuos complecti, vix possem, quia brevitatis, cui plane studeo, limites excederem. Alibi in Auctario ad Fazellum Dec: 1. lib. 8. ex eodem clarissimo Mongitore in Sicula Bibliotheca circa occcc. computari protuli, & quos novissimos vir doctus, nec minoris eruditionis, illius Nepos Franciscus Serius ejusdem Bibliothecæ editioni secundis studiis inhærens, in catalogum refert, ad millennarium ferme numerum pertingere optime novi; ut hinc qua animi propensione *Panormitani* in literas incubuerint, ęquum feratur judicium; neque minori hodie contentione in idem adnituntur, insignes quotquot, eruditissimo hoc sæculo vivunt, quorum etiam nomina, ne longus evadam reticeo; hujus aliunde Lexici variis in locis eorum cum laude memini.

Religionem quod attinet, ab initio fundationis veram, sinceramque eam fuisse penes antiquissimos progenitores suos, Inscriptis quibusdam lapidibus innixi, ex genticis Scriptoribus nonnulli mordicus adstruunt; lapidum quippe characteres Dei Optimi Ma-

ximi

ximi cultum apud illos viguisse aperte innuunt. Verum monumenta alia, uti sunt numismata inanium Deorum capitibus Cereris, Jovis, Apollinis, Neptuni, Minervæ, Mercurii, Martis, Herculis, Veneris, Castoris, & Pollucis signata, cum literis ΠΑΝΟΡΜΙΤΑΝ, Sicanis ab Invegio adjudicata, Græcis dubio procul *Panormi* incolis, ac civibus adscribenda, oppositum evincere videntur; non omni scilicet ævo *Panormitanis* cum arrisisse syderum aspectum, ac lumen affulsisse, ut superstitioni nusquam animum adjecerint. Ex primis cętero, Christianæ fidei rudimentis, cum aliis insulæ civitatibus initiatam *Panormum*, & Apostolicum Episcopum illi datum fuisse, uti inconcussum habent. Quos inde genuit ejusdem professionis Heroas jam supra innui, nonnullos & præcipuos celebrando, Invegiusque Annal: Pan: Tom: 2. in ordinem XLVII. refert, complures alios Mongitorius enumerat, ac nostra ętate Joannes Baptista Sidoti apud Sinas pro religione morti adjudicatus, Andreas Statella ex Principibus Jaspicæfundi, apud Carmelitas Salvator appellatus, quorum strenue Reformationem, sive, uti vocant, *Observantiam* promovit, clarusque eximiis virtutibus Arimini piissime obiit, aliique, quorum sunt nomina in cœlis scripta, ac gesta peculiaribus libris exarata, Illustres memorantur.

Ecclesiæ & Sæculi dignitatibus claros quis enumeret? Triregno, Purpura, Infulis ornatos, supremisque sacris muniis profunctos; Togis, Militię primis præfecturis, Regiis legationibus, ac Domus Regiæ splendidissimis gradibus donatos patria Panormitanos, quin paginę excrescant, tenuis noster sermo percensere vix poterit. Proxime elapsis annis Casimirum Dragum, cui ob merita in patriam bustum e marmore in Prætorio ere-

erectum, Baltassarem Nasellum, & Aloysium Rigium mundo sublatos, indoluimus; vivunt Petrus de Bononia, Michael Rigius, Siciliæ utriusque Regentes, Stephanus Rigius, Antoninus Montepertus apud Reges Catholicum, & Polonum Legati; Andreas Rigius Hispaniæ Talassiarcha, ut cęteros prętercam. Veteres autem apud Scriptores consulendi, & in clarissimi Mongitorii *Museo Panormitano*, ubi illustrium Virorum Elogia Panormi civium congessit.

De *Panormi* numis Paruta, qui eorum ectypa exhibuit, & Invegius, qui eruditissime descripsit. Litteratos lapides Ignatius Notus post Gualterium, & Invegium in lucem emisit, & docte exposuit. De Portis earumque Inscriptionibus, Cajetanus Giardina, & Liparius. De Principe Templo Joannes Amatus. De aliis *Panormi* memorabilibus Fortunius, Baronius, Auria, Strada, Masbel, Serius, & prę omnibus laudatus Mongitorius cum editis, tū mstis. operibus. Longitudo *Panormi* est grad: xxxvii. xii. Latitudo vero grad: xxxviii. x. Ager fęlicissimus per xl. pass: m. diffusus majori ex parte planus, collium corona cingitur, ubi perjucundæ venationes; aperto littore a Gerbino monte ad Peregrinum pass: m. x. extenso, terminatur, atque ad Carinis sinum extenditur. Callias apud Athanęum Cęn: Sap: lib: 12. *Totus, ait Panormitanus ager hortus appellatur, eo quod sativis plenus sit arboribus*, & Silius lib: 14. cecinit. *Fœcunda Panormus*

Seu sylvis sectare feras, seu retibus æquor
Verrere, seu cœlo libeat sectare volucres.

Recentiores vero, nunc eximiæ pulchritudinis Picturam; nunc unicum totius Siciliæ delicium, Naturæ Thesaurum, Paradisum, Amphiteatrum, Auream denique Concham passim celebrant; Geniumque, de quo

quo supra, Conchæ idcirco inflexum, aquis redundans affluunt; complures enim fontes irriguum reddunt, quorum præcipuos, uti & colles, regionesque australes, ac aquilonares alibi laudavi. Mari demum satis abundè piscoso utitur, cum celeberrimis cetariis. Vide de *Boybario*, & de *Cellibus*.

S. PANTALEONIS Insula, quam *Ægitallo* promontorio, hodie a S. Theodoro nuncupato, adjacentem Cluverius dicit, occiduo Siciliæ littori, a Lilybæo haud procul, sinu maris parumper profundo interjecto, obversa, Motyæ olim celeberrimæ urbis servare reliquias passim traditur. Appellabatur Saracenice *Zezebun* & *Zizaretb*, & in Rogerii Comitis diplomate *Istro Malbugi*, idest, Insula *Conjunctionis*, in literis denique Christoduli Talassiarchæ, ejus, Northmannorum ævo, Demias, Græca fortasse voce: *Pantaleimon* dicitur, quod non in sinu, sed in maritimo potius loco sita esset; Latinis a S. Martyre cognomine ex ejusdem sacra ædicula, quæ periit, & in laudati Rogerii charta memoratur, tulisse vocabulum creditur. Cluverius sic describit: *Est hodie insula solo humili, atque depresso, iv. circiter stadia ab continente Siciliæ ii. ab Ægitallo* (S. Theodori) *pass: ii. ab Lilybæo vii. dissita, in quam unam, quum omnes historiæ congruant, nullum jam dubium esse potest, quin hæc sit illa, quæ olim Motyam Carthaginiensium urbem sustinuit.* Habet a septentrionibus *Burranis* insulam, a meridie *Aboanillam*, quæ & *Murium* dicitur, Gliribus enim abundat, sicut & nostra. Major est porro inter eas, quæ in sinu, seu stagno jacent.

Jam ex tot tantisque insignibus veterum monumentis Piscina perstat, *Saracenis* adscripta; Motyæ urbis reliquiæ penitus etiam disjectæ videntur,

ut nulli prorsus usui esse possint. Ager fertilis, & salebrosus, ac prope littus Salina. Juris olim fuit Theoduli Amirati, cujus donatione ad S. Mariæ de Crypta Monasterium ordinis S. Basilii pervenit. Hodie Societatis Jesu Panormitanum Collegium, cui Abbatia illa Caroli V. Cæsaris privilegio fuit unita, possidet. Portum Motyensem celebrant Diodorus & Polyænus inter insulã, & Siculi littoris promontorium aquilonare, hodie S. Theodori, ex Cluverio *Ægitallum*. *Mole*, inquit hic, *haud dubie ab insula versus promontorium inclusum.* Polyænus quippe de Dionysii contra Motyam expeditione, cui Himilco Pœnus Talassiarcha adversabatur, tradit, quod *Dionysius Himilcone advenigente, atque ostium portus Motyensium præsepiente, copiis a Motya deductis castra e regione constituebat, nautasque, & milites, ut bono essent animo hortabatur, traductionemque navium pararent. Sub Promontorio, quod portum includebat, locus erat planus, & luto cænoque obductus, latitudine xx. stadiorum. Hunc milites obstepiebant lignis, triremesque LXXX. trasportabant uno die.* Hodie via naviculis tantum est permeabilis; Stagnum idcirco appellatur; quamvis inter *Burronem* & promontorium euripus sit, uti alibi ostendi. Non omiserim in quibusdam mappis insulam nostram *Cerasidis* nomine venire; Sed est hæc alia parvi ambitus a *Burrone* haud procul; quinque enim in Stagno, de quo inferius dicam, insulæ jacent, quarum est major S. Pantaleonis.

PANTELLARIA Insula Veteribus nota sub *Cossura* & *Cossyra* vocabulo. Geographo Nubiensi, seu Arabo Christiano Punica voce dicitur *Kausera*, & ex Bocharto *Kosera*, Phœnicibus, idest *Parva*. Jacet inter Siciliam & Africam in mari Libyco, contra Selinuntem, hodie Saccam, a qua pass: m. LXX. distidet in

se-

septentriones e conspectu Tripolis ad meridiem, & promontorii Mercurii circa occidentem; Demumque ex ortu Carthaginis respicit littus pass: m. xxxvi. distinctum, cujus arenosi tumuli diu, noctuque ignes in nostrorum insulanorum oculos perspicue incurrunt. Ejus est ambitus pass: m. xxxvi. errantque turpiter, qui ad xix. contrahunt. Figura ellipsim imitatur; asperrimis, & salebrosis collibus, rupibusque abundat, cryptas frequentissimas habet; nec dubium, quin Vulcanus e profundo emergens, foras protulerit, quod nedum ex silicibus aridis, & nigris, bitumine, & sulphure infectis, sed ex variis aliis effectibus, quos infra recenseo, evincitur. In desertis Insulæ plagis tres aperiuntur portus, iv. pass: m. inter sese distantes, quorum unus contra Africam *Scauri* nomen referens, Pharum, nautarum commodo, habebat. Speculæ x. per littus universum, ad piratarum cavendas insidias, & excursiones, dispositæ cernuntur; Opidum munitionibus, muris, & arce instruitur, in qua cum milite custode non levis numeri, Regius Præfectus residet. Ager culturæ aptus, vites, xylonis plantas, oleas, domesticas arbores, frumenti, ordei, & leguminum segetes fert; sed majori copia xylon provenit, cujus ingentem quęstum cives, nedum per Siciliam, sed per Italiam faciunt. Montosæ regiones pascua capris, bobusque præbent; fruticibus, sterpibus, dumetis vestiuntur, venationi aptissimis, iisque præsertim abbundant, quos vulgus *Lestincos* appellat, Latini vero Lentiscos, ex quorum bacchis coloni oleum educunt, nec sylvæ Ilicibus, aliisque trabibus densæ deficiunt, navium etiam majorum constructioni, & variis usibus aptissimis. Hinc illud Ovidii Fast: lib: 3.

Fertilis est Melite sterili vicina Cosyra.

de frugum indigentia, quæ ad insulanorum necessitates minime sufficiunt, intelligendum, & ubi cætero solum repugnare videtur, sagax mortalium supplet industria.

Fazellus, & Kircherius aliorum relatu varia phænomena, seu potius arcana naturæ prodigia in medium adducunt, quæ per universam pene insulam spectantur; sed paullo ab iis diversa, ὁ oculato teste, omnique exceptione majori, prolixa enarratione mecum communicatis. Sunt autem hæc: In montium centro ad ccc. pass: ab ora maritima lacus, Balneum vulgo, ambitus pass: M. enormisque profunditatis, aquas lixivii instar continet, quibus incolæ telis, pannisque candefaciendis utuntur; piscibus caret, sed hiberno tempore aquatiles volucres illi turmatim insidunt; ad eorumdem vero montium radices aquarum venæ calidæ emanant. Antrum non longe, Siccum Balneum appellatum, aperitur, quo ægri conveniunt veluti ad hypocaustum; in eo foramen calidum exhalat fumum, qui in chrystallinam resolvitur aquam iisdem ægris salubrem. In regione *Serraglio* collis subrigitur *Fenosa*, a quo haud procul sulphuris minera probatissima. Illum subeuntes murmur ingens, sonitumque, veluti aquæ ex alto in preceps decurrentis audiunt, densissimus hinc fumus e variis rupium scissuris egrediens circumstantium arborum foliis adhæret, & in aquam convertitur, quæ passim calore destituta, restinquendæ siti, aliisque usibus inservit. Latices undique per oras insulæ, licet promanare videantur pene ebbullientes, in crypta *Gadir* ad septentriones paulatim frigescunt, morbisque curandis efficaces habentur. In portu *Naicà* IX. circiter pass: M. ab opido, fluvius ebbullientis etiam aquæ mari admixtus

mixtus intolerabilis tangentibus evadit, servatque fluctus inter adhuc calorem. In vico *Bucceram* IV. ab urbe lapide, ad collis radices e subterraneo cryptæ cujuspiam foramine, æstivo tempore, flante aquilonari vento, intensum adeo frigus concipitur, quod nivis vices rebus congelandis, gerit. Quæ sane omnia, uti innui, interni ignis certissima sunt indicia, qualis in Vulcaniis insulis comperitur.

Incoluere omnium primi *Cossuram* Phœnices, nec parvo numero; mox e Carthagine deductæ coloniæ, quum in Siciliam Pœni trajicere, imperium in ea firmandi animo, cępissent, occuparunt; nam in trajectu occurrebat. Perstant hinc opidulorum rudera ad XIX. cisternæ, quibus incolæ in aquarum indigo solo utebantur, ad plura millia enumerantur; veterum sepulchra undique occurrunt. Victorię demum, quas de *Cossurensibus* & Pęnis Romani Consules non semel retulerunt, in Fastis Capitolinis memoratæ ex frequentioribus extra Africam illorum coloniis nostram fuisse insulam evincunt. Testatur Zonaras Ser. Fulvium, & M. Æmilium ventis in *Cossuram* cum classe delatos, Pęnis in ea devictis, rerum summa potitos; Verum Romanis navibus summa tempestate disjectis, datam esse Pęnis illam recuperandi opportunitatem. Reipublicæ fasces denuo recognovit, sed ab antiqua celebritate minime decessit, quod vetusta aliquot numismata testantur, cum Latina Inscriptione, Romanorum ævo percussa, de quibus fuse inferius dicam. Christianis temporibus, quum Africa, & Sicilia sanctissimis Evangelicę legis pręceptis colla subdidissent, nostræ quoque insulæ datum, ut iisdem inter primas institueretur. Sed quę sequenti ęvo ejus fortuna fuerit, omnino latet, & unde *Pantellariæ* no-

men illi obvenerit, haud satis dispicitur. *Pantaleos* Antiochiæ populos in illam nihilominus appulsos, deducta ab antiquis traditione, vocabulum indidisse credunt sæculo VII. qui ordinis S. Basilii Monachos dudum ibi constitutos invenerunt. Sarracenorum incursionibus subinde vexata, sub eorum tyrannide aliquando ingemuit, donec Rogerii Comitis virtute in libertatem restituta, Siculorum Regum dominio subjecta deinceps remansit, & Mazarensis Episcopi curæ demandata. Habes paullo post Insulæ Dynastas; interim qualis ejus sit conditio indicabo.

Habitatur ab ea cœli plaga, qua solis æstivus occasus terris accidit, præcipuumque opidum mœnibus cingitur, quod arcem tormentis majoribus instructam rupibus insidentem habens, Turcarum conatibus propulsandis firmum, & aptum propugnaculum evadit. Vici circa opidum aliquot visuntur, adeout incolarum numerus millia ferme IV. excedat. Custodes milites Regii CXL. censentur sub Præfecto, qui Ducis ad arma titulum refert. Huic & incolæ, quo ad belli ministeria parent, animi robore strenui, ad tuendam patriam nullo non tempore promptissimi, vigilias denique alternatim sponte sua in speculis contra piratarum incursus agentes. Parvus portus naves excipit minores, ac paucas triremes, sed hic elapsis annis longe capax erat; Sæculo enim VI. Rogerii Classem XV. triremium tempestate agitatam sinu condidit suo. Aer sanus est, ac perfectus, gaudentque opidani valetudine firma atque integra; aquis enim sulphureis, quas ingens puteus subministrat, utuntur; ad reliquas vero vitæ necessitates pluviales adhibent; labore aliunde, & industria vivunt, colendisque agris continue incumbunt; Nec fœminæ otiis indulgent, gossipiisque

que

que telis, aut texendis, aut candefaciendis perpetuo vacant, lavant sæpissime, piscationi indulgent, & nauticæ artis periti audiunt. Siculo demum idiomate, & Punico loquuntur.

Princeps Ecclesia Parochialis SS. Salvatoris titulo, antiquissimæ ab anno MDCCXLII. Canonico Collegio decorata extitit, cujus sunt Dignitates, uti appellant, tres, Alumni IX. Mansionarii VI. cum reliquis ex Clero sacris officiis quotidie intenti. Huic sacræ ædes VIII. filiales, in quarum una Sacramenta etiam administrant, subduntur. Conventus quoque Capuccinorum, ubi fratres pietatis munia obeunt, videtur; & extra opidum Rurales aliæ Ecclesiæ non desunt. Cultu præcipuo Deiparam Virginem, ejusque imaginem, miris prodigiis claram, sub appellatione de *Margana*, incolæ prosequuntur, ac veluti singulare Præsidium venerantur, cujus extat basilica ad pass: m. ab opido. Hanc non semel Turcas piratas temerare, aut spoliare ausos, sacrilegii pœnas dedisse tradunt, nec inde insula excedere illis datum fuisse, nisi rebus furto ablatis integre redditis. Unde in insulam depicta tabula, aut quo tempore advenerit, paucis ab hinc detectum affirmant, e Calabria scilicet, Cœnobii S. Mariæ de Patirio Monachos metu Sarracenorum secum devexisse anno DCCCLVII. Quod hi porro Monachi S. Basilii disciplinam simul introduxerint, affirmari jure poterit; floruit enim non diu post in insula ejusdem ordinis Sanctissimus Abbas Basilius Primeranus, congregatisque sociis humiles primum casas cum illis incoluit, Monasterium denique Regis liberalitate constructum ac bonis locupletatum rexit. Hujus hodie situs incertus. Sed Basilii successor Joannes ejus frater memoratur post annum MCXV. quo ille plenus

die-

dierum piissimo fine quievit. Servatur in majori Ecclesia integrum S. Fortunati Martyris corpus speciali etiam cultu ab insulanis veneratum.

Prima, quę in Regiis libris elucet *Pantellariæ* concessio *Eleonoræ* Reginę a Friderico II. ejus conjuge facta in annum MCCCVI. rejicitur; qua decedente *Guillelmus* Infans, Calatafimis, aliorumque opidorum Dynasta obtinuit. Post ejus sine hęredibus mortem *Joannes* alter Infans, Randatii Dux, Insulę dominus renunciatur, hũcque *Fridericus* filius excepit, quo sane tempore Sarraceni majori ex parte occupabant, & ipsi tamen Siculis Dynastis clientari jure subdebantur. Tunc Januenses nostris infesti insulam popularunt, uti ad annum MCCCLII. refert Fazellus. Opidum atque arcem expugnatam, civibus occisis diruere. *Friderico* Infanti, puerulo adhuc, e vivis sublato, *Ludovicus* Rex successit, & huic Fridericus III. qui Cameræ Reginalis, uti dicunt, *Pantellariam* cum aliis in Sicilia esse præcepit. Turbis a Friderici morte Siciliam exagitantibus *Bernardus* sive *Joannes Sanctus Lazarus* Januensis nostram sibi insulam vindicavit. Verum Martino Regni potente, quam resignasset, paullo post ex Regio indultu sub censu annuo unciarum triginta MCCCXCIV. eam rursus sub potestatem accepit. Sequentis nihilominus sæculi anno VI. ad *Demanium* est revocata, ac ne usquam dynastis concederetur, insulanis rem sollicitantibus, Rex idem sanxit. Hi sub Alphonso ab omni tributo liberi, quoties negotiandi caussa in Siciliam appellerent, declarantur. Verum anno MCCCCXXI. primum N. *Sgmarciafico*, mox *Francisco de Belvis* subjecti, ejusdem Principis rescripto decernuntur. Quo ex tempore in feudum *Pantellaria* cessit. Ex proventibus porro Panormi scutata insuper CCC. ut in

mili-

militaris præsidii stipendium cederent, *Belvis* sunt anno MCCCCXXII. designata. Ejus filia *Joanna* sub matris tutela relicta *Aloysio de Requesens* anno MCCCCXCII. vendidit. Fuit hic Bernardi Siciliæ Proregis Augustæ, Acis, Solanti, & Cephalœdis Comitis filius, unde *Joannes*, qui improles decessit, successoremque *Bernardum* fratrem germanum habuit. Fulsit hic arcis Panormitanæ, & Classis Regiæ Præfectus, nec non Siciliæ Magnus Cancellarius. Ex eo & Julia Vigintimillia *Joseph* jure matris Buxemii Comes, patrisque muniis & dignitatibus honoratus, ac Regni Vicarius Generalis. Huic natus est *Antonius* primus *Pantellariæ* Princeps anno MDCXX. Philippi III. privilegio renunciatus, ex XII. Regni viris, Panormi Prætor, cujus successores de Buxemio loquens tom: I. commendavi.

Caroli Cæsaris ævo *Josepho* jam laudato dynasta, MDL. Sinanus Turcarum Talassiarcha, exscentione in insulam facta, arcem triduo obsessam tandem expugnavit; muro enim tormentis bellicis XX. disjecto, ex pactionibus sese dedere cives compulsi sunt. Ex his XC. uti promiserat, liberos ille dimisit, reliquos in servitutem redegit; igne & ferro omnia diripuit, prædaque onustus discessit. Triennio post Draguttus centum triremium classe eò etiam appulsus, refecta non diu ante mœnia, arcemque diripuit, opidanosque, ac propugnatores supra mille captivos abduxit. Tunc ejusdem Caroli V. mandato novis, ac firmioribus propugnaculis, & bellico apparatu ad obsidiones tolerandas arx instruitur. Anno subinde MDLXXXV. Comite de Alba Siciliæ Prorege rursus reparatur, Præsidiariis militibus, eorumque Præfecto designatis. Paucis denique ab hinc Caroli dudum Siciliæ, hodie Hispaniarum Regis jussu, ac munificentia Præsidiarius Mi-

les

les est auctus, tormenta bellica, commeatus, aliaque id genus in arcem illata, ad hostium assultus propulsandos, rem solicitante Ballistariorum Tribuno Josepho Petra, egregio viro, artisque machinariæ callentissimo, ad Siciliç munimenta lustranda deputato. Ab eo, e *Pantelleria* reduce, veteres *Cossuræ* numos complures accepi, quos hic ad calcem referre curabo.

Habet primus caput muliebre velatum cum modio, pro cujus vultu Victoriola cum corona. In area postica figuram galeatam sinistro poplite flexo, brachiis circa latera arcuatis, & hinc per totum arborum ramulos interspersos. Exhibet secundus caput muliebre velatum cum modio; ex altera vero parte coronam Lauream, in cujus centro Punici caracteres exprimuntur. Tertius caput quoque non absimile, sed victoriola retro coronam imponit, ante baculus effingitur; nota item vel monetariæ officinæ, vel aliqua alia occasione impressa literas PEG repręsentat. In postica parte Corona laurea signatur cum epigrapha COSSURA, & murali machina, uti credunt; inter lauri folia bacchæ. Ejusdem ectypi tres alii notas cum aquilæ figura impressas habent. Sunt porro hi omnes medii moduli. Minoris moduli primus caput muliebre velatum cum corona, quam victoriola ante faciem stans, porrigit, & notam exhibet impressam ND. In postica vero area coronam e lauro & inscriptionem COSSURA offert. Ejusdem ectypi sine nota alii. Secundus caput muliebre habet, quale in primo, sed absque nota; in opposita vero parte Corona videtur laurea, & Punici characteres. Bina capita, uti apud Parutam, in nullo adverti.

PAPYRETUS Fluentum, hodie angustus lacus intra Panormi mœnia ad æstivum occasum, & aquilonem,

lonem; unde ejusdem urbis regioni situ depressiori nomen, copioso ex fonte oriebatur, & in aquilonarem portum sese exonerabat. Fazellus: *Urbis hæc pars, quæ septentrionem respicit, prisco tempore stagno maritimo usque ad eum locum, qui Papyretus hodie dicitur, alluebatur.... Alio cursu amnis, qui hac etiam ætate Papyretus dicitur, quique olim urbis mœnia cum stagno lambebat, & auctus jam urbem interfluit, limosus alioqui, & materiæ secum aliquid semper afferens, obturatis luto portus faucibus, paulatim illum ad maris usque littus opplevit, oppletque etiam in singulos annos*. Qualis autem sua ætate fuerit mox explicat. *Hanc urbis partem* Seralcadis, seu Transpapyreticam *Papyretus amnis statim influit, qui plures habens triticeas molas ad Panormitanum portum se exonerat*. Et de origine subdit: *Oritur autem extra mœnia ad passus mille fonte sub specu effluente, cui Aynsindis corrupte hodie nomen est... Is flumine & extra, & urbis etiam mœnia ingressus, statim in stagnum, paludesque diffunditur, ubi papyri magna gignitur copia, a quo & locus & amnis Papyretus est appellatus*. Hæc Fazellus. Verum Invegio, quod *Papyreti* limosa aqua, & materies, quam secum afferebat, lacum, seu portum impleverit, non probatur; potius quippe rivulus, quam fluentum ille erat, civibusque operosum adeo non fuisset limo, & materia per *Papyretum* illata stagnum, portumque expurgare. Alluviones id potius præstitisse dicendum. Circa originem fabulantur, quod a celebri Ægypti flumine Nilo illam recognoscat, circa cujus ripas Papyri proveniunt. A fonte Averinga, de quo dixi, unde Yharassus etiam progignitur, deducunt nonnulli. Alii in ipso *Papyreti* viridario caput egerere putant, & congruentius loqui

videntur. Denique, quum alicubi stagnando, urbis aerem illius aquę inficerent, anno MDXCI. Albalediste Comes, his per aquæductus alio derivatis, civium incolumitati prospexit. Decurrit hinc hodie *Papyreţus* ad pass: circiter M. subterraneis cuniculis, qui nonnullis in locis extantes videntur, & mari sese adjungit in mole parva, vulgo *Calo*. Cocodrillum palmorum pene VI. ostentant in *Papyreti* aquis deprehensum, uti ferunt; & hinc de origine ab *Ægypti* Nilo fabulam confirmant, Cocodrillis infesso. At enim alibi Cocodrillos ali, & generari tradunt, in subterraneis præsertim locis, ubi aquæ stagnant; nec tamen ex *Ægypto* hos provenire dicimus.

PARCUS NOVUS Opidulum hodie ad S. Mariæ de Altofonte Abbatem spectans, V. pass: M. ab urbe Panormo in occasum dissitum, in colle sedet amęnitate conspicuo, aquisque irriguo, cui ex eadem plaga, ab austro mons a *Pizzuta* appellatus imminet. Erat Parcus locus undique septus partim clathris ligneis, seu palis, partim muro, ac denique fossis circum, uti soli ferebat indoles, clausus, *Quosdam autem montes*, ait Romualdus Salernitanus in Chron: ad ann: MCXLIX. *& nemora, quę sunt juxta Panormum, muro fecit lapideo*, Rogerius *concludi, & Parcum deliciosum satis & amęnum diversis arboribus consitum, & plantatum construi jussit, in quo damas, capreolos, & porcos sylvestres jussit concludi*. Id opus Fazellus perperam Guillelmo II. attribuit. Pirrus, & Invegius apud Mongitorem ibi olim SS. Maximi & Agathæ Monasterium, ex iis unum, quæ S. Georgius in Sicilia construxit, stetisse affirmant, quod Sarraceni, ut conjectare licet, everterunt. Fons porro affluentissimus in plano collis jugo emergens, quod celso oriatur loco, *Altus*

est

est appellatus; Cœnobium idcirco, quod eo situ Fridericus II. Rex Cisterciensibus Monachis constituit, de *Alto Fonte* nomen retulit. *Ad laudem Divini nominis* inquit in diplomate fundationis MCCCVII. idem Fridericus, *in honorem gloriosissimę Dei Genitricis & semper Virginis Mariæ Monasterium in eodem Parco fundavimus, & imposito sibi nomine S. Mariæ de Alto Fonte, obtulimus illud Deo, ut quod charum nobis magis erat, & amabile valde, tamquam pretiosum opus Progenitorum nostrorum, jucundum admodum, studio ordinatum, & dignius, supremi Conditoris nostri deputamus servitiis, & quod corporali jam voluptati maturius videbatur accommodatum, spirituali potius usui deserviret*. Ibi enim Principes nostri ad relaxandum animum venationi incumbebant, ibi ad delicias ædes suburbanas cum oratorio habebant, nihilque forte aspectu jucundius tunc sese in agro Panormitano offerebat.

Primus Monasterii Abbas Petrus Gutius deputatus creditur: Dos autem pinguis legitur Monachis designata: *Novus* videlicet *Parcus*, & Vetus, Nemus Parthenici, cum facultate extruendi casale, Monasterium intra Panormi mœnia S. Georgii de Kemonia appellatum, aliaque bona, nec non immunitates omnimodę, libertatesque amplissimæ, adeout paucis possit hodie secunda *Parci* Abbatia computari. Crevit subinde Cęnobium magnificentissimis ędificiis, quumque passim mortales circa illud convenirent, justum in opidum *Parcus* coalvit, & illius idcirco Ecclesia Parœcialis effecta, incolis sacra ministravit, Monacho ex Cisterciensibus in Curatum delecto; quumque intra Montregalensis Ecclesiæ fines clauderetur, ejusdem Diœcesis pars evasit; jura idcirco spiritualia, uti ap-

 pellant,

pellant, ad Archiepiscopum Monregalensem, temporalia ad Abbatem spectant. Primus, cui *Parci* Abbatia a Martino Rege commendata fuit, Joannes Pontecorona Panormitanæ Ecclesiæ Canonicus, & Cantor memoratur; sed ei successit Joannes de Stephano Cisterciensis. Hunc excepere Hugo de Cardona, & Fabritius Subtilis Clerici; Sed Jacobus de Tedeschi Catanensis, ordinis alumnus brevi obtinuit, moxque Bernardus de Elefante, Cistercii etiam Monachus, cui Joannes de Elefante substituitur ab Alphonso MCCCCLVII. Post Joannem Godofridus Balves Benedictinus Congregationis Cluniacensis, Andegavii Episcopus & S. R. E. Cardinalis sufficitur; exindeque alii, qui ornandis, instaurandisque Cœnobio & Ecclesia omnē navarunt operam, Franciscus enim Sanchez Sacellum Nativitatis Christi Domini extruxit; Scipio Cardin. Rabiba Monachorum ædes, & Sacrarium, Andreas Mastrilli triclinium repararunt, Scipio Cardin: Burghesius templum magnificentiori schemate a fundamentis excitatum ad coronam usque perduxit MDCXXXIII. quod publico opidanorum ære demum perfectum est. De hodierno Abbate, ejusque in publicis Comitiis loco jam dixi. Computantur *Parci* incolæ 1221. & in Panormitana Comarchia clauduntur. Erat ex suffraganeis Ecclesiis Monasterii de *Parco*, vetus, & celebris sacra ædes S. Georgii de Kemonia, jam supra memorata, quæ mox elapsis annis Monachis Olivetanis cessit, uti dicam.

PAROPUS vetus opidum, cujus gentiles *Paropini* apud Plinium memorantur. Ad occiduum latus statuit Hofmannus; inter Soloentum & Panormum, ubi Cephala Arx, alii locant ex Polybio, qui Romanorum socios castra metasse inter *Paropum*, & Thermas Himerenses, scribit, ubi a Pœnis sunt fusi; Cluverius

verius ad Colesanum, ex ejusque reliquiis hoc opidum coaluisse scribit. Idem Plinius *contra Paropinos Usticam insulam* constituit. Forte igitur post Thermas Himerenses *Paropus* stabat, agrumque circa maritimam Thermarum plagam *Paropini* habebant, nam Ustica Thermarum littori orientali respondet. Quod idem fuerit *Paropus* & *Patiorus* Ptolemæo memoratus, Cluverius quoque affirmat. Vide infra *Patiorus*. Ad *Paropum* spectare æreum numisma tradunt, Cereris capite, aut Proserpinæ, & Hedaracea corona, in cujus medio inscriptio ΠΑΡ. legitur.

PARTANA Opidum, Principatus titulo hodie clarum. Antiquum appellat Pirrus, vino, atque malis aureis nobile; extabat enim Northmannorum ævo & non incelebre, agroque gaudet fertilissimo, variis aquarum venis undique fœcundato, pingui, ac fructibus ferendis apto. Ejus est situs in colle ad austrum, arx munitissima in clivo Andreæ Claromontano quo pacto describatur incertum habeo; extabat enim antiquæ sub Northmannis. Ædes parochialis major, S. Mariæ de Catena sacra ex Pirro; sed Domini Salvatoris Transfigurationi dicitur simul addicta; pingui dote instruitur, cui Archipresbyter sub Mazarensi Episcopo præest. Minoribus Conventualibus locus est in opido ab anno MCCCCLXXXIV. fundatus, cui S. Patriarchæ nomini dicata decens Ecclesia adhæret. Statua in ea S. Antonii Patavini miraculis illustris, a confluentibus undique populis summo in honore habetur. Capuccini extra, S. Andreæ ædem anno MDXLVIII. obtinuerunt, conditoque cœnobio sacris officiis frequentarunt. Pervetustum Carmelitarum Conventum Pirrus evulgat, quod sub Deiparæ Annunciatæ titulo hodie non infrequens effulget. Oratorium S. Philippi Nerii

Jose-

Josephus Rosso anno MDCXXXVII. in S. Mariæ fundavit, quod pene desertum. Augustinienses discalceati S. Nicolai ædem post elapsi sæculi medium incolunt; Sanctimoniales ordinis Benedictini sub Fundatoris titulo claustrum habent decentissimum ab anno circiter MDCLX. Orphanis puellis domus est designata; Mons Pietatis ęgrorum pauperum sub S. Antonii nomine hospitalem ædem habet adnexam, uti Pirrus memorat; Filiales demum Ecclesiæ per opidum XI. incolarum fovent pietatem, quorum sub Carolo V. lares numerabantur 654. capita 4866 erant anno MDXCV. Sequenti sęculo apud Pirrum foci 1172. animæ 4992. sed in Regiis libris de anno MDCLII. foci 1718. animæ 7122. censiæ venerunt. Nostra ętate MDCCXIII. lares 2832. animæ 7317. & novissime 7424. Complectitur *Partanam* Mazarensis Dięcesis, Salemitana Comarchia, & Saccæ militaris Præfectura, cui respondebat illa equites v. pedites vero L. Dynasta mero & mixto imperio, uti ajunt, gaudet, & inter Principes loco XXVII. in Comitiis sedet, opidique Magistratum designat.

Ortu vetustam Aretius putavit, & Ennensium fortasse Coloniam, quod ex nomine eruit, quasi *Partem Ennæ*, nam congruunt hæc duo vocabula *Pars Enna & Partanna*. Maurolycus *Partanam* a Spartana derivatam adstruit, velut Spartana fuerit colonia; Id inconcussum Northmannorum ætate, uti innui, extitisse, & a Rogerio Comite una cum Drepano, Mazara, Marsala, & aliis Partanæ arcem expugnatam, Northmannis commilitonibus fuisse attributam. Catanæ quum anno MDCCXXX. ad Collegii Societatis Jesu aquilonare latus viam sternerent, in diffractum lapidem operæ inciderunt, qui ad me delatus hæc referebat literis, uti appellant, Gothicis majoribus.

De Pa-

..... *De . Paternione . Militi . Viro . Armis . Egregio . Bu*
.....*rtanæ . Comiti . Roberti . Filio . Mathildis . Uxor .*
..... *Posuit . Die .* VIII. *Aprilis . Anno* M. C. LXVII.
Quod quidem epigramma supplendum hoc pacto censui: *Constantino . De . Paternione . Militi . Viro . Armis . Egregio . Bucherii . & Partanæ . Comiti . Roberti . Filio . Mathildis . Uxor . Mœrens . Posuit .* VIII. *Aprilis . Anno* MCLXVIII. Floruit enim Robertus de Paternione MCLX. uti in Cat: Illust: lib: I. cap: IX. clarissime ostendi, & Constantinus quoque de Paternione, ejus filius anno MCLXV. superstes erat. Bucherii & Partanę Comitatus Paternionios tenuisse, vetusta gentis illustrissimæ monumenta aliunde testantur; quin Partanę in arce Paternionium insignia spectantur, uti perhibent; quę sane mea minime, in lapidis lectione me fefellisse, satis evincunt. *Partanæ* igitur primus occurrit Dynasta *Robertus de Paternione*, quem filius excepit *Constantinus* Mathildis maritus. *Grassei* hinc tenuere, quorum anno MCXC. *Georgium* invenio *Partanæ* Baronem. Hunc, aut ex *Joanne* Messanæ Stratego natum puto, cujus filiam Ulam Rogerius secretus sibi desponsavit, aut ex *Sergio Grasseo* Siciliæ Logotheta. In Friderici II. Censu *Orlandus Grasseus* elucet, quem perperam Ansalonius anno MCCCIII. gentis hujus primum opidi dominum agnoscit. Fuit eodem Ansalonio teste, Messanæ Judex, habuitque filium *Goffredum*, ex quo & Olivetta Perollo *Joannes*. Hujus sub Ludovico Rege memoria extat. Duxit in uxorem Ximeniam de Arenos, procreavitque *Benvenutum* in Martini Regis Regesto pro *Partanna* Curię obnoxium; Fulsit idem a Regiis Rationibus Magister, genuitque *Onuphrium* MCCCCXIII. *Partanæ* Baronem. Ex quo *Balthassar*, unde *Marius*. Ex *Mario Gulielmus* Philippi IV. privilegio

gio primus *Partanæ* Princeps anno MDCXXVII. renunciatus. Suscepit hic ex Eleonora Bononia *Marium*, qui Dux Ciminnæ jure uxoris Antoniæ Vigintimilliæ fuit, Panormi Prætor, & Siculæ Militiæ Præfectus, filiumque *Dominicum* heredem habuit. Huic Elisabetha Marino Gualteris Dux & Prothonotarii Domina, uti unica Francisci, contigit uxor; unde *Benedictus*, qui Joannæ Filingeriæ adjunctus *Hieronymum* progenuit. Gessit hic præcipua Panormi munia, nam ex XII. Regni Viris, Quæstor, & Prætor, demumque ab intimis Consiliis Caroli Cæsaris fuit. Ex Laura Grua *Benedictum* obtinuit *Partanæ* hodie Principem, Ciminnæ, & Gualteris Ducem. Peperit huic Pellegra Statella Hieronymum II. Dorotheæ de Bosco conjugem.

Partanensis ager, uti ex Pirro reposui, vinetis magna ex parte consitus, quæstum non levem incolis parit, malisque aureis ac citrinis abundat. Fruges autem cujusque generis affluenter adeo in eo proveniunt, ut nulli alteri in provincia decedat. Ex Mongitore Bartholomæus Vita Soc: Jesu, *Partanensis* ortu, poesi & oratoria arte nostro hoc sæculo claruit.

PARTHENICUM Opidum *Sala Parthenici* aliter. Joannes Cammarana *Parthenici* Nemus ex Regia Friderici II. donatione commissum tenebat sæculi XIV. initio, circa quod tempus Princeps idem de S. Mariæ Altifontis apud Parcum condiendo cœnobio cogitavit. Septimo hinc ejusdem sæculi anno, aliis bonis Cammaranæ assignatis, Nemus ad se prædictum revocavit, ac illi Monasterio attribuit ex Diplomate Messanæ scripto mense Junio MCCCVII. Nec diu biennio scilicet elapso, pagum extruendi in loco *Parthenici* facultatem Cœnobii Monachis attribuit, utque juribus fruerentur omnibus, quibus alii *Feudatarii* & Barones in

eorum

eorum locis habitatis utebantur, induisse Drepani xx. Januarii. Mox etiam, ut arcem, seu *Fortilitium* ad tutelam, & securitatem ære proprio ædificare possent, concessit ibidem xx. Januarii MCCCXVIII. tandemque ut signum, seu stemma opidum haberet proprium, jussit Panormi xxi. Maij. Ex quibus *Parthenici* ortum perspectum habes. Perstitit sub Abbatis potestate hinc ab ipso exordio, uti & hodie perdurat. Est porro de Mazariensis Episcopi Diœcesi, qui suum in eo Vicarium designat. Sed & Rector Archipresbyteri dignitate parochiali præest Ecclesiæ, titulo Beatę Virginis Annunciatæ. Nobili præterea Capuccinorum Conventu illustratur a Fabritio de Drepano MDCXXIV. condito; nec non Carmelitarum colonia, quæ decennio post ex collatis civium eleemosynis coaluit. Pauperum Virginum Conclave, domusque Hospitalis pro infirmis, congruis ædificiis & censibus instruuntur, ac publico etiam ære originem cognoscunt. Minores denique, seu filiales Ecclesiæ VIII. recensentur.

Pirrus Rogerii Comitis privilegio innixus Northmannorum, & Sarracenorum ævo *Parthenicum* extitisse affirmat: *Concedo*, ait Comes in Concessione Pactensi Ecclesiæ & Monasterio facta, *Ecclesiam*, quę est in Casali meo sub *Partenico*, assertque Lucii III. Rom: Pont: literas Confirmationis Monasterii S. Georgii de Grattera. *Item Ecclesiam S. Cathaldi Partinici cum Molendinis & possessionibus suis*. Denique juris fuisse *Parthenicum* Roberti, & Raynaldi de Avenello Comitum anno MCXI. ex aliis antiquis chartis constat. Verum hæc *Parthenicum* Nemus tunc etiam extitisse mihi videntur evincere; Nam Casale suum sub *Partenico* Rogerius memorat, & S. Cataldi ędem ad *Partinicum* spectare Romanus Pontifex dicit; De Ca-

fali signanter *Parthenico* idcirco nihil proferunt. Sub *Parthenici* porro Archipresbytero S. Margaritæ opidulum cum incolis biscentum extare idem Pirrus testatur ad pass. iii. nec non alterum de Ciambre addictum S. Martini Monasterio; Sed hoc juris omnino est Martiniani Abbatis, uti alibi dixi, nec cum *Parthenicensibus* hodie illi commune aliquid apparet. Census sub Carolo V. Cæsare refert *Parthenici* lares 70. Silent alii in Regiis libris. Sed apud Pirrum lares 420. incolæ 2032. veniunt. Agrum complures reddunt latices fertilem, & irriguum; vineæ undique consitæ, ubi consertum, densumque erat nemus, proximæ urbi Metropoli affatim sufficiunt. Servavit sibi Rex ex eodem nemore circum littora ad balistæ jactum terras in sua donatione, liberum cætero reliquum, & ab omni onere immune voluit, uti etiamnum servatur.

Situs denique *Parthenici* circa occiduas sinus Castelli Maris designatur oras, in declivi ad meridiem prono, aspectu jucundissimo; nec insalubris aeris, in itinere demum occurrit Drepanensi, quo scilicet Panormo Drepanum contendunt. Est *Parthenici* apud Antoninum mentio in Romano Provinciarum Itinerario, quod habet: *Panormo, Hyccara* xvi. *Parthenico* vii. *Aquis Segestanis* xii. *Drepanis* xiiii. Et aliud: *Ab Ticcaris per maritima loca Drepanum usque* m. p. xlvi. *sic*: *Parthenico* xii. *Ad Aquas Perticianenses* xvi. *Drepanis* xviii. His attentis Cluverius lib. 2. *Parthenicum* vetus, ubi nunc collis est, vulgo Palamita statuit; millium enim numerus omnino congruit. Ad Palamitam nihilominus Elymam locavi cum Fazello; quod enim ager circa Palamitam etiamnum *Parthenicus* vocatur, & opidulum in eo, vulgo *Sala de Parthenico* situm videatur, id conficit, vetus nem-

pe

pe opidum circa hanc ipsam regionem stetisse. Cæ-tero, uti hodie veteres ruinæ in colle, Palamitæ nomine veniunt, sic Antonini tempore a *Parthenico* dici potuere, antiquato scilicet Elymæ vocabulo; adeoque idem opidum olim Elyma, mox *Partheniceum*, tandemque Palamita appellatur.

Celebrat Mongitorius Franciscum Scuderium *Parthenicensem*, & Tertii Ordinis S. Francisci alumnum, sub cujus imagine ære insculpta, hæc fuit inscriptio exarata: *Vera Effigies Servi Dei P. Francisci Scuderi Siculi a Sala, Tertii Ordinis S. Francisci S. T. M. olim Definitoris Generalis, & Siculæ Provinciæ bis Ministri. Qui regularis disciplinæ cultu assiduo, Crucis, & rerum cælestium meditatione, corporis maceratione, morum innocentia, mundi, et sui contemptu, cæterisque religiosi hominis virtutibus ad supremum usque spiritum exhibitis, eximiam sanctimoniæ famam consequutus, Romæ obiit in Collegio Siculo S. Pauli de Arenula anno MDCCI. post mediam noctem Kalendis Apriles, Ætatis suæ LXXXIV. Relig. LXV. Ejus Corpus post tresdecim dies incorruptum, ac tractabile non sine magna confluentium admiratione sepelitur.* Scripsit tractatus pios: Testamentum Spirituale, & Horologium Passionis Christi Domini, aliaque opuscula ascetica reliquit.

PASSUS LATUS, Orethus fluvius sub Monteregali, ita appellatus, quod ibi trajectum habet late patentem.

PATELLARUM Casale ad Montregalensem spectans Ecclesiam, aliter *Battellarum*, quod Guillelmus Peralta occupaverat, utpote Comitissæ avito agro confine, & Martini Regis jussu Ecclesiæ legitimo

domino restitutum eidem hodie Ecclesiæ, sed incolis vacuum subjicitur.

PATIORUS in Ptolemæi tabulis opidum inter Himeræ ostium & Ennam, longe propius tamen hanc, constitutum. Sed hoc vocabulum Cluverius corruptum credit ex germano *Poropus*. Aretius immensum erravit Ptolemæi *Patiorum*, opidum nunc Palazzolum interpretans.

PECTORANA Casale, quod veteris Pirinæ reliquiis, ruderibusque inædificatum putat Invegius, & ad Caccabense hodie territorium spectat. Dedit Pontio de Bascone Carolus Andegavensis. Hinc cum Caccabo juris fuit Joannis de Claromonte, ac ejus hæredum. Vide *Pirina*.

PECUARIUS Mons ad amnis Platani dexteram ripam ab colle Platanella haud procul.

PELLERUS Mons idem & Peregrinus, de quo infra.

PELIZARUS Fluvius inter Petraliam, & Enginum opidum, originem habet, & in Salsum cum aliis se exonerat. De eo alibi.

PEREGRINUS Mons, olim Ercta, de quo supra fuse dixi, contra Panormum ad ortum, ejusque mole maritimæ imminet. In eo S. Rosaliæ Virginis Crypta in Ecclesiam hodie conformata circa meridiem, religioso cultu a Siculis undique confluentibus quotidie frequentata, summoque in honore, ob sacrum, quem solo aspectu conciliat veluti metum, habita. En illius, Jordano Cascino authore descriptio, adamussim schemati respondens. *Haud longe a montis culmine ingens panditur specus* C. *palmorum longitudine excurrens. Primi autem aditus latitudo* XXXVIII. *palmos patet; cum magis magisque pergenti orientem versus sinistro latere, eadem latitudo ad* XL. *& amplius palmos*

volvuntur ad eum usque locum, unde sacrum Rosaliæ corpus erutum. Redeunt inde rupes angulum constringentes, & sensim coeunt antri latera in III. ferme palmorum angustias ostio oppositas. Altitudo varians, ut in excessu, pendentibusque temere rupibus, quæ VIII. quæ XIII. palmis continebantur; ac in medio antri immani hiatu recedit. Enarrat subinde Cascinus, quale ante annum MDCXXVI. erat antri ostium, sive foramen, ut geminis nisi obverso latere is pergeret, ingressum præberet, *nec statim*, subdit, *ingresso latior patebat via, sed ad X. fere palmos intra rupis crassitiem per easdem fere angustias perrumpendum erat. Hæc tamen saxea moles, quæ aditum pene obstruebat antri, ad lævam aliam quasi caveam XII. palmorum in longum latumque porrectam sinu continebat suo, atque hic dumtaxat angulus fuisse videtur ad habitandum aptus, solus quippe stillicidiis immunis.* Post antri quoque aditum ad dexteram contra caveam modo descriptam alia, quæ vix hominem caperet XVI. ferme palmos longa patet; Hanc vero, veluti concha excipit ad aquas guttatim decidentes ebibendas comparata. Ad lævam non longe a prima cavea foramen palmis VIII. circiter e solo elatum, ascensu difficile, angustumque aperitur, per quod in caverunculam vix hominis capacem descenditur, ubi multum ætatis Rosaliam exegisse fama refert. Hæc ex Cascino, qui sacri corporis inventioni adfuit, antrumque ut tunc erat contemplatus, integra fide omnia in scriptis retulit.

Jam hodie antri vestibulum columnis e vario marmore suffultum, proximumque sacrarium omnimodam præseferunt elegantiam. Surgit porro eo in loco, ubi sacra ossa saxeo inclusa cortice, ab decidentibus aquis efformato, inventa sunt, dives e marmore

ara

ara argenteis vasis, lychnisque instructa, sub qua Virginis marmoreum etiam signum auro, & gemmis ornatum conspicitur, eodem situ ac gestu, quo jacuisse exanime corpus creditur, summaque intuentium animos afficit pietate, & cultum conciliat singularem. Cœnobium olim Fratrum Minorum prope specum excitatum post repertas reliquias, defecit, hinc templi cura Sacerdotibus mandatur, quibus congrua stipendia Senatus Panormitanus tribuit; nec piorum civium deficiunt designati proventus ad Sacrificia quotidie celebranda, cultumque loci promovendum. Habes reliqua ad Peregrinum montem spectantia loco citato de *Ercta*. Dicebatur Sarracenis *Pellerin*. Jacobus Adria *Perlnam* appellat.

PERMENINI Casale erat Montregalensis Ecclesiæ, uti apud Lellium par. 2. Hist. Mont.

PERRERÆ, Lapicidinę inter Mazaram, & Belicis fluminis ostium a veteri Selinunte haud procul, unde lapides pro construenda, conservandaque ea urbe antiquitus sunt excisi. Dicuntur ab incolis etiam *Latumie*. Vide *Romanero*.

PERRIBAYDA Castrum ad collis radices in aquilonem, cui diruta arcis vestigia, Castellacium appellata insident; Collis vulgo *Cozzus* dicitur in agro Mazarensi ad Trium Fontium, seu Granitulis promontorium. *Berribayda* Nemus, ubi Castrum, in Regiis libris memoratur, juris *Thomæ de Corvino* sub Aragonensibus, quo ab officiis recedente, datum est illud *Gratiano de Xuer* Hispano, & mox ejus filio *Garsia*, aliter *Garsietto*. Huic *Joanna* filia successit, a cujus morte sine prole Rex Fridericus III. anno MCCCC. *Perrono Joenio* attribuit, Preciosa Garsiæ conjuge, & Serena sorore, quæ in Hispaniis degebant, re-

jectis

jectis. *Ex Perrone Bartholomeus*, qui *Ferrerio de Ferrerio* MCCCXCIX. vendidit, unde *Antonius de Plaja* nepos, onere assumendi cognomen, & arma adjecto, accepit, Martino *Rege* rem confirmante. *Antonium* sine filiis decedentem, *Sereno* ex Ferrerio orta Guilielmi Invegii uxor excepit; hanc *Margaritha* filia, quæ Jannotto de Marino nupsit, & ab Alphonso confirmata dicitur MCCCCLIII. *Melchior* ex illis natus *Joannellam* hæredem habuit, quæ primis nuptiis Petro Sobia, secundis vero *Bernardino de Thermis* adjuncta vixit. Ex eo *Antonius*, hodie XII. *Perribaeyde* Baro procedit, qui Castelli Thermarum Princeps, Isnelli Comes, & jure uxoris Eleonoræ, Baucinæ, & Montis Majoris Dynasta fulget.

PERTICIANENSES Aquæ. Vide Aquæ.

PETILIANA Locus in Antonini Itinerario memoratus *Catina*, *Capitonia* XXIIII. *Gelensium Philosophianis* XXI. *Petilianis* XXVIII. *Agrigento* XVIII. Ad quæ Cluverius: *A Gelensium Philosophianis* XXVIII. *millia si progrediaris in locum*, *qui Agrigento* XVIII. *millia absit*, *Petiliana illic fuerint*, *infra opidum*, *cui vulgare vocabulum Caltanissetta*, *haud procul ab Himera*, *seu Salsi fluminis ripa*. Petrus Carrera Petiliana, ubi Delia recens est opidulum locat; prope cujus Hospitatoria taberna adhuc *Petiliana* appellatur.

PETRA AMICI vetus Arx Alexandriæ opido imminens, quæ idcirco de Petra appellatur. Fazello dicitur *Petra* absque alio addito; Ejus est mentio in Capibrevio. Vide *Alexandria*.

PETRA BELICIS ad dexteram cognominis amnis ripam. Vide *Belicis*.

PETRA GALIA ingens est scopulus ad pass. c. in ambitu, in Leucatæ littore a continenti solis pass. x. distitus.

PE-

PETRA LONGA Fluvius, Malvelli primum aquas, laticesque hinc in Planitie Græcorum exortus sub Scala Fœminarum recipit; Sparaciam mox interfluit, & sub Calatrasi colle ponte trajicitur. Ad trajectum Carbonis Corlionensi flumine augetur, tandemque circa Entellam, & Castrum Veteranum sese Belici adjungit.

PETRA PADELLA Scopulus contra Puntam Albam promontorium in Agrigenti littore; patet in circuitu pass: cc. & o. circiter recedit.

PETRA RUBRA Arx erat olim Calatanixectæ opidi, hodie vix superstes, de ea alibi.

PETRI PALATIUM Scopulus in Drepanensi portu.

S. PETRUS Fluvius cum celebri ponte, qui & Platanis. Oritur supra Camaratam, & ab ede S. Apostolo sacra, circa ejus ripas extructa nomen sortitur. Vide *Platan.* 1.

PHALARIUM Vetus Castellum ad Gelam spectans ex Cluverio in colle situm, qui australi imminens littori, & *Guardia* hodie appellatus, a Leocata in ortum v. circiter pass: m. dissidet, ab arce Falconaria n. a Gela olim, ubi hodie Terranova xii. de quo in Valle Neti. Hic vero de eo sursus, quod aliis Scriptoribus, & Fazello Gela ad Leocatam statuitur, & *Phalarium* idcirco haud procul locatum creditur.

PHERAT Turris vetustissima ad urbis Panormitanæ tuitionem à primis ejusdem incolis posita, cujus extabant reliquiæ prope S. Joannis de Deo recens Cœnobium. Sub hac turri porta *Bisuemis*.

PHINTIA Urbs celebris, tenui meo judicio, ubi Leocata hodie, quæ ex illius reliquiis surrexit, stabat. Ptolemæus etiam inter Gelam, & Agrigentum locat,

locat, & si ex errore mediterraneam velit; quum disertissimis Diodorus verbis eam in littore locaverit lib: 21. *In Sicilia*, inquiens, *Tyranni erant Hicetes Syracusis, Phintias Agrigenti, Tindarion Tauromenii*. Et paullo infra: *Phintias urbem condit nomine Phintiadem, Gelensesque e patria submotos in ea collocat; Sita autem haec est ad mare*. Offenderant quippe Phintiam Tyrannum Gelenses, ipseque magnis viribus illam adortus tandem expugnaverat, ac exciderat; cives, ut in novam demigrarent, & ex ea sua omnia comportarent, compulerat. *Maris enim*, subdit, *domibusque Gela destructis, populum in Phintiadem transtulit; postquam mœnia, forumque insigne, ac templa Deorum condiderat*. Factum hoc dicit Cluverius anno Urbis Romæ CCCCLXXI. ante Christum Dominum CCLXXXII. Memoratur hinc *Phintiæ*, sive *Phintiadis* portus, & statio eidem Diodoro lib: 24. eoque Romanos reflexisse cum classe, & Junium Consulem post suorum cladem delatum affirmat. In Antonini Itinerario *Plintis* loco *Phintiæ* vocabulum irrepsit: *Ab Agrigento per maritima loca Syracusas pass: m.* CXXXIII. *sic*: *Dædalio* XVIII. *Plintis* V. *Refugio Chalis* XVIII. Dædalium nempe Castellum, Phalaridis aliter appellatum, ubi Echnomus mons, de quo alibi, *Plintis*, seu *Phintia*, ubi Leocata; *Chalis Refugium* Gelæ littus, ubi hodie Terranova intelligit. Apud Tullium denique in Verr: III. *Plutia* pro *Phintia* loco maritimo legitur, ut Cluverius probat. *Phintiæ* IV. numi habentur; in quibus senile caput, juvenile, & muliebre exprimitur, & in postica Aper cum adscriptis literis ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΦΙΝΤΙΑ.

PHITALIA Sarracenici nominis Casale ad III. Agrigentinæ Ecclesiæ Præbendam spectans, nonnisi

magnam, & vetustissimam arcem servat ad gentis Septimæ Dynastas spectantem.

PHORBANTIA, aliter *Buciuno* Insula. Vide *Levensus*.

PIACUS vetus opidum incerti omnino situs apud Stephanum memoratur, nulli alteri notum.

PINCIANÆ, Aquæ *Segestanæ* aliter, quod nomen unde his fuerit acquisitum, incertum putat Cluverius.

PINTIA, aliis, & rectius *Phintia*, nonnullis Sacca; ex Ptolemæo in Saccensi ora. Cluverius ab *Inico* non distinquit.

PIRINA Locus in Antonini Itinerario, in quo iter ab Agrigento per Panormum Lilybęum usque describitur tale. *Ab Agrigento Lilybęum* M. *pass*: CLXXV. *sic*: *Pincianis* IX. *Comitianis* XXIIII. *Petrinæ* IIII. *Pirina* XXIIII. *Panormo* XXIII. *Pirina*, subdit Cluverius, *medio itinere inter Petram*, hodie Petraliam, *& Panormum* XXIV. M. *pass*: *utrinque interjectis intervallis nullis cognoscuntur vestigiis. Fuisse autem ex intervallis deprehenduntur circa opidum, cui vulgare vocabulum Caccamo*. Invegius quum in agro Caccabensi Pectorana Casale olim extiterit, seu Pitirrana, hodieque Feudum Pitirranæ inibi esse comperiat, ad hanc usque ætatem variis ruderibus, ac urbis prostratæ cadavere distinctum, Conjecturis agens *Pirinam* eò loci stetisse affirmat.

PIRUS Fons in agro Panormitano uberrimus ad occidentem, qui suas cum Oretho flumine aquas conjungit.

PIZZUTA Mons, sub quo Plana Græcorum, mox describenda sedet. Ad radices fons, cujus aquæ in ejusdem opidi foro effluunt.

PLANA

PLANA GRÆCORUM Opidum ad Pizzutæ montis ortivas infimas oras situm, alio vocabulo *Planities Archiepiscopi* juxta Fazellum, quod sub Monregalensis Pontificis ditione sit, ejusque munere Græcis Albanensibus solum concessum fuerit; ab anno MCCCCLXXXVIII. auspicia illud habuit, laribus 306. in Caroli V. censu, incolisque subinde 2699. constatum legitur, de anno MDCLII. focos 1085. animas 3864 numeravit; demumque sæculo decurrente laribus 1214. incolisque 3605. coalescit. In Panormitana Comarchia, & in militari Saccensi provincia computatur. Ejus est situs in meridiem, & ortum pronus, qui mox in spatiosum, & latissimum æquum pene campum extenditur. Occurrit ante pomœrium S. Antonii Abbatis Ecclesia; hinc recta, & ampla via totum describit opidum, cui minores aliæ, & non angustæ respondent. Ad illius aditum S. Nicolai se offert asceterium ab Augustinianis Excalceatis cultum, variis censibus civium pietate donatum, contra vero Archiepiscopales ædes assurgunt. Majus Parochiale templum S. Demetrio sacrum, ædificium nobile, sub Archipresbyteri cura, qui suo cum Clero Græco Divinis quotidie officiis vacat, centrum pene occupat, forumque late patens subinde cernitur, ubi elegans e marmore fons Archiepiscopi Ludovici Alphonsi Delos Cameros opera constitutus, aquis uberrimis, ac limpidis affluit. S. Georgii succedit, ubi sacra etiam administrantur cum adnexo S. Philippi Nerii Oratorio, Presbyteris Græcis addicto, quod nostra ætate, rem promovente Georgio Guzzetta ejusdem instituti viro egregio, fundatum est; nec non B. M. Collegium in Deiparæ de Odigitria nuper quoque excitatum. In S. Viti Martyris porro æde, quæ prima fuit Albanensium Paro-

chia, Latinus hodie ritus viget, ex instituto Francisci Peretti Archiepiscopi, clerusque sub Curione animarum ejusdem professionis regimen habente, sacris operam navat. Huic alię subduntur Ecclesię, nec suis caret S. Demetrii, nec promiscui ritus piorum fidelium desunt sodalitia. In supremo denique tumulo Minores Capuccini ab anno MDCXXIII. degunt, & Annunciatæ Ecclesiam, Græcis concedentibus, piis exercitiis frequentant, nec longe S. Crucis Ecclesia cum Montis Calvarii memoria, quę finem opido imponit.

Circa originem paullo altius rem expendere oportet, quod injucundum non eveniet. Quum per Gręciam universam Barbari debacchantes in Macedoniam, cujus hodie australis pars Albania, sive Epirus dicitur, irruissent, Amurate II. Duce, eam sibi subdere conati, Joannem Castriottum inter Albanenses Dynastas non ultimum bello attritum, ut tributa penderet, & obsides filios traderet, compulerunt. Hos inter Georgius fratribus tandem superstes, paternæ ditionis regimen variis artibus nactus, formidabilis adeo Turcis evasit, ut Scanderbegii eorum lingua, idest Magni Alexandri nomen conquireret, seque firmissimum veluti murum illis opponeret; crebris eos cladibus afficiens, fidem Catholicam contra immanissimos tyrannos sartam tectam suis in partibus ad plures annos servaret. Post multa demum egregia ac fortiter gesta, uti ejus vitæ habent annales, immortali de se relicta fama, mortalis esse desiit, hostibus idcirco invadendi Albaniam aditu patefacto, & hæc cum aliis regionibus in prædam abiit, Quumque afflictis patriæ rebus nullum superesse remedium cives adverterent, passim cum familiis in Siciliam trajicere cogitarunt, ut avitam religionem vel maxime inviolatam servarent. Et primi

mi quidem circa xv. sæculi LXXX. annum ab Adranensi Comite excepti opidum a Græcis appellatum ad Ætnæ australes radices condidere; Maniacensem mox agrum ad ejusdem montis latera occidentalia tenuerunt, ubi vicatim habitarunt; Cansariæ solum inter Calatajeronem & Platiam nonnulli; variis sane regionibus, uti a cujusque loci dominis benigne exciperentur, occupatis. Hi tamen passim Græcis ritibus posthabitis, Latinum amplexi institutum Græcanicam vix nomenclaturam retinuerunt; Qui Bisireuse vero prope Lilybęum, casale primum coluere, sub colle, ab arce, & monte Calatamauri haud procul, ab hibernum occasum, Comitissam opidulum, patrii moris tenaces, Latinisque in societatem adscitis, sibi sub Catharinę de Cardona Clusæ dominæ auspiciis, statuerunt. Id suo loco descripsi, sed Pirri fretus authoritate medio xv. sæculo ortum cognovisse, & Parochialem Deiparę Annunciatę sacram cum utriusque Ecclesiæ clero habere evulgavi, Sed verioribus hodie edoctus relatibus, Gręcam Parochiam S. Nicolai Myrensis Pontificis referre nomen, Latinam S. Mariæ de Fonte appellatam comperui, & illi Annunciatæ, S. Rocci, & Purgantium manium sacras ædes subesse cognovi.

Jam post biennium MCCCCLXXXVII. Joannis Villaraut Pritii Domini beneficio, agro aliis Albanensibus designato, Palatium Adrianum opidum coaluit sub monte Rosarum, cujus Græca Parochia Beatæ Virgini, sub Immaculatæ Conceptionis titulo, sacra est hodie; Latina eidem Deiparæ de Lumine, cui illa Carmeli suffragatur. At longe copiosiores anno MCCCCLXXXVIII. quum ex eadem Albania appulissent familię, & ad Ecclesiæ Montis Regalis regimen Joannes de Borgia sederet, eorum motus precibus pius Pontifex feudum

illis

illis de *Meroe* ad montis *Pizzute* radices irriguum, fertile, & ad colendum idcirco aptissimum, pass: m. viii. inde dissitum attribuit, ima ejusdem montis latera novo extruendo opido satis accommoda assignavit. Ibi ergo humiles primum casas novi coloni statuerunt, & S. Viti Ecclesiam Parochiali jure donatam sibi delegere. Turris tunc etiam ad tuitionem extructa. Novis inde in dies incrementis aucta colonia justum in opidum evasit. De Medjusio jam dixi.

Illud hic de nostris Albanensibus memoratu dignum censeo, quod, uti audio, speciali tractatu Paulus Maria Paninus S. Nicolai Græcorum Panormi Parochus, quamprimum ea, qua pollet eruditione, expendet, eos scilicet non regionis amœnitate illectos ad nos migrasse, sed ut Christianæ Catholicæque religionis dogmata, ac ritus, quibus barbaros inter exactius inhærere vix possent, in nostris omnimode regionibus custodirent: Et sane expertes ipsi ab erroribus Græcanicis Spiritus Sancti a Filio processionem nedum corde profitentur, sed & in Symbolo laudabili consuetudine expressis proferunt verbis; quod orthodoxos alios ex Græcis minime servare, in propatulo est. Romanæ sedis primatum adeo propugnant, ut in Lyturgicis precibus Summi Pontificis memoriam alta voce, cum cantu agendam, optimum ducant. Azymos panes ad Christi corpus consecrandum aptissimos facto commendant; in Ecclesiis enim Latinis in azymo Eucharistiam sumere non recusant. De dilata ad Judicii extremi diem beatifica visione cum Fotianis neutiquam sentire, tabulæ in eorum Ecclesiis expositæ satis testantur, in quibus Electos, & Sanctos homines ante Dei thronum Angelicis choris sociatos oculis intuentium repræsentant. Animas denique piaculiaribus flammis

flammis addictas sanctè, nedum institutis in earum honorem sodalitatibus, extructisque Ecclesiis, sed & quotidianis in levamen effusis precibus, & oblatis sacrificiis profitentur.

Ad *Planam* redeo, e qua exortos Seraphinum a S. Petro & Paulo S. Augustini Discalceatorum ordinis professorem, & Georgium Guzettam sęculum hoc nostrum vidit. Ille non vulgaris Theologus, & eximius Orator claruit. Diu Romæ, ubi doctrinæ suæ publicum non semel experimentum in generalibus Comitiis præbuit, Generalis Definitor, uti vocant, vixit. Funebrem edidit orationem Drepani habitam; Multas Latino elegantissimo stylo Inscriptiones, opusque insigne: *Sapiens in Prophetis vacans* mss. reliquit. Georgius Panormitani Oratorii Presbyter, Institutum in patria, Clericorum Gręci nominis Seminarium Panormi fundavit, promovit, aluit; viris Principibus apprime charus ob sanctos mores, doctrinamque præcipuam fuit. Nuper ætate longęvus piissime e vivis abiit. De agro jam dixi. Longitudo xxxvii. latitudo xxxviii. paucis excedit. Aer salubris est; aquæ limpidæ, leniterque frigidæ.

PLATANELLA Mons memoratur Fazello Dec: 1. lib. 7. cap: 3. haud procul ab Heracleę ruinis: *Heraclea jacens in littore urbs.... Intus postea ad pass. m. vii. in monte edito inter Pecuarum, & Platanellum magna urbs postrata cernitur:* Ancyra olim; sive Ancrina ex Cluverio, uti suo loco monui. *Et paulo superius in colle undique præciso, quem Lycus amnis sua dextera alluit, cuique Mons Platanella est nomen, alterius urbis dirutæ ambitus pass: m. & unico accessu adeundæ, miræ visuntur ruinæ.* Quod hic *Cotyrga* steterit anceps animi Cluverius tradit; Ptolemæo quippe

in

in hoc tractu *Cotyrga* locatur. De *Crasto* antiquissimo opido nonnulli cogitant, in Sicanorum finibus circa Heracleam sito. De quo alibi dixi. *Inderam* denique Sicanorum opidum, authore Theopompo apud Stephanum, *Platanella* monti insedisse, judicant alii.

PLATANIS Fluvius *Halycus* olim, idest Salsus, ex Fazello *Lycus*, Siculę australis orę prę aliis celebrior, Diodoro, Plutarcho, & aliis veteribus notus, quod ipse inter potentissimos populos Pęnos scilicet & Syracusanos fines poneret, amborumque in insula ditionem disterminaret. Præcipuus ejus fons inter Castrum Novum, & Cameratam, qui S. Petri amnis auctus aquis ejus sibi nomen usurpat, & ponte lapideo trahiicitur. Vallem subinde longo tractu scindit, molasque frumentarias passim convolvit; unde exiliens Salso fluvio sub Monte Mellis juxta salis fodinas oriundo conjungitur, & Halycus idcirco appellatur. Post hunc confluxum sub Sutera, & Campofranco magnifici lapidei pontis, anno MDCCXLII. restituti, ope illius ripæ adjunguntur. Excipit subinde Rahalmuti fluentum, & pass. M. IV. cum Turbolo admiscetur, cujus est origo sub Camerata, & S. Joanne ad meridiem, uti inferius reponam. Multis denique ambagibus defluens hyeme formidabilis evadit, tandemque ad Heracleam in mare, mutato sępe ostio, se exonerat. Piscatu insignis est, anguillas enim sapidissimas, alosas, & cephalos præbet, minutosque alios pisciculos abundantissime fert.

PLATANUM Casale ad Panormitanam spectans Ecclesiam; Friderici II. diplomate eidem confirmatum. Jacet hodie, sed veteris arcis ab Rogerio Comite expugnatæ ruinas ostentant.

PLINTIS In Antonini maritimo Itinerario *Phintia* urbs, cujus hodie situm *Leocata* occupat.

PO-

PODIUM MUCIACCUM Collis prope Leocatam II. pass: M. habens in ambitu; toti idemque ab urbe in ortum recedens, ubi Ecnomum Castellum statuit Fazellus, qui uti sepius dictum Gelam ad Leocatam locavit.

PODIUM REGALE Opidulum Diœcesis Mazarensis, & Salemis Comarchiæ in agro Gibellinæ Francisci Morsi opera ædificatum, qui & homines congregandi facultatem, & *Podii Regalis* principatus titulum Philippi IV. beneficio anno MDCXLII. simul retulit. Numerat focos 267. animas ex censu sub Victorio Amedeo 1097. hodie 1858. Major, & præcipua Ecclesia sub Archipresbytero unica Parochialis S. Antonio Patavino dicata elegans est, subjectasque III. alias minores habet. Ab ea haud multum distidet Principis ædes. Minores Capuccini ab anno MDCCXXIII. loco ameno sedent. *Podii Regalis* Comarchas jure gladii gaudentes, & in Comitiis votum XLIII. proferentes, alibi de Gibellina loquens, cujus sunt Marchiones, laudavi. Habet gradus XXXXII. XL. latitudinis XXXVI. XXXV. longitudinis. *Podium Regale* novæ originis sub Villafranca ad meridiem, aliud a nostro, ex Agathini Dardonis tabula in Notis ad Fazellum induxi, sed, quod hic allucinatus fuerit, non adverti.

POLITIUM Civitas Generosa in collis ameno jugo sedet sub Nebrode Monte, hodie *Madonia*, in occasum, duos inter fontes Himerę Meridionalis, & Septentrionalis, seu verius ad unicum utriusque fluminis fontem *Fatuzza*, uti alibi expendi. Regio subest dominio, ac designato a Rege Magistratu, Criminum Quæstore scilicet, Juratis Patribus IV. & Syndico gubernantur, qui in publico Regni consessu locum XXII. occupant, & proprio utuntur stemmate, quod vel.

Rosas triplici ordine dispositas exprimit; In extremo ad austrum supercilio Arx, Rogerio Comite authore, assurgit. Quum enim Serraceni ingenti numero in Nebrodem montem convenientes, Comiti obsisterent, ad illos obsidendos arcem tutissimam, quò persugium haberet, extruxit; devictisque postmodum barbaris, in *Prælii*, Sicula voce *de Battaglia planitie*, prope arcem colonos constituit, unde Opidi origo ex Fazello, Pirro, & aliis. Sub horum venia Opidi instauratio solum Rogerio adscribenda; Nam longe ante *Polisium* extitisse passim cęteri affirmant Sicularum rerum Scriptores, Aretius, Maurolycus, ac vel a Polluce uno ex Dioscuris, vel ab Apollinis templo, vel a Palicis, nomen illi inditum tradunt. Carusius denique ab *Iside*, veteri Ægyptiorum numine, & Græco vocabulo *Polis* deducit, quasi *Polis Isidis* fuerit olim appellata, unde *Polisium*. Sunt, qui de *Sitana* conjecturas efformant, quam summa vi a Romanis expugnatam Diodorus tradit, sitamque inter Mytistratum, & Panormum putant; sed Cluverius *Sitanam* cum *Hippana* confundit, quam incerti situs evulgavi. Ceres, inquiunt, *Sitana* appellatur, Ceres autem eadem ac *Isis*. Has tamen divinationes potius dixerim, quàm conjecturas.

Cętero diruti opidi, & vetustissimi, rudera spectantur ab hodierna Civitate haud procul, quæ de *Polisii* antiquitate argumentum non leve præbent, nec infirmum. Statua demum, seu Columella, quam laudatus edidit Carusius, triangularis, tresque exhibens muliebres figuras, id certe innuit, locum, antiquis olim ethnicis frequentem, eorumdem monumenta servare, ut de illius vetustate judicium feratur. Est hodie recens inter mediterranea non ultimum, cum

juco-

incolarum numero, & nobilitate, tum ædificiis sacris, profanisque, quibus resplendet. Major enim Basilica, & Parochialis ad alteram collis partem contra arcem, Divæ Virgini in cœlum Assumptæ sacra, B. Gandulphi exuviis ornatur, quas ille *Politii* deposuit MCCLX. & Patroni idcirco *Politiensium* titulo honoratus, cum peculiari elegantissimo sacello, Elisabethæ Farinæ opera elapso medio sæculo extructo, ac largissime donato. Fuit autem Gandulphus Ordinis Minorum asceta, vitæ sanctimonia clarus, qui e Benasco in *Siciliam* delatus, quum *Politii* in Verbi Dei prędicationem, Quadragesimalis jejunii tempore, incumberet, ad cœlos in hospitali S. Joannis æde evolavit. Creditur autem id princeps templum Blancæ Reginæ, quæ diu incolatu suo nostrum opidum nobilitavit, opificium esse; Nam SS. Trinitatis antiquissima Ecclesia Martini ævo aliarum Mater erat, Teutonici Ordinis Sacræ Mansionis Magistro suffraganea, quo nomine sub Cardinali de Aurea Commendatario instaurata legitur. Extat & alia S. Joannis Baptistæ de Ponte Ordinis Jerosolymitani dives Commenda, Prioratui Messanensi subjecta, cujus author Rogerius de Aquila Avellini Comes, *Politii* dominus vulgatur. Jam a duabus aliis Ecclesiis Sacramenta petuntur, majori suffraganeis, ac tres supra viginti filiales enumerantur.

Ex Cœnobitarum porro domiciliis alia sunt extra pomœrium, extantque adhuc hodie, alia periere; Nonnulla intra spectantur. De illis infra. Primum ex his secundis S. Francisci Conventualium sua fundamenta sub annum MCCC. habuit, uti Campanæ inscriptio, quæ superest, satis evincit, hinc S. Gandulphi in templo depicta imago summam prodit anti-

quitatem. Non desinit tamen, qui Blancæ Reginæ adscribunt circa MCCCCXII. a qua forte instauratum, auctumque censibus creditur, & fratro S. Crucis donatum. S. Dominici familia ab anno MCCCCXXXI. in S. Spiritus æde B. Joanne Licio Caccabensi, viro religionis præcipuæ authore, fundata, servat hodie vetustum splendorem: S. Mariæ de Carmelo antiquum habebat extra mœnia cœnobium; Nunc ejusdem Ordinis Reformati de Monte Sancto locum occupant celebriorem. Societatis Jesu Collegium elapsi seculi anno LXXXI. S. Hieronymi auspiciis, situ præcipuo fundatum, vetustæ successit domui, ubi ante MDLX. & ultra aliquot residebant Alumni. Capuccinis prope ædem majorem in nobilissimæ gentis *de la Farina* datum est habitare, & in proprios usus ædificia convertere, de quibus infra. Duo Monialium S. Benedicti Cœnobia opidum quoque nobilitant, alterum vetus, eo quod in S. Petri æde extra urbem olim coaluit, inde in S. Margaritæ intra mœnia sorores migrarunt. Id autem ante annum MCCCLXVI. originem cognovit, uti Regis Friderici III. literis constat, quibus S. Mariæ de Latina ager S. Margaritæ Monasterio conceditur. Fama nihilominus a Regina Blanca MCCCCXII. fuisse constructum evulgat; At tunc bonis potius auctum, ædificiis restitutis locupletatum, ac S. Crucis Benedictinæ veteri Abbatiæ, de qua paullo post dicam, subjectum passim putatur. Nova Abbatia S. Mariæ de Gratis titulo insignis, seculo XVI. ortum recognoscit, nec procul a veteri abest, dives & ipsa, ac frequens, nec ædificiis impar. Pro Virginibus puellis S. Catharinæ, ære publico claustrum assurgit. Domus Hospitalis, S. Nicolai antiquissima MCLXVII. Bosonis Cephaledensis Episcopi facultate, juxta portam, Petri de Tolosa divitiis

vitiis ædificata S. Gandulphum fovit, & piissime mortuum excepit; hodie infirmis mulieribus addicta. Alia recentior, Hieronymo Caruba authore, S. Joannis de Deo fratribus MDXCI. concessa, pauperes excipit morbo affectos, & misericordiæ opera illis abundè impendit.

Extra in agro ad pass: circiter M. locum arboribus consito, aquis irriguo Blanca Regina S. Crucis Monasterium erexit, ac large ditavit, cui alius S. Margaritę Monialium subjectum voluit. Hujus rei monumentum ipsius Reginæ in veteri templo depicta imago adhuc extat, ut Pirrus tradit. Monachos ibi incoluisse tradunt ad sæculi XV. exitum. Commendatum exinde a Rege Cœnobium Ferdinandi II. literę, Francisci Passalaqua primi Abbatis Fiduciarii favore, evincunt, quod hodie servatur. S. Mariæ de Latina hospitium erat ordinis S. Benedicti Argyrensis Abbatis juri addictum, uti Alexandri III. Rom: Pont: & Henrici VI. Imper: constat privilegiis. At Fridericus III. Rex illius bona S. Margaritæ Monialibus concessit MCCCLXVI. Minores Observantes ad D. passus, primo XVI. sæculi anno sedem statuere, in quorum Ecclesia Virginis Deiparæ in tabula Icon antiqua, & celeberrima ex Pirro. Capuccinis locus primo obtigit ab urbe M. pass: in agro *Bracarà*, hinc in æde Annunciatæ, domumque intra urbem, ubi hodie decenter degunt, uti paullo ante dictum. Carosius Par: 2. lib: 3: Sic: Hist: SS. Salvatoris Ecclesiam memorat in Casali Xinreni, S. Stephani de Nemore apud Calabriam, suffraganeam; S. Mariæ de Pinta, & S. Michaelis, quas Adelasia Comitissa suis divitiis fundavit. Idem Benedictini Monialium Claustri eodem in agro meminit ab Elisabetha Regina constituti circa MCCCXX. quod

anne

aut illud S. Petri fuit, aut S. Margaritæ; Hæc enim princeps fœmina cum Ludovico filio diu *Politii* perstitit, suæque pietatis, ac munificentiæ varia monumenta reliquit.

Mœnibus, quo authore fuerit opidum vallatum, incertum; Eorum attamen major superest pars, ac olim in civilibus bellis Claromontani, non tam arcis firmissimæ, quàm illorum præsidio fisi, diu contra Reges *Politium* occuparunt; donec Hieracensis Comitis virtute, qui ab opidanis evocatus fuerat, ac noctu per insidias irruperat, legitimo domino MCCCLIV. redditum, fidem suam exinde probavit. *Rogerius* enim Comes, qui, uti innui, Arcis Conditor fuit, & circa ipsam opidum reparavit, *Mathildi* filiæ attribuit, quam Ranulpho Maniacio Montis Caveosi, & Avenellæ domino uxorem assignavit. Ex his Robertus, Adelasia, & Simon progeniti. *Adelasia* Rogerio Comiti avunculo præ cęteris dilecta, Raynaldo de Aquila nuptui traditur, & *Politium* assequitur. *Adam* Adelasiæ & Raynaldi filius ejusdem Rogerii gener effectus, prolequę, uti tradunt, auctus, *Rogerio* scilicet de *Aquila*, hunc Avenellæ hęredem, & *Politii* declaravit; post quem Guillelmum de Borrello opidi nostri dominum invenio, qui bona & latifundia S. Stephani de Nemore in Calabria Monasterio attribuens, *Politii* Comercham se subscribit. Hi omnes Regii sanguinis fuere, abinde ad Regium Demanium spectasse *Politium* affirmant; inter Martini idcirco de anno MCCCXCVIII. Capitula, quibus Regii Demanii loca recensentur, *Politium* locum habet. Alphonsus nihilominus Joanni Vigintimillio vendidit cum Sacca, mox vero reddito ære, ad se revocavit, & Raymundo Capreræ pignori dedit. Joannes Rex tandem, ne ulterius quacumque

cumque ex caussa venum daretur, jussit, uti ejusdem Capitulis constat MCCCCLVIII. exaratis. Pirrus, quod Manfredi Claromontani anno MCCCCXXXI. fuerit ex Cancellaria eruit, seu verius MCCCXXXI. sequenti enim sæculo in Sicilia ex Claromontanis extabat nemo. Tunc temporis sibi omnia Claromontani vindicabant, nec tam domini, quàm usurpatores dicebantur. Post sæculi XVI. medium, peste afflatum, magnam civium jacturam subiit, passimque ex antiquo splendore, ditioribus dynastis aliò abeuntibus, recessit. Ejus hinc census hodie in laribus 1220. civium est 2485. qui 4237. anno MDCCXIII. numerabantur. Ex Pirro elapsi sæculi medio lares 1728. cives 6653. Nec Regii libri alterius etiam sęculi frequentiorem exhibent numerum. Caput est Comarchiæ; Cephalędentis Ecclesiæ Diœcesi comprehenditur, & Thermarum Militari Præfectura subest, equites XXIII. pedites CXI. sub signis emittens.

Politium maxime illustrarunt B. Guilelmus ex nobili Gnoffiorum gente, Cœnobii S. Mariæ de Partu ordinis S. Benedicti Abbas, & Fundator ad Nebrodis montis orientale latus. Floruit sub Friderico II. anno MCCCXV. vitæ sanctitate, ac miraculorum gloria; obiitque X. Kal. Maij. De eo Uvion, Molanus, Galesinus, Maurolycus, Bucellinus, & Cajetanus, aliique. Antonius Minor Capuccinus laicus, corpus gravi inedia, & asperrimo cilicio, veluti hostem habuit; Dæmonibus terribilis evasit,& in morte miraculis claruisse dicitur, quam anno MDI. obivit. Hyacinthus Trabona ejusdem ordinis Sacerdos, morum integritate pręclarus, regularis disciplinæ tenax, ac doctrina ornatissimus, lustris VII. per Siciliam, & Italiam sacras habuit conciones; Apud Ferdinandum II. Cæsarem prędicandi

dicandi Evangelium ad septennium, provincia suscepta, oblatum Episcopale munus ex humilitate recusavit, omnibus, denique virtutibus clarus in patria, mortis suæ prænunciato die, sanctè decessit MDCLIX. Hieronymus Errante Patriæ ornamentum, Generalis Capuccinorum Minister. Fuit in sæculo Juris-consultissimus, sed longe majoribus in claustro doctrinę radius fulsit. Disertissimus enim Ecclesiastes, & Theologus singularis emicuit, & a prudentia eximia, animique virtutibus, humilitate præsertim se commendavit. Siculam, & Calabram Provincias rexit. Romæ totius ordinis Procurator, tandemque supremum ejusdem gradum est assecutus. Quo egregia opinione perfunctus munere, Drepanum aliquando, ut suos inviseret, Generalis Commissarius delegatus, veniens, mortale ibi exuit MDCXL. cujus funus splendide curatum est. Edidit Regulæ suæ expositionem; laudatur a Boverio, Wadingo, in Annal: Ordinis, a Pirro, & Mongitore. Placidus Ebanus & Cardona Clericus Regularis morum probitate insignis, Ennæ pissime decessit MDCLXXXIII. de quo Mongitore.

Uvillelmus de Salamone, nobilis genere, incerti Ordinis Monachus ex Pirro; sed juxta Cagliolam Minor Conventualis, inter sui ævi Theologos celeberrimus, & Ecclesiastes eximius, Friderico III. ob animi virtutes percharus; Martino & Mariæ Siciliæ Regibus acceptissimus, & ad Cephalędensem Episcopatum, ipsis agentibus, evectus; mox tamen, quum in suspicionem illis venisset, maxime infensus. Sæculo XV. ineunte, uti creditur, extra suam Ecclesiam obiit. Andreas de Campisio a Cephalędensibus Canonicis ad præsulatum ejusdem Ecclesiæ pro vitę meritis postulatus dignitatem minime assequitur. Joannes de Notarbartolo

tarbartolo, ingenuus origine, Juris utriusque Doctor, Eugenii IV. munere Episcopus Pactensis, Alphonso Rege etiam volente MCCCCXXXVII. eodemque anno vita functus. Franciscus Maria Rhini ex Minoribus Observantibus post emensos in Ordine gradus, Minister Generalis, Syracusanus subinde Episcopus, demumque Agrigentinus, ubique prudentia, ceterisque virtutibus enituit. Diem clausit extremum MDCXCVI. Hunc Patre *Politiense* Panormi ortum Mongitorius, & alii affirmant. Thomas de Mistretta Ordinis Prædicatorum de Rebus Fidei anno MCCCCXXXVII. in Sicilia Quæsitor, doctrina & moribus clarus. Angelicus Rampulla S. Joannis de Deo, sive Bonorum Fratrum alumnus, dexteritate in rebus agendis, nobilitate generis, multisque virtutibus conspicuus, Siciliæ provinciam rexit, mox anno MDCXXXIX. totius Ordinis Prior Generalis adlectus, multis præclare gestis, eo se gradu dignum ostendit. Romanus Sincerus Benedictini instituti sub Congregatione Cassinensi Monachus, in S. Martino professionem emisit, ob egregias animi dotes Abbas renunciatus, S. Nicolai de Arena Catanense Cœnobium optime administravit, ad Aversanum promotus, ibi mortalis esse desiit. Laudatur ab Uvione, Mongitore, & aliis. Stephanus Mistretta Abbas Monasterii S. Crucis *Politii*, cui Nepos Philippus successit ex Regia præsentatione. Hic ob senectam venerabilis, ac virtutibus clarus dicitur a Pirro. Michael Guarnutus S. Crucis quoque Abbas, & Petrus Guarnutus ejusdem Nepos, & in Abbatia successor; Fuit etiam S. Mariæ de Mandanicio Abbas. Jacobus Rosellus Ecclesiastes, & Theologus Ordinis S. Francisci satis celebris, quo nomine Concilio Tridentino interfuit. Pirrus literis & moribus cultissimum deprædicat. Vincentius Mari-

nus ejusdem instituti Ministri Generalis socius, cujus aliquando vices subiit. Hieronymus Carubba Carmelitis accensus, in rebus mechanicis, horologiis summa arte fabricandis, aliisque conficiendis ingenii acumine singularis, a Philippo II., cui charissimus evasit, S. Mariæ de Bordonaro Abbatia cohonestatus, octogenarius in patriam redux, Hospitalis Domus S. Joannis de Deo author fuit; cessitque e vita MDCLXX. in majori templo sepultus.

Inter Scriptores Siculos complures ex laudatis enumerat Mongitore, ac commendat præterea Balthassarem Cutronam Minorem Conventualem, Concionatorem egregium Catanæ, dum in Verbi Dei prædicationem incumberet, defunctum. Hilarionem Perdicarum inter Bonos Fratres Sacerdotem, nobili loco natum, Poesi, & Eloquentia insignem. Hyacinthum Trabonam ex Minoribus asceticis gravioribus disciplinis, & medicæ artis peritia, eximium. Antoninum Ferrari Carmelitam, quem etiam laudat Petrus Carrera. De Joanne Baptista Caruso novissimo *Panitensi* Scriptore, plura occurrunt promenda, quæ in pauca conferam: Vir sane ut genere nobilis, ita ingenii præstantia clarissimus, cui excolendo insignem sibi bibliothecam comparavit, Philologis, ac Historicis majoris nominis refertam, in publica Catanensi Academia hodie asservatam. Eruditionis hinc cultissimæ & Historiæ, Siculæ præsertim, aliarumque gentium recondite vel maxime, absolutissimum veluti oraculum evasit. Vulgavit *Siculorum Scriptorum Bibliothecam*, in unum scilicet corpus veteres Siculos Scriptores congessit; tum a primævis ejus incolis ad nostra tempora Siciliæ *Historicas Memorias* exactissime concinnavit, tribusque edidit tomis. Alia prelo paraverat ad

Po-

Polisium patriam illustrandam; sed immatura morte, preventus missa reliquit. Joannis frater Franciscus Carusius, & ipse historica eruditione præstans claruit, obiitque senex Panormi. Ager *Polisiensis* fructus uberrime producit, Cereri gratissimus, fruges fert copiosas, nec Bacco ingratus vina suppeditat. Oleas præsertim nutrit, & armentis, suis in collibus pascua præbet. Longitudo est grad: xxxvii. xlv. latitudo vero totidem habet. Aer saluberrimus evadit, aquæ copiosæ sunt & limpidæ.

POLLUCIS Locus. Vide *Pulicorum Turra*.

PONS RUPTUS Fluvius S. Michaelis, seu *Militia* in agro Panormitano ad meridiem. Vide *S. Michaelis Fluvius*.

PONS RUPTUS alter amnis Oretus, ita appellatus, in eodem agro. Vide *Orethus*.

PROPAX Fluvius Æliano memoratus, in Segestæ veteris urbis agro. Fazellus Segestanas aquas calidas *Porpacem* esse affirmat, quæ cum Termesso adjunctæ Scamandrum olim dicebantur.

PORTELLA S. ANNÆ in agro Panormitano occiduo, mons arduus, & ascensu difficilis, circa cujus verticem turris olim ædificata ad itinerantium præsidium; angustus enim ibi est trajectus, latronibus ad prædas agendas accommodus: Vetus Sanctimonialium sub S. Annę titulo Cœnobium perhibent quoque eò loci extitisse, ejusque rudera ad hanc usque diem perseverare, de quo Invegius & Toranamira.

PORTELLA MARIS Mons. Vide *Giordanus*.

PORTUS AUSTRIÆ, Maurolyco Stagnum Lilybęi, seu Marsalæ; veteribus Livio, Aul: Hyrtio, Frontino, Polybio, & Diodoro notus; ab Arabis Portus Dei *Marsa Alla*, appellatus; unde nomen gratie-

me urbi. Romanis illius obstruere fauces non semel in animo fuit; sed fluctuum impetus impedimenta omnia disjecit, uti alibi dixi. Appellatus est Austriæ, quod in eo ingens illa Classis sub Joannis Austriaci suprema Præfectura, quam Principes Christiani mox contra Selimum Turcarum Tyrannum coegere, in unum convenit. Molibus subinde Carolus Aragona Siciliæ Prorex MDLXXII. os ejus clausit adeo firmiter, uti obluctantibus undis, nusquam deinceps illę cessarint; hodieque idcirco in stagnum evasit.

PORTUS GALLI in Panormitano aquilonari littore, seu potius statio, sub ejusdem nominis colle.

PRATUM AMŒNUM Opidulum. Vide *Vallis Longa*.

PRITIUM Opidum, Siculis Prizzi, cujus Dynasta in Comitiis locum habet XI. Ad fontes Soffii fluminis in collis vertice sedet, & *Guillelmum Bonellum*, celeberrimi Matthęi Bonelli fratrem, authorem habuit, qui a Guillelmo S. Rege, ejusque uxore Margarita facultatem illud extruendi obtinuit. Agrigentina clauditur Ecclesiastica provincia, & Thermitanum urbanę militię Præfectum recognoscit, spectatque ad Corilionensem Comarchiam. Sub Carolo Cęsare 345. laribus, 2304. incolis constabat. Sequenti sæculo focos 895. incolas 3180. & juxta Pirrum 847. 3330. numerabat; nostra ætate MDCCXIII. laribus 1010. opidanis 3700. ac novissime 4678. confletur. Arcem laudatus Guillelmus in supremo clivo constituit; Claromontani instaurarunt, qui & majorem sacram ędem S. Georgio dicatam voluere, ab arce haud procul. Illam Archipresbyter, cui animarum cura imminet, sub Episcopi Agrigentini inspectione administrat, Clero autem hujus vices gerens præest. Minores Ec-

clesiæ

clesiæ septem numerantur. Minoribus Conventualibus S. Rocchi anno MDLXXXIII. ab Antonio Lombardo Diœcesano Episcopo locus conceditur, quorum Ecclesiam sarcophagi e vario marmore, nobilissimæ gentis de Villaraut, quæ diu *Pritium* tenuit, exornant. Carmelitæ vetus S. Angeli Cœnobium occupant ad passum quod initio Matthæus Bonellus Cisterciensibus Monachis attribuit, cum opidi juribus, unde factum, ut Monasterio Casęmaris ejusdem Cisterciensis ordinis *Pritii* Castellum esset obnoxium. S. Angeli enim una cum S. Stephano de Bosco Casæmaris Abbati indultu Pontificio cessit, uti de Palatio Adriano loquens, jam supra innui. Pirrus Hospitalem S. Leonardi eidem memorat congruo censu instructam. Idem anno MCCCIII. Monachis ejectis, *Joannem Malettam* Manfredi Comitis filium Castrum *Pritii* sibi occupasse scribit. Sub variis exinde ad annum MCCCCXVIII. perstitit, & sub Martino, ab officiis recedente *Francisco Valguarra*, ad quem circa ejusdem sæculi exitum spectabat, *Raymundus de Aprilio* obtinuit, uti in Capibrevio legitur; mox MCCCCVIII. *Nicolaum de Abellis* dominum habuit; In ejusdem enim Regis censu *Nicolaus de Abellis pro Castro, & loco Perici, & castro, & feudo Palaci Trionna* Curiæ obnoxius dicitur.

Anno MCCCCXVIII. igitur Cardinalis Columna Abbas Casęmaris ad se *Pritium*, ditionesque alias, coram Romano Pontifice causam agens, revocavit. At non diu Abbatiæ Procurator *Joanni Villaraut* sub censu annuo concessit, qui Principis rescripto MCCCCXXVII. merum & mixtum imperium, uti vocant, super *Pritium*, & Palatium Adrianum impetravit. Excepit Joannem *Aloysius* filius, & hunc *Franciscus*, qui prole caruit; *Carolus* hinc ejus frater successit. Censum hic

Ju-

Juliano de Rebore Cardinali persolvere quum recusaret, possessione privatur; sed rebus sub Juliani successore, Joanne Baptista Ursino compositis, rursus in castri dominium immittitur. *Caroli* successoribus Mattheus Bonellus Cardinalis Alexandrinus spolii litem intendit MDLXV. & in Romana curia contra *Joannem Villeraut* obtinuit. At hujus consanguinea *Joanna Velasquez & Villeraut* Francisci de Bosco Vicarensis Comitis uxor, tandem XL. M. aureis numeratis, pro non solutis juribus, Rege, ac Pontifice rem probantibus, *Prisium* MDXCVII. assecuta, conjugi in dotem assignavit. *Francisci* successores de Vicari loquens ex ordine recenseo. Possidet hodie *Josephus Bonannus* Catholicæ Princeps, ad quem Gentis de Bosco jura devenerunt. Opidi latitudo est graduum XXXVII. XLV. longitudo XXXVII. V. Ager fecundissimus omnia ad voluptatem, atque ad vitæ necessaria suppeditat; fruges enim omnis generis, fructus, vina, oleum fert, armentis, ac gregibus pascua abunde tribuit; venationi demum aptissimus audit.

PROBANTIA Insula. Vide *Levansus*.

PUCELLARUM Crypta in S. Calogeri monte, seu Giummariarum prope Saccam; sudat sulphura, & vapores emittit.

PULICIS Fluvius, Madiunis juxta Ferrariam, quem tamen Massa emendat.


PULICORUM TERRA, ubi Selinuntis urbis reliquiæ, & illæ ingentes, alibi describendæ. Sarracenorum dialecto locus *Bibidel Borhgos* dicebatur, quæ vocabula Siculis Pulicorum Terra redduntur; quod Massa advertit. Littori imminet Turris Pollucis, quæ nomen a veteri Templo cognomine sortitur. Vide *Selinuntis*.

PUNTA


PUNTA ALBA Promontorium inter Leocatam & Agrigentum sub Monte Claro. Adjacet illi *Petra Padella* scopulus ab ora D. circiter pass: recedens, ac pene CC. in circuitu habens. Hinc orientem versus statio de *Junca*, post quam *Pileris Punta*, unde Leocatæ littus initium sumit.

PUTEUS SYBILLÆ, aliter Lilybętanus, hodieque *S. Joannis Crypta*, quam alibi descripsi.

PYRUS Fons in agro Panormitano suas Oretho fluvio adjungens aquas.



QUIS-



UISQUINA Mons, *Cosbine* alii-ter, nemorosus, & in bina divisus juga, XL. fere pass: M. Panormo in meridiem distans, duos inter alios proceriores montes, sed æquali prorsus altitudine surgentes, locatur, quorum alter ad occidentem, Mons Rosarum, alter ad ortum, Camerata nominatur. Plinius hos Gemellos vocat, & descriptos habes in superioribus. Dissidet *Quisquina* ab opido S. Stephani II. pass: M. ab altero Bivonæ IV. ab amne Platani, & Camarata V. aut VI. Duo illa ad occasum, Platanis fluvius, & Camarata ad orientem habentur. Nobilis est porro, & memorandus ob S. Rosaliæ cryptam, in qua solitariæ vitæ tyrocinium Virgo hæc admirabilis instituit, ac juris olim erat Sinibaldi ejusdem Virginis Patris, nunc vero ad Vigintimillios Belmontis Principes pertinet. Notus erat Cryptæ locus, nemus hinc S. Rosaliæ dicebatur, & ara exterius eidem sacra adjacebat, ad quam olim complures religionis ergo pergere consueverant, sed in illam ante repertum in Peregrini antro Virginis corpus, penetraverat nemo. Primi quippe Operarii Panormitani duo cum S. Stephani opidanis angustum foramen, seu fissuram detegentes, hominis, etiam corporis, incapacem, ferreis instrumentis hac dilatata, die XXV. Augusti MDCXXIV. aditum tentarunt, & in speluncam descendere. Hæc porro a Cascino, & Salerno hoc pacto describitur. Antrum oblongum ac duplex est; Prima ejus pars VI. circiter ulnas longa, in VII. divisa est cellas, quarum singulæ per angustum foramen adiri possunt. In prima ad lævam rupes ali-

quanto

quanto latior assurgit, ubi Virginis manu characteres, duos digitos alti, & in novem inæquales lineas digesti hæc exprimunt: ✠ *Ego Rosalia Sinibaldi Quisquine & Rosarum Domini Filia, Amore Domini Mei Jesu Christi Ini sic Hoc Antro Habitari sic Decrevi.* Illorum forma Northmannorum ævo respondet, & de Rosaliæ ætate nos admonet. Quum porro bene cavati fuerint, tractu temporis saxo adnascente, cava impleta sunt, sic tamen, ut materia cavis innata distinguatur. II. & III. Cellula palmis circiter xx. elevantur, & ad xvi. extensæ, latitudine constant inæquali; unde ad IV. ascenditur a recta linea paulumper ad sinistram vergentem. Hic integrum lapidem oblongum, in lectuli figuram efformatum reperies e solo aliquantulum sublatum, in quo fortasse Virgo somno indulsit; leviter enim proclivis est, ut dormienti cervical appositum videatur. Accedit quiescenti opportunitas; nam, quum pluvio tempore undique per antrum totum aquarum guttæ distillant, huic uni parcitur loco. Illud admiratione dignum lapidem illum non videri indigenum, sed aliunde comportatum, quod per eas aditus angustias fieri hominum industria nequit. Denique quum tota specus obscura sit, hoc solo loco modicum est luminis, quod per spiraculum a parte dextera superna penetrat. Succedit Cellula V. angusta cum loculamento incommodi ascensus, & hæc VI. laxior, ex qua in VII. aditus aperitur, circa dexterum latus. Huic sublimis tectus non est, sicut & ceteris, sed humilis, ac instar cameræ. Videtur in ea schaphium, & quasi fons cum medio canali, undique conclusus, in quem aquæ frequentius stillantes recipiuntur.

Jam in VI. Cellula foramen apparet, per quod in secundam specum ingressus patet angustissimus,

 quem

quem nemo penetrabit, nisi inter rigentia saxa, exporrecto primum brachio & humero serpentis instar prorepat. Hæc ad ulnas v. in longum protrahitur, in cujus exteriore postrema cellula resedisse Virginem arbitrantur; usui enim aptior, & sedile habet manu efformatum, perque aliquot rimas mistigera n excipit lucem. *Nullus tunc ibi*, concludit Salernus Calcino duce, *porta vitæ hiatus, sed e superiore loco angustus aditus Virginem obliqua via descendentem admittebat, non secus ac si ipsa in puteum demitteretur*. Verum Bollandistæ non omnino Virginem ignotam omnibus, eo in antro diu perseverasse affirmant, hinc foramen uncuare. detectum, introitum illi præbuisse authumantur, quod temporis decursu ob saxi accretionem angustius evasit; ut ferro opus tunc fuerit ad pervadendum. Cætero anno sequenti S. Stephani populus ære collato parvam Ecclesiam ante speluncæ ostium ædificatum voluit, ut pars altaris sit in ipso speluncæ aditu; ex quo, ingenti frequentia nedum vicini, sed & remotiores eo convenientes, summa cum pietate loci cultum auxerunt, die præsertim xv. Septembris, qua etiam ante inventionem, sollemne festum in Virginis honorem celebrabatur, auctum deinde cum nundinis. Anno subinde mdcxciii. Januensis quidam Mercator Franciscus Scasso tribus cum sociis in *Quisquinense* antrum se recipit, vitam ibi solitariam traducturus, cujus assecundans votis Cajetanus Vigintimillius, *Quisquinæ* dominus aliquot cellulas extruendas prope Ecclesiam jubet. Hæc quinquennio post in ampliorem formam redacta est, & cellæ eremiticæ in monasterium recte ordinatum, commutantur, quod propriis vivit legibus sub Diœcesani Episcopi cura.



RAC-



ACCUDIA NOVA recens Opidulum in agro Panormitano *Bayberia*. Vide *Babyaria*.

RACEL Arx, quam Rogerius Comes, teste Malaterra expugnavit, & Sarracenis eripuit.

RAFFADALIS. Vide paullo infra *Rahalfadalis*.

RAGALIS Opidulum novi nominis, aliter *Valguarnera*. Vide. Dicebatur Sarracenis ager olim *Ragalis*.

RAHALCASSIN Casale Agrigentinæ Ecclesiæ attributum, de quo Pirrus.

RAHALFADALIS Opidum, Principatus titulo illustre, vulgo *Rafadali* & *Raffadali*. Olim sub Sarracenis Casale, uti Fazellus & Pirrus affirmant; sub Friderico II. *Tenimentum*; Martini ævo *Feudum*, & ubi hodie sedet, Petri Montaperti & Valguarneræ opera novit. Instauratum. De illius nomine tradunt: *Giorlandum Montapertum* Joannis Matthæi filium, inter Rogerii Comitis Commilitones adscriptum, Guastanellæ arcem expugnasse, illiusque dominum *Ali* Sarracenum strenue devictum expulisse. Hujus autem terris, quæ *Raffa* dicebantur, in quarum dominium Rogerius *Giorlandum* immisit, factum nomen *Raffadali* idcirco fuisse, Quasi Terræ Ali. Hæc ex diplomate MXCV. Agrigenti VII. Octobris scripto eruunt. In Friderici Regesto circa MCCCXX. exarato *Bartholomæus de Monteaperto* Casalis Libigini &c. Tenimenti Guastanellæ, Raffadalis &c. dominus dicitur. Sed in Martini censu *Ludovicus Montapertus* pro Feudis Grutticelli, Buterni, *Rahalfadale*, & medietate Cometi Curiæ obnoxius vulgatur. *Rahal* aliunde Sarracenicum esse vocabulum,

constat, & pro loco Incolis frequenti sumitur; hinc in Sicilia complura hujusmodi comperies, eodem nomine distincta, præter ea, quæ huc ego congero; sicut illa, quæ vulgo hodie per præpositam vocem *Revenium*, antiquis *Rabal* compellabantur. De diplomate non ambigo, sed conjecturis meis aliquid defero. Situs est porro opidi hodierni commode acclivis in austrum, circa Agragantis fluminis fontes, seu Dragi, & S. Blasii aliter, ab ipsa vero Agrigenti urbe v. pass: m. in æstivum occasum dissidet, cujus Diœcesi, Comarchia, & Militari Præfectura concluditur. Princeps parochiale Templum S. Mariæ de Infirmis sacrum Archipresbytero subest, & ob ejusdem Deiparæ prodigiis claram imaginem celebre habetur. Hanc commendat Nicolaus Alberti de Ad air: Dei in Honore Virg: par: 1. cap: 8. Majori porro viii. aliæ filiales Ecclesiæ obediunt, ad incolarum pietatem fovendam. Memorat Pirrus extra Pomœrium S. Mariæ de Rosario, cum Prædicatorum adnexo cœnobio, eodem anno MDXL. Nicolao Montaperto opidi dynasta authore, nec non Carmelitarum in S. Annæ vetus monasterium. Minores Conventuales in S. Antonii ab anno MDLXXXV. consueverunt; at sequentis sæculi anno VI. P. Gerlandi ab Agrigento opera, ejusdem ordinis Observantes locum tenuere, & hodie illustrant. Pro sequioris sexus educatione Collegium nuper institutum congruis censibus instruitur. Ex eodem Pirro S. Joseph Domus Hospitalis, cui hærebat olim S. Ludovici peregrinis excipiendis addicta ædes, sed utraque antiquata. Est Cleri moderator & Judex Agrigentini Episcopi Vicarius; civiles curæ penes Decuriones, aliosque administros, quos Princeps annuos deligit; huic jus gladii competit, & in publico Regni Con-
silio

filio locus XLVIII. Censetur hodie opidum 2264. incolis, numero ab ultima lustratione imminuto, nam anno MDCCXIII. in laribus 915. opidanos 2857. numeravit. Ex Pirro medio circiter elapso sæculo lar: 1035. animas 3161. sed in Regiis libris focos 1245. animas 3733. exhibuit. Sub Carolo V. 90. quidem focis, sed paullo post lustrati sunt incolæ 3346. De Dynastarum successione Franciscus Emmanuel in sua Sicilia Nobili longum instituit catalogum, celebratque post *Giorlandum*, *Jacobinum* ejus nepotem Guillelmi I. aulicum, qui sibi Constantiam Lauriam Rogerii de Lauria celebris Siciliæ Talassiarchæ sororem matrimonio adjunxit. Horum filius *Bartholomæus* gloria militari illustrissimus floruit, Gallos Andegavenses pluries fugavit, & Criminum vindex Panormi fuit. *Aloysius* Martino Regi ab intimis consiliis Antoniam de Ubertis ducens uxorem fratris hæredem, Ubertorum dynastias est assecutus.

Petrus horum filius ex Regni XII. Viris, Panormi sæpius Prætor ab Ferdinando Rege facultatem instaurandi *Rahalfadalem* MDVII. ex literis datis Neapolis obtinuit. Pirrus initia opidi in annum MDXXIII. reicit, quo ille in S. Laurentii agro Montapertum opidulum ædificandum, Carolo V. Cæsare annuente, suscepit. Virilem ex Eleonora Speciali tulit prolem *Hieronymum*, *Nicolaum*, & *Bartholomæum*, qui postremus fratri absque hærede decedenti, successit, ejusque filia *Eleonora Petro Montaperto Nicolai* filio nupsit, quem *Raffadalis* dominum idcirco fecit. *Nicolaus* tamen *Investituram*, uti appellant, suscepit, Patriam Panormum non semel Criminum Quæstor rexit, & jure gladii suis in ditionibus MDLVIII. donatus est. Ex Petro, & Eleonora *Nicolaus Joseph* primus

Mon-

Montisaperti Marchio, unde *Franciscus*, quem *Nicolaus Joseph* II. excepit, *Rabalsadalis* Princeps Philippi IV. privilegio anno MDCL. renunciatus. Fuit S. Jacobi Eques, XII. Regni Vir, Panormi Prætor, ac Proregis Vicarius; Ex Lucretia Boninno *Franciscum* genuit Patriæ quoque MDCLXXXII. Prætorem, Elisabethæ Lanceæ adjunctum; unde *Dominicus* primis muniis, ac dignitatibus perfunctus. Mariam Carretto conjugem hic duxit, & improles patri præmortuus, *Octavium* fratrem successorem habuit, Victorio de Sabaudia a cubiculo, ex XII. Regni Viris, Criminum Vindicem, & Prætorem, anno demum MDCCXVIII. e vivis sublatum. Tulit ex Rosalia Masbi *Bernardum*, hodie *Raffadalis* Principem, Montisaperti Marchionem, S. Elisabethæ, Calamonaci, & Montis Allegri dynastam, Regis Aulicum, aliisque præcipuis in Regno, & Patria honoribus decoratum. Ejus, & Marianæ Brancifortiæ unicus est filius, Salvator, Annæ Mariæ Naselli ex Principibus Aragonæ sacris vinculis alligatus.

De Agro frugum divite, gramine, & pascuis fœlicissimo, vinetis, oleis, & fructiferis plantis undique consito, venatoribus denique accepto, non est hic, quod peculiari disseram sermone; satis Agrigentini agri insignis fœcunditas perspecta est, nec nova indiget commendatione.

RAHAL-JOANNES Arx hodie celebris cum Opido olim in mediterraneis, sedet in jugo collium, qui ab Artesino monte occasum versus, inter Salsum, & Morellum fluvium subriguntur. Circa sæculi XIII. finem ejus erat dominus Guillelmus N. qui, *nullius impulsu*, ait Fazellus Dec: 2. lib. 9. cap. 3. *A Friderico Rege sola vesania ductus, ad Ducem Robertum defecit, illique*

opidum

oppidum tradidit. Fridericus autem, ne illud in media Sicilia situm circumjacentes suo contagio labefactaret, repentina obsidione vallatum, oppugnatumque, demum in ditionem accepit. Sed alibi idem author Oppidum *Rabal-Joannis* Friderico II. Rege ob Francisci perduellionem, cui suberat, in ruinam abiisse testatur Decad: 1. lib: 10. cap: 1. Verum Vigintimillii descitionem sub Petro II. Friderici filio Siculi Annales consignant. Oppidi idcirco excisio, dum ejus forte esset Toparcha *Guilielmus*, evenisse dicenda. In ejusdem Principis Regesto de anno MCCCXX. Heredes *Joannis de Jeremia Rabal-Joannem* tenuisse asseritur, quæ gens Panormi sub idem tempus splendide vivebat. Juris *Francisci de Branciforte* fuisse, qui Calatajeroni MCCCLVII. præerat, invenio; sed unde ad Vigintimillios devenerit, *Franciscum* Juniorem enim extremis Friderici III. temporibus dynastam illius factum, me nescire fateor. Ansalonius de sua Familia Digress: ultima: Jeremiis dominium arcis, & subjecti agri vi ereptum ab Francisco affirmat. Minutulus in Memor: Prioratus Messanensis lib: 7. Martini Regio diplomate, Franciscum eumdem ea ditione mulctatum tradit. Hinc in ejusdem Principis censu habemus *Heredes nobilis Chicchi de Vintimillio pro castro, & feudo Rabal-Joannis* clientari jure obnoxios. Hos porro *Antonium* & *Franciscum* hujus filium, itemque alterum *Antonium* fuisse, Regii libri exhibent, ex quo *Joannes* MDXXIX. *Rabal-Joannis* Baro, unde *Fridericus*, qui Juliam Requesentiam duxit uxorem. Fratres habuit Sigismundum, & Hieronymum egregios viros, quos laudat Franciscus Emmanuele *Sicil: Nobil:* tom: 2. Anno MDCXXV *Franciscus Graffeus Rabal-Joannis* Marchio Philippi IV. privilegio evasit, sibi enim &

suis

suis dynastiam comparaverat, fuit & Eugii Princeps. Excepit illum fratris filius *Franciscus*, qui cum Catharina Grimaldi *Josephum* procreavit. Ex eo & Stephana Corsetto *Pellegra*, quam sibi desponsavit *Fortunius Valguarnera*, ejusque donatione *Rabal-Joannis* Marchio evasit. *Victoria* Fortunii proles Carolo Vigintimillio Pradensi Comiti sacris adjuncta vinculis, in hunc jura sua transtulit. *Antonius* hinc ex illis natus, hodie in vivis agens, Prades Comes, Pitinei dominus, & *Rabal-Joannis* est Marchio. Idem Regi a Cubiculo, & S. Januarii Eques, fuitque dudum Tribunalis Mercimonii Siculi Præses.

RAHALIUSIUS Mons in agro Panormi occiduo, ad cujus radices copiosæ aquarum venæ effluunt, unde ager idem irriguus, ac fœcundus evadit. Montis latera frugibus ferendis aptissima dicit Invegius

RAHALMASSAR Casale olim Hospitali S. Joannis Jerosolymitani ab Raymundo de Motyca attributum.

RAHALMICIS Casale. Ejus in agro cognomine memoria extat, cujus dominus jure gladii, & Marchionatus tessera gaudet. Jacet sub Castro novo, jurisque dudum fuit *Raphaelis de Aurea* Siciliæ Talassiarchæ. Sub Martino *Lucas de Cosmerio* tenuit, cujus hæres & filia *Aloysia* Joanni Bellacera in dotem decidit. Primus Philippi IV. indultu Marchio MDCXLIII. *Petrus Bellacera* effulsit, *Raphael* ex eo, unde *Maria* Antonio de Grua Talamanca Villæregalis Duci nupta. Horum hodie Nepos *Rahalmicis* Marchio audit.

RAHALMUTUM Opidum Sarracenicum, uti ex ipso nomine fit clarum; nam Arabibus *Rahalmut* Casale demortuum, seu dirutum sonat, adeoque in loco vetus fortasse excisum opidum extitisse indicat.

Stemma

Stemma nihilominus Juvenem exprimens, qui digito ori imposito, velut silentium imponit, ad Latinum alludere vocabulum videtur; sed id recentioris creditur ævi. Situm est in declivi, sed arx pene integra, Friderico Claromontano authore, in S. Josephi planitie subrigitur. *Antiquissimum est Templum*, inquit Pirrus in Agrig: Notit: *olim majus S. Margaritæ Virg. ab opido ad* III. *lapidis jactum anno* MCVIII. *de licentia Episcopi Agrigentini a Roberto Malconvenant, domino illius agri extructum, prædiisque auctum, qui in præbendam Canonicalem convertit, & hodie extat cum decimis opidi, quarum una pars est* XVIII. *Canonici; altera Episcopi*. Sed hodiernum Annunciatæ Virgini sacrum Franciscus Labrotti ædificiis nobilius reddidit, cujus Archipresbyter diviti dote gaudet, & minoribus Ecclesiis sex jura dat. Nobile & vetustum Carmelitarum Cœnobium, sed incertæ fundationis, uti & aliud S. Francisci Conventualium juxta Castellum, ejusdem Patriarchæ auspiciis; nam annus MDLXVI. a Thossiniano inscriptus, uti Cagliola advertit, ad Ecclesiæ reparationem referendus post eliminatam luem; Ab *Joanne* enim de *Corrello* legatam, idem Thossinianus tradit, certam pecuniæ summam, ab anno MDLX. ut ædificia Conventus reficerentur. Alterius *Joannis* Comitis beneficio Minorum Observantium colonia in S. Margaritę MDXCVIII. coacta est sub S. Mariæ de Jesu titulo, jam enim dixi, ex hac translata fuisse majoris Ecclesiæ jura in novam de Annunciata. Habent Augustiniani de S. Adriano, seu de Centurpina Reformatione extra opidum quoque Conventum, S. Juliani referens nomen, quod *Hieronymus* Comes, Evodio Politiensi pio asceta rem promovente, MDCXXVIII. dotavit. In æde demum Hospitali S. Se-

bastiani Martyr post mediuum elapsum sæculum S. Jo. annis de Deo coaluit familia, ubi & mons pietatis S. Mariæ ad pauperes levandos dudum institutus.

Monialium perstat Cœnobium, pro XII. puellis pauperibus primò, Aldonsę de Carretto divitiis, constructum; mox sub S. Claræ regula, & ad Clausuræ leges conformatum, cui proventus sunt annui scutata DC. ex ejusdem Aldonsæ testamento. Meminit laudatus Pirrus Asceterii & Ecclesiæ S. Benedicti prope viam, qua Agrigentum itur, de suffraganeis Agrigentinæ Ecclesiæ, sed est ejus omnino desertus locus. Sacris hisce ædibus privatæ civium adduntur, quæ satis etiam decentes assurgunt. Lares omnes Caroli V. ævo censi fuerunt 890. cives anno MDXCV. 4447. Post L. ferme annos inita lustratione, foci 1436. animę 5106 inventæ sunt. Sæculo hoc nostro de anno XIII. foci 1175. incolæ 4757. Ex novissimo censu 5344. Colunt hi præcipuo cultu S. Rosaliam Virg. veluti primariam tutelarem. Clerus Agrigentini Episcopi subest Vicario; Civilis Magistratus est annuus juxta provinciæ sanctiones ab dynasta designatus, qui jure gladii, & proferendi in Comitiis votum prærogativa, loco XX. gaudet. Ager inter primarios vallis hujus, ab ubertate, & rerum omnium abundantia commendatus computatur, latissime patens, fontibus ubique irriguus, colonis gratissimus evadit, quorum aquæ in Platanim influunt. Laudat Mongitorius *Sicul: Bibliot:* tom. 5. Bernardum Guttadauro, quem in Topographico elencho Rahalmutensem dicit, in Elogio vitæ Fabariæ ortum evulgat. Fuit Ordinis Observantiæ Strictioris S. Francisci, de quo etiam Pirrus, uti de *Fabaria* alibi loquens, retuli. Polaris *Rahalmuti* altitudo, seu elevatio est grad: XXXVII. XXX. longitudo XXXVII. XX.

Robertus

... *Robertus Malconvenant*-Northmannus *Rabalmutum* primus obtinuit cum Busaquino, Rogerii Comitis dono. Hujus fuit filius *Gulielmus* Siciliæ Magister Justitiarius. Minutulus *Memor: Prior. Messan.* gentis de *Abrignano* juris fuisse, tradit lib 8. *Barrafiis* subinde datum; *Joannes* enim ejusdem familiæ ad Andegavensium partes deficiens, secum opida sibi subdita traxit, Petrapretiam, Nasum, *Rabalmutum* & alia. Rex hinc Fridericus hujus nominis II. *Claromontanis* attribuit, *Friderico* scilicet II. Friderici I. & Marchisiæ Præsoliæ filio, qui Agrigenti diem clausit extremum MCCCXL. Ejusdem opus Arx celebratur a Fazello Dec: 1. lib. 10. Successit ex paterno testamento *Constantia*, quæ primis nuptiis *Antonio de Carretto* Savonæ, & Finarii Marchioni adjuncta fuerat; quo decedente, *Brancaleonem de Auria* duxit maritum. Hujus hæredes in ejusdem Friderici Regis censu de anno MCCCXX... *Rabalmuti* domini dicuntur; brevis hinc utriusque conjugis *Constantiæ* fuisse vita apparet. Vivebat enim *Antonius de Carretto* enunciato anno sæculi XVI. undecimo; Claromontanus siquidem in suis ultimis tabulis Filiam suam *Constantiam nobilis domini Antonii Marchionis Saonæ consortem appellat*; Friderici Regis Regestum hæredes quondam *Brancaleonis de Auria* memorat; quod sane, uti alibi ostendi, post annum MCCCXX. confectum fuit. Sed id negotium insuper facessit, quod *Brancaleo* MCCCXXXV. Sardiniæ Præses memoratur; quo pacto igitur mortuus in Regesto dicitur? Sed de *Brancaleonis* apud Sardos eo anno *Præfectura* merito subdubito; de anno, quo Census sub Friderico Rege fuit institutus, non minus anceps animi sum. Utrumque inter annum XX. & XXX. statuere satis congruum

putaverim. Ceterò *Constantia* anno MCCCCXLV. *Antonium Carrettum*, primo loco cum Antonio Carretto genitum, *Rabalmuto* opido donavit ex Actis Rogerii de Finario die Augusti xxx. Ex quibus minime procedere advertis, quæ Franciscus Emmanuele adnotavit ex Muscia: Joannem scilicet de Claromonte *Rabalmutum* possedisse; quum eodem ferme tempore ex eodem Muscia *Brancaleonis* hæredes pro *Rabalmuto* obnoxii, Joannes vero pro *Racbalianoto* Curiæ obstrictus legatur.

Jam ex *Antonio Carretto* & Salvasia uxore *Gerardus*, qui postquam Martino Regi egregiam navasset operam, in Liguriam se conferens, paternis bonis in Sicilia *Matthæi* fratris germani favore cessit, florenis MMCCL. ab eo receptis. Hæc Surita *Annal: Arag:* par: 2. lib: 10. Verum in ejusdem Regis literis de anno MCCCXCII. *Matthæus inter Siculos Proceres* recensetur, ad quos ille perscripsit, sub idemque tempus *Rabalmuti* dominus & Finarii Marchio appellatur. Denique totius Regni Generalis Vicarius, Camerlingus, & a Regiis Rationibus, Siculianæ & Calatabiani Dynasta effulsit. Illum excepit *Joannes* filius, qui Philippi II. diplomate MDLXXVI. primus *Rabalmuti* Comes evasit; gessitque Panormi Præturam ac Rodulpho Cæsari charissimus vixit. *Joannes* IV. patri non absimilis, Panormi Prætor, XII. Regni Vir, & Messanæ Strategus adlectus splenduit; cum Margarita de Aragona *Hieronymum* juniorem progenuit, ex quo *Joannes* V. Hic, ducta in uxorem Beatrice Vigintimillia, Princeps etiam evasit recentis opidi in agro Calamignæ excitati, sub nomine *Vintimilliæ*. Successit *Hieronymus* Beatricis Brancifortiæ maritus; unde alter *Hieronymus*. Claruit hic primis Militiæ honoribus,

ribus, ac strenue contra Gallos se gessit; Proregis vices, patriæ Præturam, aliaque munia cum laude obivit, & cum Melchiora Lancea *Josephum* procreavit, ante patrem absque prole defunctum. Ejus fuit uxor *Brigida Schittino & Gallessi*, quæ anno MDCCXI. pro consumpta dote Comitatum *Rahalmuti* sibi vindicavit; Hujus autem jura in *Aloysium Cajetanum* Vallisviridis Ducem translata sunt, quorum præsidio *Rahalmuti* Comes ipse evasit. Ex XII. Regni viris, tertium Panormi Prætor, aliisque muniis *Aloysius* fulsit, filiamque ex secunda uxore *Mariam Joachimam* tulit, Ferdinandi Francisci Gravinæ Palagoniæ Principis conjugem, MDCCXLVII. *Rahalmuti* Comitissam renunciatam.

RAHALSTEPHANUM Casale in agro Vicarensi Panormitanæ Ecclesiæ a Maria Petri filia anno MCXCI. attributum.

RAHALSUTTANUM Opidum, Mazarensi Valli Regiis in libris adscriptum, ex aliis vero monumentis in Valle Demana computatum. Ager olim ad Vigintimillios spectabat, Hieracii, & Colesani Comites; memorat hinc Pirrus in *Chronolog.* inter Francisci I. dynastias *Rahalsuttanum*. Ex qua gente *Joanna Antonii* filia *Gabrieli Fladiola* cum ejusdem dote nupsit MCCCCLXXIII. unde *Sigismundus*. Huic *Silvester* frater successit MDVII. *Fortis Romanus* subinde ex dote tenuit, a quo *Joseph de Neapoli* Italiæ Regens, Campibelli Dux emit, MDC.... Hic homines coegit, & opidi author fuit, in levi declivi ad austrum, & orientem siti, rectis viis, & laxioribus areis descripti. Major Ecclesia parochialis pene in centro cum Archipresbytero, digna est, quæ conspiciatur, & Deiparę Immaculatę Conceptionis sacra Sacellū Christi Domini e Cruce pendentis habet, præcipui opidanorum

norum tutelaris. Huic minores Ecclesiæ subsunt duæ. Pertinet ad Messanensem Diœcesim; constabat medio elapso sæculo focis 115. oppidanis 404. hodie focis 385 incolis 1231. Agro utitur fœcundo; frugibus quippe omnis generis ferendis aptissimus, nec vineis est vacuus; sed arboribus, & fructibus parum frequens, pastoribus & bubulcis ingratus evadit; pascua licet pingula gignat. Ad pass. II. circa ortum, a Petraliæ fluminis ripis, quod etiam *Rabalfatani* appellatur, haud procul, in tumuli vertice Arx vetus assurgit, unde opidi stemma desumitur. Est illa firmissimis muris compacta ad palmos LXXX. hodie alta, quadratæ omnino figuræ. Porta cum ponte, olim sublicio ad interna aditum præbet, quæ ruinis pene obruuntur; ostentant nihilominus aulas concameratas, cum variis e marmore ornamentis, & capitulis cernimus prægrandes trabes substinentes, officinas, interioresque cryptas, ac alia hujusmodi, unde ædificii magnificentiam eruas, quod Vigintimilliis primis Feudi dominis adscribo.

Sed jam de novissimis post extructum opidum agendum, quorum primus, uti innui, *Joseph* recensetur, cui *Hieronymus de Neapoli* filius successit, Princeps *Rabalfatani* Philippi IV. privilegio MDCXXVI. adlectus, Eques Alcantaræ, & jure uxoris Elisabethæ Barresiæ Francisci filiæ, Petræ de Amico, & Alexandriæ dominus. Ex hac *Josephus* & Petrus. Ille intempestive e vivis exemptus est; Petrus Bissanæ Dux *Hieronymum* genuit, qui a patruo *Josepho* hæres vocatus, sponsalibus cum Rosalia Filingeri vix contractis, morte & ipse præventus, *Josephum* fratrem successorem habuit. Hic infœcundo etiam thoro, quem cum Rosalia Massa ascendit, *Friderico*, tertio Petri filio, locum dedit.

cedit. Claruit *Fridericus* variis, & insignioribus muneris honoratus; nam quartùm Panormi Prætor, totidemque ex XII. Regni Viris fuit; Proregis vices Catanæ gessit. Inter Hispanos Magnates adscriptus; Victorii Sabaudiæ Ducis Aulicus; ab intimis Consiliis Carolo VI. Cæsari, ab eo *Viri Constantis* titulo in scuto donatur, ob egregiam navatam operam terræmotus tempore ad patriæ levamen MDCCXXVI. Tulit ex Eleonora Bellacera *Petrum Rabalfuttani* & Montisleonis hodie Principem, Campibelli, Bissani Ducem, Alexandriæ, Petræ de Amico, & S. Nimphæ dominum, ex Magnatibus Hispaniarum, Regi Siciliæ a Cubiculo. Adstrictus sacris vinculis vivit cum Elisabetha Montaperto, ex qua *Fridericum* progenuit, Felicis Bonfilii Condronis Principis conjugem. Gessit quoque *Petrus* Panormi Præturam, Proregis vices, Luis, quæ Messanam afflavit, tempore, ad Noaræ limites cum laude obivit, & inter Regni XII. Viros adscriptus fuit. Gaudet jure gladii, & in Regni consilio XXVI. loco sedet. Opidi latitudo XXXVII. XL. eademque & longitudo.

RAHALYOB Casale, quod Rogerius Camet, jam Sarracenus, inde Rogerii Comitis opera in Christo renatus, atque ab eo e sacro fonte levatus, Panormitano Archiepiscopo MCXLI. cum aliis attribuit. Situm indicat donator *intus in tenimento Neri & Limpiadus, quæ dicitur Licata*. Concessit cum *Rafgedeu* & Burgenissima Paulus Vicecomes Alagonii, uti alibi expendi.

RAMUXARA Una ex Latomiis vetustæ urbis Selinuntis, Nomen est Sarracenicum, locus VI. pass: M. ad occidentem Selinuntis ruderibus imminens, hodie antiquitatis amatoribus visu jucundissimus accidit; adhuc

huc enim plures columnarum moles circumcisæ in eo spectantur, licet non evulsæ. Sed in via, quæ ab hac lapicidina in urbem ducit, tota nunc nemorosa, magna passim columnarum frustra, quæ a portantibus olim exciderant, summam præbent conspicantibus delectationem. De ea Fazellus.

RAPICALIDUS Fons Mazari fluminis sub Salemi, cujus idem Fazellus meminit.

RASGADEN Casale. Vide *Rabalyeb*.

RASICUDIA Arx in rupe edita, sub qua Petralim fluvius, & Meridionalis Himera, vulgo Salsus in unum confluunt. Memoratur Fazello Dec: 1. lib. 5.c.3.

RAVANUSA Opidum ob Deiparæ Virginis ædem ab Rogerio Comite, uti ferunt, extructam, satis celebre. De illa Cajetanus ait: *Originis Illus. Ædium n. 5. Prope Gelensium*, seu Leocatæ agrum mons est, qui Sarracenus etiamnum appellatur. In eo urbs a Sarracenis tenebatur, quam acriter dura obsidione Rogerius circa annum MLXXX. oppugnabat. Fertur autem, ut præ aquarum penuria universus exercitus laboraret; quapropter ad Deiparæ opem conversus pius Comes eam enixe precatus est, uti copiis siti vexatis benigne opitularetur. Audiit Clementiæ Mater, quare precanti sese obtulit, solatur, animos addit, locum prope ipsius tabernaculum indicat, ubi paululum effossa terra, aquę fons erat erupturus. Erupit, ut Virgo prædixerat; relevatus optatis lymphis exercitus; captum, expugnatumque opidum; Sarraceni aut pulsi, aut trucidati. Comes vero in illius beneficii monumentum templum Sanctissimæ Virgini erexit. Hæc omnia traditio rumorque communis testatur. Pręterea etiam pictura: nam in eadem Virginis æde hęc omnia depicta, & ne temporis injuria delerentur, refecta

sunt

sunt. Huc usque Cajetanus De Monte Sarraceno inferius; Opidi nostri origo annum XVI. elapsi seculi non excedit; sedet autem XII. circiter pass. m. a Candicattino, a recenti Campobello opidulo III. a Leocata XIV. a Naro VIII. pronumque in meridiem solum occupat, & amplas, rectasque vias habet. Majoris Ecclesię & Parochialis regimen est penes Archipresbyterum, qui Agrigentino Episcopo subiicitur, ac in aliis minoribus Ecclesiis IV. jus dicit. Illius tutelarem Pirrus Deiparam de Rosario evulgat, sed fallitur; S. enim Jacobus Apostolus Major ab ejus primo conditore *Jacobo Bonanno* Montis Albani Duce adscitus; Præcipua vero Patrona eadem Virgo de Gratia adlecta ab Opidanis fuit.

Templum porro ejusdem Deiparę vetus, de quo jam dixi, Rogerio, uti tradunt, authore, a *Fica* hodie appellatur ex hac traditione: Ferunt enim Comitis Rogerii tabernaculum, ubi Virginis apparitione ille dignatus est, sub arbore ficus plantatum, & ad ejusdem radices fontem erupisse, qui adhuc extat, incolisque affluenter aquas ad omnes usus subministrat. Arboris truncus nostris diebus perseverare creditur, & confluentibus in Minorum Cœnobio ostenditur; Dynastam denique ex eodem iconculam Virginis in sacello domestico habere dicunt. Id Cęnobium S. Mariæ de Jesu titulo insigne, juxta opidum est hodie, & S. Francisci de Observantia Asceti incolas habet. Olim fundavit, dotavitque *Andreas de Crescentio* Feudi *Ravanusa* dominus, & S. Georgii de Alga Canonicis Regularibus Augustiniensis ordinis, Dominico Xarat Episcopo Agrigentino anno MCCCCLXX. probante, attribuit. In Ecclesia B. Virginis, ex bitumine, uti credunt, simulacrum, miraculorum gloria clarum

colitur, cujus festum cum nundinis magno populorum conventu die 15. Augusti celebratur. Ad opidum, quod attinet, Pirrus sua ætate 82. laribus, incolis 250 conflatum dicit; sed Regii libri longe frequentius illud, III. post anno, MDCLII. scilicet, exhibent, nam laribus 244. opidanis 663. censum fuisse tradunt. Anno MDCCXIII. foci 778. animæ 2932. numeratæ, quæ novissime 4532. Degunt sub Leocatæ Comarchia, & Agrigentina Diœcesi. Clero Episcopi præest Vicarius, Magistratus a Dynasta constitutus res civicas administrat. Votum XXX. in Comitiis idem profert, & jure gladii gaudet. Est *Ravanusæ* Dux tituloetenus *Agesilaus* Bonanno, vulgo de Castellana appellatus; sed opidum tenet *Josephus Bonannus* Catholicæ Princeps, de quo alibi, *Ravanusæ Baro* etiam dictus.

Veteres Toparchas Barberius enumerat, & *Taglavias* ex illis primos recenset. In Friderici II. Regesto *Nicolaus Taglavia pro Casali Ravanusæ* omagium præstitit, cujus filius *Joannes* sine prole decessit. Hinc Fridericus III. *Petro de Mauro* attribuit MCCCLXXI. *Falco de Palmerio* Naritinus in illius possessionem nihilominus immittitur, qui jus habere dicebat. Sub Martino *Aloysius Taglavia* ex eodem Barberio *Ravanusæ* vulgatur Dominus; at in ejusdem Regis Censu de anno MCCCCVIII. Casale ad *Andreæ Taglaviæ* hæredes spectare evincitur. *Ob Aloysii* defectionem, subdit ille, *Marcus Landolina* Netinus obtinuit. Hic *Roderico Rebas* Arcis Netinæ Præfecto dedit, Rege suis literis Catanæ MCCCCII. id confirmante. *Andreas* subinde de *Crescentio* jure uxoris Raymundettæ sibi vindicavit, quam a Palmeriis originem ducere Barberius affirmat. Hic Cœnobii Canonicorum de Alga, uti dixi, author fuit; & ab Alphonso Rege extruendi

di tabernam, ubi colonis, atque hospitibus omnia ad vitam necessaria liberè venderentur, MCCCCLI. impetravit. Idem Candicattinum opidum a Palmeriis biennio post emit; moriensque filio *Joanni* cum *Ravanusa* reliquit. Ex *Joanne Berarda*, sive *Raymundo* unica prodiit, quæ *Calogero Bonanno* Calatajeronensi nupsit. Hujus hæredes de Candicattino loquens laudavi. Gradus longitudinis *Ravanusa* est XXXVII. XXXV. Polaris elevationis XXXVII. X. Ager satis amplus, & pinguis, proventus parit non leves.

RAYALIA Fons, cujus aquæ olim per aquæductus ingentes Lilybæum deducebantur; distabat pass. M. V. uti hodie a Marsala, quæ Lilybæo successit, abest.

RAYSIDEBBIS Scopulus insularis extra Drepani portum ad aquilonem, de quo Orlandinus, & Massa. *Rays*, seu *Ras* Caput est Sarracenis.

REBUTTONE Lacus in agro cognomine ad Panormitanum spectans territorium. Juris est hodie *Antonii Garofali* in Regiis Eserecitibus Mareschalli, qui Dux *Rebuttonis* dicitur. Spectabat olim ad sacram Panormi Mansionem, cujus Abbas Hieronymus Carroz MDXLIX. *Honorio Garofalo* sub censu annuo concessit. *Thomas* Dux primus fuit anno MDCLVIII.

REFADALIS. Consule *Rahalsadalis* Opidum.

REFESIUS Fluvius oritur ad montis cognominis radices, suasque aquas in Mayhasoli amnis alveum deponit.

REFESIUS Mons, aliter Caprianus, longo tractu, ac variis subrigitur jugis inter Bivonam, & Platanellam a meridie in septentriones. Cluverius inter Mayhasolum, & Halycum fluvios ab occasu in ortum locatum dicit: *Inter quem* Mayhasolum, *& Halycum latus est montis jugum, vulgariter incolis Refesio dictum,*

ctum, quod illud est Diodori Caprianus mons; unde perspicitur Nervam Praetorem, qui contra Servos ducebat, *ab Lilybaei regione Heracleam versus fuisse profectum*. In eum quippe montem Servi defectores contenderant, quos Nerva praeterit; de ignavia idcirco accusatus. Subjectus ager, ac nemus feris temporibus SS. Trinitatis, & S. Mariae Benedictini ordinis Monasterio illustre evasit; quod Ansaldus Regii Castelli Panormitani Praefectus de novo construxit, facultate a Gentili Episcopo Agrigentino MCLXX. impetrata. Guillelmus II. Rex diplomate Panormi MCLXXII. signato: *Donamus*, inquit, *Agrigentinae Ecclesiae Ecclesiam ad honorem Genitricis Dei constructam in nemore, quod dicitur Resesi*. Alii subinde Gentilis Successores variis Monachis eamdem Ecclesiam cum Monasterio concessere. Nonnulli rursus ad se revocarunt; tandemque Monasterio S. Joannis de Eremitis Panormi legitur donata; Cujus Abbas Alphonsus Aragonius *Resesi* feudum MDX. *Joanni Alexandro Galletto* ad Emphyteusim dedit. Ejus filia *Francisca* Nicolai Dianae uxor censum annuum ad scutata quingenta auxit, quae subinde *Antonio Alliata* Villaefrancae Baroni vendidit; onere adjecto Ecclesiam instaurandi. At Regius Senatus jura sibi adjudicavit, quod *Gallettus*, & uti alibi lego, *Alliata* Regni etiam Thesaurarius uncias XIII, M. Curiae deberet. Verum idcirco illa dantur *Angelae de Cerda, & Luna*, quae prima *Resesi* Marchionissa Philippi III. privilegio MDCIX. evasit. Emit denique ab *Angelae* haeredibus *Simon Zati*, cui *Placidus Joseph* filius successit, hodie S. Mariae de *Resesio* Marchio, Antoniae Morso maritus, qui & Campimagni Dynasta.

REGALIS MONS. *Amigdala*. Hujus in Censu de

de anno MDCCXIII. memoria extat, & laribus 146. incolis 550. constare dicitur. Vide *Mons Regalis* Opidulum.

REGIS AQUA, & Turris in sinu Castelli ad Mare, seu Segestano assurgit circa occasum. Vide Fons Regis.

REJOANNES Arx. Consule *Rahal-Joannes*.

REMISSE, & REMINESSA Sarracenorum Castellum ab Rogerio MLXXXVI. expugnatum, ex Malaterra lib. 4. Aprile eo vocabulo historicum *Ravanusam* intelligere affirmat. Nullam Ego analogiam duo inter hæc nomina agnosco; Arcemque ad *Ravanusam* extare nullam constat. Aprilis conjecturam Fran: Emmanuel probare non abnuit. Fazellus, & Massa de *Remisse*, & *Ravanusa* distintim agunt.

RENDICELLA Casale ab Guillelmo II. Montregalensi Cœnobio MCLXXXIV. concessum. Rende nomen in agro supra vallem Curtam, ab ipsa Montis Regalis urbe in meridiem extat.

RENELLA Statio sub Peregrino Monte in littore Panormitano, ubi & Cetaria. Vide *Arenella*.

RESALAIMIS Fluvius, & Arx. Vide *Rysalaimis*.

RESUTTANUM Opidum. Vide *Rahalsuttanum*.

RIBERA MONCADA, Opidum recens, nomen ab uxore Aloysii Moncadę Paternionis Principe, Ducis Alcalę filia, Maria Alfan de Ribera accepit, ac circa Mayhasoli fluminis dexteram ripam, a mari haud procul, in Agrigentina Diœcesi, & Saccensi Comarchia sedet ab anno MDCXXXIII. exædificatum. Situs est in orientem pronus, viæ rectæ, & laxiores; Majus templum cum Archipresbytero elegans S. Nicolao dicatum, cui minores alię duę subsunt. Laribus 128. incolis 462. anno MDCLII. constabat; in censu de an: MDCCXIII.

lares

lares 722. opidani 2511. computati sunt; & novissime 3719. horum fuit numerus. Ager ab omnimoda fertilitate commendatur; nam dives frugum colonis multo cum fœnore datum reddit, rebusque aliis ad vitæ necessitates affluit. Longitudinis gradum XXXVI. XI. latitudinis XXXVII. XX. attingit. Opidi Dynastas alibi ab *Aloysio ad Franciscum Rodericum* Paternionis hodie Principem recensui.

RIENUM Casale prope Castrumnovum, quod *Conradus de Rieno* MCCCXX. beneficiario titulo possidebat, & *Nicolao Morello* MCCCCVIII. feudi jure devinctum erat.

ROCCA AMIGDALA in Collis Sarraceni jugo. Vide *Sarracenus mons*.

ROCCA COLUMBA, & Siculis *Palumba*, novi nominis Opidulum, occurrit in via, quam a Valle Neti Panormum iter facientes tenent, & planitiem occupat ad Xarriæ montis radices, circa Torti fluminis fontes. Parochialis ædes Sanctæ Crucis titulo, cum Sacerdote Archiepiscopi Panormitani vices gerente, cui animarum imminet cura, decens est, & aliam filialem habet, uti dicunt; Dynastæ domus ab ea non procul satis etiam congrua; rectæ denique sternuntur viæ, ac leviter in ortum declives, ut soli genium exigit. Clientelari tenet jure *Litterius Moncada, & Platamone, Francisci* Lardariæ Principis filius, qui hujus sæculi anno XV. ab *Isabella Morra, & Cottone* redemit. Gladii potestatem exercet, & in Comitiis, uti *Roccæ Columbæ* Baro locum occupat XXXVI. Principatus enim titulum anno MDCXXX. *Margherita Oriolet* Petri Ansalonii uxor, Philippi IV. literis, impetravit. Hic patriam Messanam primùm optime inter Senatores adscriptus, rexit; mox eadem digni-

dignitate Panormi, & Regni insuper Quæstor effulsit. Ex his *Placidus*, unde *Paulus* II. qui prole destitutus *Melchioram* sororem habuit hæredem, *Francisco Corvino* sacris vinculis adjunctam, quorum filius *Josephus* titulum *Hieronymo Pilo* Marinei Marchioni resignavit; *Ignatius* idcirco ex *Hieronymo* ortus MDCCXX. *Rocca Columba* Princeps est dictus. Sed *Joannis Alexandri Sollima Galletti* S. Marinæ Marchionis favore, illi cedere novissime coactus est; desponderat enim hic *Melchioram Corvino Josephi* filiam, ex quibus *Joannes Petrus* in vivis agens. Gradum longitudinis XXXVII. XXV. & latitudinis XXXVII. L. attingit *Rocca Columba*. Agro felici gaudet, & in Thermarum Comarchia computatur.

ROCCASTRICTA Rupes edita, & inaccessa, sub qua Salso fluvio, sive Meridionali Himeræ angustus est transitus, inter colles enim pene sese contingentes iter sibi aperit. Ad Rupis cacumen in vivo saxo ingentis staturæ excisum Leonem Fazellus advertit, vetusti, & elegantis artificii, in priscorum aut victoriæ, aut imperii signum, ibi fortasse positum; Qui ab excelso eo loco viatoribus sese ostentat.

ROSALIA Collis latus ad Montisregalis Cœnobium. Ibi variæ sunt cryptæ, in quarum una S. Rosaliam Virginem aliquando vitam duxisse fabulantur.

ROSARUM Mons. Vide *Genius*, & *Mons Rosarum*.

ROSSELLUS Mons. Consule *Mons Rosellus*.

ROTUNDUS Mons in Caccabensi Agro, de quo Invegius. Nomen ab rotunda, qua constat figura sibi vindicavit.

RUCENTORIUS Ager Tullio in Verrinis memoratus, sed incerti prorsus situs. De eo etiam Gualterius de *Tabulis Siculis*.

RY-

RYSALAIMIS Arx vetus jacens, Sarracenici nominis, sub qua ingens est crypta, & in ea fons copiosas emittens aquas; unde Bayhariæ fluvius ortum recognoscit, qui *Rysalaimis* appellatur ad Myrtorum usque hospitatoriam tabernam, ubi a Myrtis nomen accipit. Est Bayharia amnis veterum Eleutherus. Eruditissimus Franciscus Agius Gaulensis Canonicus, alibi laudatus, putat Sarracenicum nomen esse *Ras al ghain*, congruitque loco; nam *Ras* Caput sonare satis constat, *Ghain* fontem denotat.



SA-



ABUCIA *Fluvius Mali Temporis* vulgo, & aliter *Canizzarus*, Sarracenis *Aynizarus*, in agro Panormitano, qui dudum damna non levia, anno præsertim MDLVII. effisis australibus mœnibus, prope Castri portam sub Regio Palatio, ipsi Panormo intulit, uti Fazellus Dec. 1. lib: 8. enarrat. Vide *Canizarus*.

SABUCIS Casale, quod Fridericus Cæsar Panormitanæ Ecclesiæ MCC. concessit, & MCCXI. confirmavit. *Sabucis* castrum in agro Calatanixectæ, Civilis belli tempore Regis jussu dirutum, reædificandum suscepit Alphonsi Regis indulctu MCCCCXXXVI. Raymundus Guillelmus Moncada IV.

SACCA Urbs Regia & *Digna*, olim *Thermæ Selinuntinæ* a proximis saluberrimus Balheis; *Aquæ* aliter *Larodes* & *Labodes* in Romanis Itinerariis; Siculis hodie *Sciacca* & *Xacca* ab Araba voce, quæ fissuram significat, uti Cascinus advertit. In ora surgit meridionali sub monte in occasum ad pass: circiter M. cujus radices non modo mari vicinæ, sed ad mare etiam non parum procurrunt, pluresque habent cavernas lutoso sulphure, sale, ignibus, & calentibus aquis refertas, unde harum scaturigines effluunt, *quæ simul collectæ apparatissimas*, inquit Fazellus *conficiunt balneas, neque ulla ex parte Bayanis inferiores*. De Aquis hisce, & Monte, qui S. Calogeri appellatur, & *Gymnasiarum*; veteribus vero *Chronis* nomine cognoscitur, jam dixi; De veteri urbe suo loco reponam, De nova hinc post Sarracenos e Sicilia expulsos ab Rogerio condita, sive instaurata hic solum agam. Mœnibus & orbiculari propugnaculo munivit idem Co-

mes, arcemque addidit ad tutelam, & decorem, ac *Juliettæ*, sive *Gilettæ* filiæ cum adjacenti regione concessit, uti ejus diplomate, ab Rogerio II. Rege confirmato constat. Giletta porro, ut sibi Numen propitium redderet, sacram B. Mariæ Magdalenæ ædem a fundamentis magnifice erectam, ac dotatam in Templum maximum constituit, Divamque eamdem totius opidi tutelarem adscivit.

Erat Sacca, inquit Fazellus, *eo tempore licet parva, & quæ vix laribus mille habitari posset, mœnibus tamen cincta, quæ magna ex parte adhuc integra conspiciuntur ea regione, cui hodie Terra vetus nomen est.* Sed Friderico II. anno MCCCXXX. volente, longe amplior situ, & pomerio, murisque circumsepta in urbem crevit. Sub Martino, quum Nicolaus Peralta ea potiretur, arce firmissima munita est; quumque ad jactum lapidis mari promineat, novis munitionibus & propugnaculis a Carolo V. Cæsare, Siciliæ Rege, loca maritima contra Barbarorum incursiones optime constituta volente, instruitur, ac una ex præcipuis totius Insulæ idcirco evasit. Hinc Magistratus locum in Comitiis obtinet & proprio stemmate gloriatur, quod Beatæ Magdalenæ signum binis leonibus utrinque erectis, effert; Publicæ annonæ ac Saluti, nec non civicæ politiæ intendit cum Syndico, & Criminum Quæstore, Regis nomine Armorum Dux res ad militiam spectantes moderatur; Comarchiam constituit; indigenæ demum militiæ *Saccensis* Instructor octo supra viginti opidis jura dabat, in equis CCCCIV. pedites MDCXVIII. ad insulę custodiam sub signis educebat; ut de familiis, & benè multis taceam, ęquè nobilissimis, ac variis feudis, præcipuisque dynastiis affluentibus, quarum hodie major pars Panormi sedem fixit.

fuit. Censa sub eodem Carolo Cæsare 2490. lares, nec diu post animas 9008. medio sequenti sæculo focos 2278. incolas 7527. MDCCXIII. lares 2172. incolas 7555 & novissime 9484. exhibuit.

Nec minori gloria quo ad res effulget sacras. Etenim primas in Agrigentina Diœcesi obtinet, suas hinc vices in illa gerenti, speciales Episcopus indulget facultates. Antiquis duobus Beneficiariis, atque Thesaurario in maxima æde, de qua dixi, quatuor alios Sacerdotes adjunxit Laurentius Episcopus MCCCCXXXII. quibus & sacra jura ad Archipresbyteros spectantia concessit. Notat Pirrus, quod olim in Divi Petri Apostoli juxta Castrum vetus, & Portam S. Nicolai Parochia erat, forte ab Rogerio, cum oppidum restituit, constructa, & post Giletta novi sacri ædificii fundationem siluisse eam tradit. Altera hinc parochia S. Michaelis nomine insignis secundo loco splendet, cui fundos ac prædia satis ampla Antonius Pardus, Hispanus miles MDCXXXV. legavit, ut prope illam Monachorum Olivetani Ordinis fundaretur Cœnobium, quod opus non processit. Tertia sub S. Viti Martyris auspiciis, in qua SS. Eucharistiæ Sacramenti fives viget Sodalitium, sacris etiam populo administrandis addicta. Pervetustam & nobilissimam S. Margaritæ Ecclesiam, Teutonicorum ordini subjectam, Eleonora Aragonia Joannis Infantis filia Guillelmi Peraltæ uxor MCCCLXIII. jussit & dotavit, laudatusque Antonius Pardus elapso sæculo bonis etiam auxit. Signum ibi ejusdem Virginis e marmore affabre exsculptum, Pirrus celebrat, & institutam olim ante Martini Regis ætatem Disciplinantium Societatem evulgat. Eandem tenuere, ex Pirro, aliquando Sacerdotes Jesuitæ, ubi primum venerunt. Petri de Luna, &

Isabellæ de Vega Bivonæ Ducum opera *Saccam* venere. At non diu post, quam eadem piissima Matrona, VIII. a partu die, nonis Januarii ejusdem anni *Saccæ* fatis concessisset, illi defecerunt. Aghilera pluries actum esse tradit de Collegio apud *Saccam* fundando, ipso etiam superstite B. Ignatio Patriarcha, sed irritis semper conatibus; tandemque MDCVII. Antonii Busali, Juliani Bocconii, & Joannis Baptistæ Perolli fortunis coloniam deductam summo omnium ordinum plausu enarrat, eique S. Joannis Baptistæ Ecclesiam fuisse attributam; prope quam decentissima domus ædificata, brevi Hieronymi Tagliavia nobilis *Saccensis* & Societatis alumni opera coaluit.

Jam Ascetarum sub diverso instituto familiæ complures nostro opido decus conciliant; Carmelitæ cum primis, qui *S. Salvatoris* ab *Rogerio Siciliæ* Comite conditum templum, & magnificum cœnobium colunt, quod in provincia tertium computatur ab anno scilicet MCC. originem cognoscens, quum primùm fratres e Palæstina in Insulam nostram trajecere. Hic aliquandiu vixisse ferunt *S.* Albertum MCCLXXV. & Nicolaum Peraltam Guillelmi Calatabellottæ Comitis filium morti proximum pristinæ saluti restituisse. Minores Conventuales extra mœnia, viventis adhuc *S.* Patriarchæ præcepto MCCXXIV. Monasterium ad *S.* Bartholomæi ædem construxerunt, sub veteri *S.* Mariæ de Jummariis. Eò *S.* Antonium Patavinum ex Africa reducem appulisse tradunt, idque Cupressus ejusdem manibus plantata evincit, ex qua Sacrarii fores confectæ adhuc integræ extantes. Verum MCCCCL. a B. Matthæo de Agrigento fratribus de Observantia inductis, reformatum est, quos hodie alit. Minores item Tertii Ordinis anno MDLXXXV. in *S. Mariæ de Lilio*, Paulo

Mar-

Marcantu Alcamense celeberrimo primum Juris Consulto, subinde ejusdem instituti monacho authore, *Sacca* excepit, Dominicanis sæculi XVI. annus XXXIII. obtigit, quo juxta S. Michaelis Ecclesiam auspicia sumpsere. Gens nobilis de Medices sumptus contulit, Thomas Fazellus, solo nomine sat celebris, operam, ut ædificia complerentur, navavit: *Templum quoque est*, ait, *cum adjuncto Cœnobio, D. Dominico nuncupatum, meo labore a fundamentis quadrato lapide erectum*. S. Francisci de Paula in æde *S*. Viti Parochiali MDLXXX. recepti sunt, ac post tricesimum annum Epiphanii Bichettæ *Saccensis* equitis divitiis in primaria urbis semita, *de Calla* dicta, amplissimam Thomæ & Josephi de Medices domum occuparunt, ubi decentissime degunt. Ordinis Eremitarum *S*. Augustini Conventum antiquissimum, anno scilicet MCCCCXXXII. fundatum perhibent in *Annal: Augus:* Scriptores, & novissime Attardus, ab illustrissima gente de Tagliavia, sub *S*. Doctoris titulo primum, dehinc sub *S*. Barnabæ Apost: cujus auspiciis sodalitas ibi instituta; auctum subinde *Æmiliæ Guevaræ* & Manno eximiæ matronæ hæreditate dicunt. Ejus in Ecclesia MDIII. Sacellum Virginis Deiparæ de *Auxilio* constructum quoque affirmant, quæ miris in cives prodigiis clarissima, ab exitiali eos lue quum anno MDCXXVI. liberasset, in præcipuam urbis tutelarem adlecta communi suffragio fuit. De minoribus Capuccinis mox dicam, Sacras ædes extra mœnia recensendo.

Monialium namque Claustris *Sacca* nobilitatur: Agmen ducit *S. Mariæ de Jummariis* ab Julietta Rogerii filia extra mœnia tunc extructum, ac sacris Virginibus sub Cluniacensi regula degentibus, attributum, uti ejus constat diplomate MCVI. firmato. Has

intra

intra pomerium in aliud S. Mariæ de Odigitria transferre Vincentius Bonincontrus Episcopus curavit; sed paucis elapsis mensibus in vetus illæ se receperunt. Id Abbatiæ S. Mariæ de Engio olim subjectum Pirrus evulgat; Verum S. Mariæ de Jummariis Monasterium Engiensi obnoxium, aliud omnino erat; nam Ordinis S. Basilii, & in Diœcesis Mazarensis finibus constituebatur. Cętero quod a Cluniacensi ad S. Benedicti institutum MCCCCLXXXIII. transfabierit nostrum, Romani Pontificis authoritate, Fazellus dixit; quumque Cluniaci S. Benedicti etiam Regula servaretur, putaverim a Cluniacensibus monasticis ritibus pecuIiaribus, ad illos, qui communiter a Benedictinis custodiuntur, translationem hujusmodi fuisse. Vetustate porro collapsum pene quum esset, Fazelli ætate, lapidibus quadris & marmore Hetrusco in pulchriorem formam instauratur. Ejus census annuus scutata MM. excedit. Situs sub ipsa arce a Peraltis extructa. S. Mariæ de Odigitria, vulgo de *Itria* alterum est Benedictinorum sub Abbatiæ Grandis appellatione Monasterium, quod Eleonora, alibi laudata, Nicolai Peraltæ mater, & Guillelmi uxor excitavit, & ample dote auxit MCCCXX. Fazellus hujus authores Guillelmum & Nicolaum recognoscit, & prope arcem ad occidentem locatum refert. S. Catharinæ V. & M. ejusdem instituti juxta veterem S. Nicolai portam, hodie clausam MDXX. ortum habuit. S. Mariæ de Rita Benedictinum quoque N. Perollus MDLXX. suis opibus excitavit. Duo hæc peristylia recentiora, primis nullimode decedunt, seu ædificiorum magnificentia, sive alumnarum religiosis virtutibus, seu demum regularis disciplinæ observantia. Quintum S. Mariæ de *Spasmo* S. Dominici legibus conformatum voluit Francis-

cus

cus Fazellus Thomæ nostri patruus MDXXXXI. qui & census annuos ad dicatas Deo Virgines alendas satis congruos designavit, & decente ædium structura ornavit. Puellarum, quæ parentibus orbantur, educationi parthenon sumptibus Cæsaris Michinelli MDCXVIII. coaluit. Mulieribus lapsis ad meliorem frugem revocandis Aloysius Lanuza Societ: Jesu Sacerdos religiosissimus, collatis civium eleemosynis, domum excitandam curavit. Ædes Divæ Mariæ a Misericordia sacra, & Xenodochium illi conjunctum, hodie Incurabilium, Ferrarius de Ferrario jussit, ac suis opibus ditavit. Illi haud procul adhæret S. Barnabæ Ecclesia, quæ uti dixi Augustinianensibus cessit. Mons denique Pietatis, uti vulgo dicitur, domusque Hospitalis *Saccæ* extat, cujus meminit Pirrus Not: 3. lib: 3. cum aureis annuis octingentis.

De Sacris ædibus in *Saccæ* agro idem Pirrus pertractans, recenset primam S. Calogeri in monte circa verticem, & antrum, quod alibi descripsi, ubi sacrum Divi hujus corpus tumulatum traditur. Junio mense ex omni pene insula morbis afflicti, aut podagra præsertim, aut paralysi ad balnea ab eodem S. Calogero nuncupata huc confluunt, præsensque experiuntur remedium, unde factum, ut Xenodochium ad ægros excipiendos ibi adsurgat. De gestis ejusdem S. Eremitæ, de nomine, de patria, de ævo demum, quo vixit, apud Agiographos non convenit. Fazellus a Divo Petro Apostolorum Principe in Siciliã missum evulgat; Grassante Diocletiani, & Maximiani persecutione Cajetanus, serisque temporibus, Theodorico in Italia Regni potente, alii illum floruisse credunt. *Calogerum* commune nomen Græcis Monachis fuisse nonnulli sentiunt. Ortu Byzantinum, aut Chalendonensem

nensem quoque dicunt. Nihil hinc certi de eo hic referam. Tradunt denique ejusdem montis incolas Gregorium, & Demetrium vitæ sanctimonia, & miraculis illum illustrasse. In antiquo templo, Calogeri Quartarari opera postmodum instaurato, divi marmoreum signum religiose colitur; subest illud Priori S. Nicolai de Latina, distatque ab urbe ad pass: M. II. Hic Prioratus haud procul ab antiqua porta, ejusdem S. Pontificis nomine insignita, Ordinis *S. Benedicti*, ex suffraganeis vetustissimi *S. Mariæ de Latina in Jerusalem*, computatur; excisaque sacra illa civitate, *S.* Philippi Agyrensis Abbatiæ adnexus remansit; hæc enim Jerosolymitano in Sicilia subrogata. Priores igitur sub SS. Nicolai, & Calogeri titulo aut Reges, aut Abbates Agyrenses nominarent, & Pirri ætate Josephus Blasius *Saccensis*, Agrigentinæ Ecclesiæ Canonicus dignitate fruebatur. *S.* Mariæ de Jummariis tertio loco venit, de qua dixi, ab ipsa fundatione Monialibus addicta, quod Pirrus non advertit, licet Juliettæ literas id expresse innuentes retulerit de anno MCIII quas etiam laudavi. De *S.* Catharinæ Hospitali domo Ordinis S. Lazari, a Belici appellata satis etiam alibi actum; *S.* Theodori denique ædem pervetustam, ac religionis præcipuæ, Joannes de *Ripa* olim restituit; rursusque instauratam idem Pirrus enarrat. Capuccini, qui extra ad II. lapidem ab anno MDLXIV. sedem amœno in loco statuerunt, piorumque fidelium eleemosynis passim crevere; decenter, ac commode vivunt.

Ejusdem agri divitias a natura comparatas, segetum scilicet cujusque generis, olei, vini, fructuum abundantiam, juxta nonnullos, *Sacca* vel ipso nomine manifestat; Nam Sarracenis *Frumentum Xacca* dicitur. Emporium ad littus celeberrimum vetusto illi

Hera-

Heracleensi substitutum Fazellus deprędicat; eo enim circumviciniæ exuberantes messes inferuntur, & in extraneas provincias delatæ populis prosunt; Colonorum accedit industria, qua reliquos insulanos *Saccenses* facile superant. *Saccæ* dominium penes *Juliettam* sępius memoratam, quoad illa vixit, fuisse non ambigo, sed an hæredes habuerit, subdubito. Meminit quidem in alibi citato diplomate Fundationis Monasterii Jummariensis suorum filiorum, quos interfectos dicit, in aliqua fortasse expeditione pro Palestina recuperanda a Christianis Principibus suscepta: sed de Roberto Zapparrone ejus marito præmortuo, apud *Saccenses* vetus traditio extat, quæ etiam subdit secundis nuptiis *Juliettam* obtinuisse *Gilibertum Perollum* ex Rogerii Commilitonibus unum, unde filii egressi ad annum MCLVI. *Saccam* tenuere. In Regis subinde potestatem quum urbs venisset, *Perollis* arcis regimen perpetuo cessit, & Regia Capella adhuc hodie in *Saccensis* Carmeli Ecclesia, quæ, uti innui, Rogerii opus creditur, ad eos pertinet. Circa MCCCXCIII. *Perollæ Saccam* occupabant, qui Regi Martino infensi quum evasissent, Arcem in ea aliam excitarunt, & validissimam, uti ipsorum stemmata illi affixa satis demonstrant. At in Regiam potestatem mox devenit; Alphonsus autem æris indigus *Joanni de Vigintimillio* Comiti Jeracensi florenis XVIII. M. acceptis, una cum Politio pignori *Saccam* dedit. Nec diu reddita Vigintimillio pecunia, ad Regium Demanium rediit, & Regis Joannis sanctione cautum, ne unquam deinceps Dynastis concedatur: Floruit deinceps ad annos aliquot; verum exortis inter Perollos & Lunas, præclarissimos proceres circa XV. medium, & XVI. sæculi initia exitiosis contentio-

nibus, in factiones truculentissimas, & cruentas divisa, parum absuit, quin tota in ruinam abiret. Has sub *Saccensis* Casus nomine adhuc hodie Siculi in proverbium habemus.

Munitam sub idem tempus Cæsaris jussu *Saccam* dixi; quum enim ejus sit ambitus pass: MDCC. & ab ora maritima ad D. circiter dissideat, atque ad instar theatri in leni acclivi contra Libycum assurgat; hoc pacto constituta suo cum Emporio fuit, quod *Oneratorium* vulgus appellat. Horrea satis laxa, & officinæ circa littus subriguntur, ad quorum præsidium Propugnaculum tormentis munitum imminet, ac pons lapideus in mari protensus navibus onerandis commodum præbet. Succedunt urbis mœnia, & munimenta, quibus ab australi ora firmissimè illa instruitur; nec circa reliquas plagas minoris est roboris; propugnaculis enim v. diversi schematis & turri tota circumambitur; qua orientem vero & mediterranea respicit arces habet duas. His, ad nostra usque tempora integris, ab anno MDXXXIV. munita perseverat, licet non semel terræmotibus concussa, & paucis ab hinc MDCCXL. varias perpessa ædificiorum ruinas ab antiquo splendore aliquantum defecerit.

Viris illustribus denique, qua Sanctimonia, qua muniis, qua literis nullo non tempore floruit. Pirrus Francisci Ficarræ meminit, ab angelica corporis, & animæ puritate, cæterisque virtutibus eximii, Societatis Jesu alumni, ætatis XXII. vita functi; cujus etiam Instituti Hieronymum Landolinam in Indias animarum salutis cupidum delatum, post plurima eroica gesta in Sicilia e vivis sublatum commendat. Ex aliis Religiosis cœtibus eidem memorantur Augustinus Brunus Minor de Observantia, qui Cœnobio Jerosolymicano

lymitano præfuit, multarumque virtutum splendore, & vitæ sanctitate insignis, confectus senio Panormi obiit MDCXXIII. Angelus *Saccensis* Capuccinus, maxima animi pietate, simplicissimis moribus, obedientia & humilitate clarus, fœminam ad turpia sollicitantem fugavit, & juvenili ætate decessit MDLXXVII. Thomas Perollus ex Prædicatoribus, virtutibus illustris Valentiæ mortuus. Franciscus a *Sacca* inter Observantes S. Francisci regulam professus, eminentissimus Theologus evasit, & Acutissimi Doctoris titulum meruit. Majoris perfectionis ergo ad Capuccinos transiens, abstinentia admirabili, & durissimæ pœnitentiæ legibus corpus atterens, ad annos XXX. solo pane & aqua vitam toleravit, cilicium nunquam deposuit, flagris, & spinis sæpissime carnem dilaceravit; Deiparæ addictissimus fuit; contra vitia efficacissime declamans, miris a Deo prodigiis honoratus, fructus ingentes prædicationis suæ retulit. Sanctimonia demum ubique notus, Panormi nudo decumbens solo fœlicissime obdormiit MDCXXV. Ejus vitam Boverius in Annal: Capuc. scriptam reliquit. Julius Jandaidonios ex ordine Prædicatorum contemplationi perpetuo intentus, solidis virtutibus imbutus apparuit. Tironum Magister Panormi, ac Romæ egregiis meritis cumulatus MDCXXXX. ibidem parem vitæ exitum invenit.

Sacris dignitatibus clari recensentur: Jacobus Antonius de Leofante S. Georgii Castri *Saccæ* Sacerdotio primùm, mox anno MCCCLXXXI ad Episcopatum Pactensem evectus; Andreas de Pace Ordinis Minorum S. Theologiæ Magister, & Melitensis Pontifex MCCCXCIII. adlectus. Fuit Martino Regi a Sacello, Provinciæ Siculæ Minister, & a Sacra doctrina commendatus; Raynaldus de *Sacca* a Regiis secretis, & sa-

cris, Archidiaconus Agrigentinus, S. Andreę de Piaẓẓa Prior, & Episcopus N. Marianus de Manno Prior S. Marię de Latina *Sacca*, Abbas SS. Petri & Pauli de Itala, & de Agrò, Episcopus Trebianensis Pauli III. Rom. Pont: voluntate MDXXXVIII. consecratus. Bartholomeus Ficanus Rhegiensis Ecclesię, & Mazarcosis in Sicilia Generalis Vicarius magnæ authoritatis, integritatis, Sacræ Theologiæ, & J. U. peritiæ vir ab eodem Pirro celebratus. Paulus Pilussus Ordinis Carmelitarum, in binis Sicilię Provinciis Pręfectus, doctissimus & vitæ candore conspicuus. Pacificus Maringus Provinciæ S. Angeli in Sicilia Præses, & Terræ Sanctæ Generalis Commissarius. Antonius de Virgilio Minor Conventualis Ferdinandi Regis beneficio Abbas S. Nicolai de Ficò.

Editis demum libris insignes, & scientia omnimoda excultos protulit *Sacca* Thomam Fazellum ordinis Prædicatorum, qui Orator, Historicus, Philosophus, & Theologus excellentissimus effloruit. Patavii lauream assequutus, Siculæ Provinciæ bis Rector, Panormitani Coenobii decimùm Prior, Ecclesiastes ad annos L. Primus in Fidei Quæsitorum Tribunali Consultor, ad summum denique ordinis gradum vocatus, quod munus invictè recusavit. Edidit *De Rebus Siculis Decades duas*, quas paucos intra annos bis cusas, & Italicè translatas vidit. Obiit meritis plenus MDLXX. summis, ab omnibus Scriptoribus, meritisque laudibus exceptus. Claruit quoque Hieronymus Fazellus Thomæ frater germanus ex Prædicatoribus & ipse, Ecclesiastes & Historicus; Sermones a se Quadragesimalis jejunii tempore cum plausu recitatos, typis consignavit. Item Commentaria in Psalmos volum: XII. In Marci Evangel: Vol: VIII. In Acta Apostol: Vol: XV.

ea

ex Mongitore composuit, in S. Dominici Bibliotheca Panormi asservata; & opus etiam eximium, sed imperfectum *De Regno Christi* ineptum reliquit. Panormi ortum, *Sacca* oriundum dixerunt alii Hieronymum; talemque se ipsum fatetur in concionibus, forte quod Panormi professionem religiosam emiserit. Hos excipiunt Ægidius Leondelicatus Carmelita, qui *Viridarium Carmeli* scripsit, sive sui ordinis Historiam noc. editam. Ipse enim plenus meritis triennio ante obierat. Nicolaus Riccius ejusdem instituti, vir pietate & scientia conspicuus, inter Verbi Dei Declamatores praecipuus, in Bononiensi Academia libros Sententiarum explanavit, & sermones ibidem habitos in Quadragesima publicae luci consignavit. Siculam administravit Provinciam MCCCCXX. obiitque in cenobio Catalaunia, de quo Pirrus, & Lezana apud Mongitorem. Augustinus Inveges Sacerdos, vulgatis operibus celeberrimus. Hic SS. Patrum, Historicorum, aliorumque in magno numero scriptorum lectioni dies, noctesque insumpsit, in Olivellana Panormi Bibliotheca, olim Francisci Sclafani, librorum helluo propterea appellatus; Veterum quoque evolvendis monumentis perpetuò insudavit, eruditionem idcirco pene immensam hausit. Doctrinae morum integritatem addidit, obiitque octogenarius MDCLXXVII. Publici juris fecit *Paradisi Terrestris Historiam*, *Carthaginem Siculam*, sive Caccabi descriptionem tribus libris comprehensam, Panormi Annales III. Tomis, idest, *Panormum Antiquum, Sacrum, & Nobilem*; *Austriacum* vero ineptam apud heredes reliquit, penes quos etiam extant, *Annales Rerum Siculorum* Tom: III. Quorum *Apparatum* post ejus mortem prodiit. *Numismatum Parmae Illustratio*; *De Siculis Dynastis, & Familiis.*

Chro-

Chronologia Pontificum, & Regum a Christo nato; Passionis Dominicæ Explanatio; Idea Ecclesiæ Romanæ, Regularis, Clericalis, & Monialis Tom: IV. Qui quidem accuratissimi viri labores utinam in lucem veniant, neque cum blattis, & tineis diutius congrediantur. Andreas Giambrunus ex Minimis Paulanis, concionator illustris, & non vulgaris Poeta, sed morum innocentia, & pietate longe illustrior; Lilybei denatus est MDCCVII. Thomas Buscemis Societ: Jesu Scientia, & vitæ actibus commendatus, peste afflatis Melitæ eximia charitate ministravit, vulgavitque ejusdem Luis Historiam MDCLXXIV. *Saccæ* apud suos mortem subinde invenit MDLXXXVII. Vitus Chiappisius Grammaticæ Professor insignis, de qua tractatum edidit Gesnero in Bibliot: commendatum. Vivebat anno MDLXXIV. Franciscus Labellus Tertii ordinis Minorum Ecclesiastes præcipuus Pirri testimonio effloruit. Angelus Galiottus ex Minoribus Observantibus historica eruditione clarus; *De Schismate Anglicano* scripsit, & *De Orbe Universo* IV. Volumina, *De Monarchia Mundi, De Antiquis Siculis Familiis*, atque ex Tognoleto *Chorographiam Ordinis Minorum* composuit. Vivebat anno MDXCVII. Gerardus Nocitus præstantissimus Botanicus, in simplicibus ex herbis medicaminibus conficiendis, supra quam dici potest versatus, floruit sæculi XVI. initio, typisque artis suæ specimen dedit. De eo Bocconus, & Paschalis Gallus. Antonius Inveges Philosophus, & Medicus satis celebris apud Hispanias in Regia aula, Philippi II. valetudini curandæ diu invigilavit. Scripsit de *Rebus Medicis* librum ex Pirro, & Mongitore, Quorum ille Calogerum Antonii filium S. Theol: & Juris Utriusque Doctorem, tertium Agrigentinum Vicarium laudat.

dat, & Antonium Pizzutum Invegio in arte medica secundum, sed in eruditione, & veterum monumentorum notitia primum. Fracifcus Ballus Tertii Ordinis Minorum, in Sicilia & Gallia Cisalpina egregius Verbi Dei Praeco, a Bordono, Pirro, & Mongitore commendatus. Antonius Melphi ex Minoribus de Observantia historicus eruditus, Siculam protulit Historiam ex eodem Pirro. Franciscus Ficanus Minor Capuccinus praeclarissimus Concionator, & Siculae Provinciae Rector MDCXVI. Antonius de Virgilio Juris Consultissimus, & ex primariis aevi sui in foro Causidicis, Quaesitorum Fidei Tribunalis Fisci Patronus. Typis consignavit Tractatum de *Legitimatione Personae Contrahentis*. Leonardus Amatus egregius Philosophus & Medicus Panormi aliquando artis suae experimentum fecit, in patriam vero reversus ejusdem Historiam concinnavit. Paulus Priscia Societ: Jesu humanis literis, & Sacris scientiis imbutus, sed charitate in proximos vehementissime flagrans, sacras expeditiones in Corsica ad novennium, & in Sicilia summo cum animarum fructu suscepit. Variis subinde regendis Collegiis adhibitus, & tironibus educandis destinatus, ubique consilio, prudentia, caeterisque virtutibus innotuit. Mortem in patria laetus aspexit. Ejus extat Spiritualium Exercitationum liber. Cathaldus Homodei Musices peritissimus, Neapoli eximiae artis suae specimen praebendo charus omnibus vixit, & Cantionum librum publicae luci dedit. Augustinus Leondelicatus Ordinis Observ. Minor: Magister laureatus. Vulgavit *Dementiam Sapientum, & Sapientiam Dementium*. De his omnibus Mongitore, qui & alios laudat, Julium scilicet Jandaidonum Ordinis Praedicatorum, Josephum Grannum Sacerdotem,

Fran-

Franciscum *Saccensem* Capuccinum, quos supra memoravi. De Agathocle Syracusarum Rege, qui nostræ veteris urbis Thermarum civis fuit, Carcino patre, infra. Sergium quoque inter antiquos Monast. Cronii montis cœnobiarchas adscriptum Græcis rhythmis in Sanctorum honorem concinisse tradit Mongitore. Polaris elevatio *Saccensis* est grad: XXXVII. XXX. & in eumdem gradum longitudo incidit.

SAFRIDUM Casale in Saccæ olim agro. Hæredes Gratiani de Olea ejus dicuntur domini in Censu Friderici II.

SAGANA Collis supra Montem Regalem ad occidentem, juris est Monasterii S. Martini de *Scalis*. Ibi Carbonis fossilis Minera, & Belzuartici lapilli inveniuntur.

SALA DONNÆ ALBIRÆ. Consule infra.

SALA PARTHENICI. Vide *Parthenicum*.

SALA PARUTÆ, dudum *Donnæ Albiræ*. Pro *Sala* Casali *Henricus Abbas* Regi obnoxius dicitur in Friderici censu, quod erat in Saccæ territorio. *Marcus de Ferrerio* Castri, & Casalis *Sala Donnæ Albiræ* dominus habetur, Martini ævo, MCCCCVIII. quod in Saccæ etiam *tenimentis* computabatur. Atenim, quum ad Belicis dexteram *Sala* nostra sita videatur, oportuit tunc temporis Saccæ ditionem longè, ac late fuisse extensam. *Sala* igitur contra Gibellinam & Podium Regale colli insidet, ejusque in clivo arcem prisco more extructam ostentat. Præcipuum ac Parochiale illius templum S. Catharinæ V. & M. sacrum, sedes est Archipresbyteri, atque Mazarensi Pontifici subest. Minores Ecclesiæ duæ numerantur & Fratres Capuccinos ab anno MDCCXXVII. situ salubri & amœno incolas habet. Opidi instauratio circa sæculi

XVI.

xiv. initia consignantur; sed quum ad collis radices haud procul a flumine ædificiis institutis, aeris intemperie laborarent oppidani, locumque saluti obnoxium experirentur, passim ad superiora evisere, ubi vetus casale & Arx. In agro hinc aquis irriguo, ferendis frugibus aptissimo, & piscatis divite, rudera visuntur. Nec in arce vetustatis longe superioris vestigia desunt; lapis namque inscriptus extat, quem Muratorius Thes: Inst: tom: 1. refert: *Pietas . Secundi . Contuber . M. Aq. Arcum. Et Candelabrum . Junoni. D. S. D. D.* Unde autem huc hujusmodi inscriptio advecta fuerit, incertum habeo. Ex ruderibus in agro jam memoratis conjectari nihilominus posse judico, aedium recentioris ævi ea fuisse, sed antiquissimos quoque incolas solum habuisse, qui Junonem superstitiosum numen venerarentur, & fanum illa apud eosdē tenerēt.

De *Sole* Dynastis usque ad Martinum Regem, dixi, sub quo a Matrona quapiam *Albira* nominatum cum Arce Casale putaverim ex gente de *Aversa. Antonius* enim de *Emanuele* in Capibrevio *Donna Albira* filius dicitur, ex *Joannucio de Aversa* Mazarensi genitæ. Infensus subinde *Emanuel* Martino quum fuisset, uti suspicor, *Antonium Montecatenum* Adrani Comitem anno MCCCXCII. ejusdem Regis decreto, successorem habuit; sed & hunc cum Patre Raymundo non diu descientem excepit *Michael Imbas* Major Domus Regiæ anno MCCCXCVII. ex literis Catanæ die IV. Octobris. *Michael* e Sicilia discedens vendidit *Ferrerio de Ferrerio* Saccensi aureis MCC. circiter acceptis, eodem Principe VI. Septembris MCCCCIII. Catanæ id confirmante. Hujus fuit hęres *Marcus de Plaja* sororis filius, adjecto onere, quod arma cognomenque avunculi assumęret. Post Marcum *Sole* dynastiam *Hiero-*

nymus de Paruta assecutus casalis augendi num. provinciam assumpsit. De eo Barberius ad sæculi annum XVI. meminit. Hinc, quod *Antonius Paruta* opidi fuerit author, non procedit. Ex eo tempore *Sala Paruta* instauratum opidum appellari cœpit. Inter *Hieronymi* successores *Zerbinus* memoratur, qui pro patriæ defensione strenue se gessit. *Franciscus Paruta Sala* hæres quum devenisset, sæculo XVII. *Josepho Alliata* Villafrancæ Baroni conjux evasit; cujus filius *Franciscus Sala* Dux primus Philippi IV. privilegio MDCXXV. renunciatur. Fuit Panormi Prætor, S. Annæ opiduli in veteris Triocalæ agro conditor, ac Villafrancæ Princeps. Ejus successores de Villafranca loquens recenseam. *Sala* Dux gladii potestatem exercet; in publico Regni Consilio votum VI. pronunciat. In censu Caroli V. Cæsaris focos 100. *Sala* numerabat, & anno MDXCV. incolas 870. Sæculi XIV. anno XII. larium 408. opidanorum 1427. census ejus fuit. Sed apud Pirrum lares 282. incolæ 2157. exhibentur ex errore. Anno MDCCXIII. foci 497. animæ 1429. ac novissime 1758. computantur. Jacet in Mazarensi Ecclesiastica provincia, ejusque Clero Episcopi Vicarius jura dat. Clauditur in Salemensi Comarchia. Longitudo est grad: XXXVI. XXXV. latitudo grad: XXXVII. XL.

SALEMIS Civitas *Fidelis* in montis vertice, olim juxta Cluverium *Halicya*; aliis vero *Semellinum*, cujus populos Plinius lib; 3. inter Siciliæ mediterraneos enumerat. A *Sale* Græcis ΑΛΣ, vel ab vocabulo *Salem*, Sarracenis *Locus Deliciarum*, appellata, ex Regiis hodie computatur, quamvis aliquando primariis Siciliæ Dynastis subdita, uti infra dicemus. Caput est Comarchiæ; Saccensi indigenæ militiæ Præfecto in equis XXX. pedites XXXX. ministrabat, locum

in

in Comitiis xvi. occupat, & Mazarensis Diœcesis partem constituit, cujus Episcopi Vicarium Clerus judicem recognoscit. Civicum vero Magistratum Criminum Quæstor, & Jurati Patres iv. cum Syndico componunt. Lares hodie enumerat 1827. animas 10277. quæ anno hujus sæculi xiii. censæ fuerunt 7078. Sub annum mdl. focos 1310. & circa ejusdem sæculi exitum 1630. animas vero 6838. exhibuit. Anno mdclii. lares 1850. incolas 6612. Ex Pirro 2055. lares, cives 7284. Stemma Biceps Aquila est, in cujus pectore S. Nicolai urbis præcipui tutelaris signum exprimitur.

Situm, quod attinet, montosum, uti innui, illum esse constat, sed in meridiem, hibernumque occasum declivem; Ad septentriones in vertice arx undique turrita, & excelsa. Mœnium, quibus muniebatur, pars adhuc perseverat, & portæ etiam indicantur. Suburbium, Sarracenicè *Rabatum*, in extrema ora opido adjungitur. Ædes Major Parochialis S. Nicolai Myrensis Episcopi auspiciis gloriatur, & consecrationis insignia præferens, haud procul ab arce assurgit. In ea sacris officiis quotidie clerus cum Archipresbytero intendit, congrua dote remuneratus. Curæ etiam animarum in S. Mariæ de Catena, & S. Blasii Ecclesiis navatur opera, quarum prima suum habet Rectorem, ab Episcopo Marco la Cava constitutum, ac publ. ære dotatum. Altera circa Rabatum Archipresbytero subest. Fratrum Minorum Conventus sub arce ad aquilonem extra pomœrium Urbani V. Rom: Pont: authoritate mccclxx. Francisci, & Joannis Vigintimillium Jeracis Comitum divitiis coaluit, ubi vetus S. Francisci e marmore simulacrum. S. Mariæ de Monte Carmelo locuples, & pervetustum cœnobium vocat Pirrus,

opido pene medio situm. Augustinienses, qui sub SS. Philippi & Jacobi titulo ædem habent, ab anno MCCCL. Aug: Lubino authore in Annal: Ordin: *Salemum* recepti sunt, ad australem plagam, ubi decentissime degunt, reparatis vel maxime, auctisque decurrente hoc sæculo Ecclesiæ, & Claustri ædificiis. Minoribus Reformatis ad D. passus circa occidentem datus est locus MDCXXII. & S. Mariæ de Angelis Ecclesia publico ære constructa designatur. Tertii Ordinis inter præcipua Siciliæ Monasteria in tumulo contra Conventuales, S. Mariç de Jesu nomine ad D. passus ab urbe sedebat, alibi enim nuper traslatum, uti dicam, ortumque circa MDXX. recognoscit. S. Francisci de Paula intra mœnia ab anno MDXXIII. Patribus Conscriptis volentibus recepti sunt, Brunone quopiam Divi Patriarchæ obsequentissimo sumptus, & census annuos suppeditante. Capucinos denique etiam extra ad III. lapidem fundatos dicit Pirrus MDXCIII. Sed illorum Annales quadriennio ante reponunt. Horum, ut & Tertii Ordinis domos, MDCCXL. terra subsidente, absorptas pene integras non sine terrore audivimus, & quamvis mortalium nullus perierit, ingens tamen ædificiorum fuit jactura; cum claustris Ecclesiæ & horti periere, adeo ut illarum contignationes solotenus, & altissimi cupressi nonnisi supremus vertex appareret. Alibi ergo opportuniori loco novum Capuccini condidere, ab opido haud procul, Fratres vero Tertii ordinis situm in ipso centro sunt nacti, recentemque Conventum moliuntur. Societatis Jesu Collegium tempore postremum, nam prima ejus fundamenta MDCXXXIII. jacta sunt, sed amplitudine ac magnificentia religiosis aliis præstans ædibus, Josephi Gangi nobilis *Salemitani* ex asse hæres nuncupatum, initio in

hujus

hujus domo, Hieronymi Rocca opera, qui ex Sociis erat, coaluit. Mox Raphaelæ Tagliaviæ *Salemitanæ* Matronæ liberalitate lautis censibus MDCXLII. auctum in frequentissima & plane media civitatis regione sumptuose instituitur; Denique Thomæ Clementiæ patrimonio ędificiis amplificatis, una cũ templo absolutum, præcipuum *Salemis* ornamentum evasit. Moniales S. Claræ ab antiquo, laudati Pirri testimonio, circa supremas oras Asceterium habent; ubi ex primaria nobilitate alumnæ, religiosæ vitæ studiis inhærent. Mons pietatis, cui domus Hospitalis adjungitur dives est. Minores Ecclesiæ cum civium sodalitiis XIX. enumerantur. Divitum, & Nobilium ædes decentissimę; Civilis Basilica in foro, digna, quæ videatur, viæ inęquales, acclivesque; Forum denique venale fructibus vel maxime affluens, & omni rerum copia refertum. Non omiserim inter sacra illud memorari, in uno nempe ex Sodalitiis, ex viris nobilibus coalescente, Christi Domini e Cruce pendentis simulacrum summæ venerationi esse, & miris prodigiis celebre haberi, quod pius vir Humilis a Petralia ex Minorum ordine sua manu insculpsit. A Pirro denique S. Marię de Laudomiis, sive Annunciatę de Lapidicina, vulgo de *Perreris* iconem laudari ab anno MDXC. miraculis quoque insignem. De Prioratu SS. Trinitatis Deliæ in *Salemis* agro alibi dixi, quem de Castroveterano etiam appellatum invenio.

Inter *Salemitanos* illustres Cives Julianus Adamus Sacerdos agmen ducit, qui pro Christi fide a Turcis palo transfixus, martyrii coronam promeruit, XXVI. die Maji MDC. Ejus Acta ab Aprile memorantur, & in Siculo Martyrologio nomen recensetur, Pirrus quoque illum commendat. Julianus Falciglia post emen-

sos

sos in Ordine Eremitarum S. Augustini gradus omnes ob vitæ inculpatæ merita, & scientiarum peritiam ad supremam Prioris, ac Magistri Generalis dignitatem MCCCCXLIII. evectus, ad annos XVI. ea summa cum laude perfunctus est. Universi enim orbis instituti sui cœnobia, iter nudis pedibus agens, invisit, & ad perfectam regulæ observationem instituit. Adfuit Consilio Basileensi, Bononiæ, & Patavii ingenii sui monumenta reliquit. Gravi demum senectute, morbisque affectus, Messanæ diem clausit extremum XX. Maji MCCCCLIX nobili conditus sepulchro. Laudatur a Possevino, Torello, Gandolfo, Coriolano, aliisque ex suis, a Pirro & Mongitore, qui ejus opera recenset. Sanctorus Pecorella Tertii Ordinis Seraphici Magister pietate, doctrina, prudentia, aliisque virtutibus conspicuus. S. Pauli de Arenula Romani Conventus, quem ipse fundandum curavit, Prior perpetuus a Paulo V. Rom: Pont: constitutus, tandemque totius Ordinis Generalis Apostolicus Vicarius. Joannes Antonius Brandus ejusdem religionis, ob virtutum promerita magnæ opinionis, & authoritatis vir; asperrimæ pœnitentiæ sectator, cilicio semper præcinctus, orationi, & SS. Patrum studiis perpetuo intentus. Romam a Clemente VIII. evocatus, ut ad Ecclesiæ honores eveheretur, post paucos ab appulsu menses, XX. Maji, vitam piissime effudit; ad cujus venerandum corpus, quum undique confluxus fieret, vix tandem altera a morte die humari potuit. Scripsit versu Deiparæ Rosarium, Chronicon Rom: Pont: & alia, quæ apud Mongitorem, Bordonum, & Pirrum habes. Franciscus Passalacqua, Sacerdos primùm in sæculo ferventissimus, mox Reformatis Minoribus accensus, gravioribus disciplinis abunde instructus, & regulari districtionis

ctionis tenacissimus, tyronibus regendis admotus, & præcipuis cœnobiis præfectus fuit. Petro de Colon Veraguæ Duci, Siciliæ Proregi a secretis conscientiæ aliquando quum fuisset, zelo animarum sacram expeditionem in Ægyptum & Æthiopiam suscepit, adiectusque Apostolicus Commissarius, sociorum præfectus diu Religioni Christianæ amplificandæ operam strenuam navavit. Edidit *Acta Concilii Calcedonensis in Arabicum conversa ad usum Missionis*. Vivebat sub nostri sæculi initia. Petrus de Blasio Juris Consultus eximius, in patria primùm, Panormi in aulis subinde Prætorii tertiùm, in Magna Civili Curia, & Consistorio Judex, ubique integerrimæ doctrinæ edidit monumenta, & Siciliæ Moderatoribus acceptissimus gravioribus Regni negotiis pertractandis adhibitus fuit. Fato cessit ibidem MDCLXXXIV. Scripsit Allegationes pro Comite Galeani, & alia edidit. Didacus Aghirre ortu nobilissimus, gravioribus Philosophiæ, & Theologiæ studiis ab ipsa juventute, mox legali disciplinæ operam locavit, egregiusque in foro Orator evasit. Romam digressus ob doctrinæ præstantiam ad primarias in Sapientia Cathedras moderandas vocatus, opinioni de se conceptæ optimè fecit satis. Edidit ad Justiniani Institutiones *Theoripraxim*, & in jus Canonicum Commentaria tomis IV. scripsit. Vivebat hoc sæculo Josephi *Saens* de Aghirre S. R. E. Card: Auditor. Laudat denique Mongitorius *Salemitanos* Ignatium de Panormo, & Manfredum Cremonam, Poetas ingeniosissimos, editis opusculis claros; tum Manfredum Placentiam ex Ordine Tertio S. Francisci virum doctissimum, morum candore, vitæque probitate insignem, qui *Grammatica Institutiones* Panormi vulgavit, & literis humanis egregiè instructus vixit.

Salemis

Salemis Northmannorum ęvo Sarracenico nomine *Salem* adhuc appellata, sub Regibus diu fuit. Vigintimilliis aliquando, & sæculo XIV. *Alagoniis* diu perstitit subjecta. His deficientibus *Raymundo Guillelmo*, & Antonio Moncada in Clientelam assignata, mox a Martino Rege MCCCXCVII. cum Castronovo commutatur; hinc in Censu de anno MCCCCVIII. inter Regias urbes computata legitur. Castri nihilominus Præfectura penes Lanzarottos fuit, & hodie ad Sieripepolos spectat. Ejus est ager fecundissimus; Selino enim fluvio totus irrigatur, fontesque in eo Deliæ, sive Arenarum amnis *Rabisis*, *Gibelis*, Rapicalidus, & Donnæ Gurgus proveniunt, quorum postremus caput est Fluminis Grandis, quod in Deliam se exonerat. Fructibus cujuscumque generis uberrime dives, vineas, oleta, pascua fert, hinc *Salem* urbs, quasi *Locus Deliciarum* Sarracenis, uti innui, ob agri felicitatem est dicta. Latitudo *Salemis* XXXVII.a. longitudo XXXVI. XXX.

SALINÆ DREPANI circa maris littus in ora Siciliæ occidentali, varia sunt receptacula, sive angusti sinus, ad quorum margines, solo excavato, intra fossulas maris aquę corrivantur. Fossulas appello, quia & si late ac longe illæ patent, minus tamen profundę sunt, adeout solis vi desiccato humore concretum sal remanet, quod colligunt, & coacervatum servant, navibusque onerariis impositum, quęstu non levi per Italiam distrahunt. *Matthaeus de Naso pro Salinis Drepani* MCCCCVIII. homagium Martino Regi exhibuit. In Regesto de anno MDLVIII. totius oræ ad Marsalam usque *Salinas* lego Drepanensem, Perolli, S. Theodori, Altavillę, Capitis Boei, Puntę de Aquila, seu Cavaleris, Redę, Calatis, Clusę grandis, Fra-

joannis

Joannis, & Marsalę, & in Francisci Emanuelis accuratissima opera *Siciliæ Nobilis* tom: 3. par: 2. lib: 5. eorum recensentur nomina, quibus sunt illę hac nostra ętate obnoxię.

SALINÆ ENNENSES, vulgo de Castrojoanne. Post Fluminis Salsi, seu Himeræ meridionalis trajectum iter agentibus Panormum ardua montana occurrunt a *Salinis* appellata, ad quorum clivum lacus angustus circa sinistram videtur, indeque hospitatoria taberna, contra quam ad dexteram scrobs ingens & profundus; ubi Salis minera, quæ ferro inciditur. Hujus Dominus enunciato mox anno MCCCCVIII. Antonius Tudiscus cum uxore Mariella de Forcellis dicitur. Hodie juris est Josephi Stagno Messanensis, qui hæres Joannis Campoli S. Theodori Marchionis fuit.

SALSUS FLUVIUS, de quo dixi; Sub Campofranco suas aquas S. Petro amni, seu Platano devehendas tradit; cursumque dirigit in occidentem. Vide *Fluvius Salsus*.

SALSUS FLUVIUS, *Himera Meridionalis*, perperam a nonnullis *Gela* appellatur, quod alibi ostendi. Est juxta Cluverium omnium Siciliæ maximus, quamvis illi Symęthum minime decedere, alii, & rectius autumantur. Ejus est præcipuum caput ad Nebrodis montis, vulgo Madoniæ occidentales radices, sub Politio, ex fonte sępius memorato *Fatuzza*. Fazellus vero, ex fonte, cui *Donna Alta* est nomen, ab ædicula Deiparæ ibi dicata, oriri longe a *Fatuzza* ad aliquot pass: M. dicit, quod non procedere, satis de *Himera* loquens, demonstravi. *Donne Alte* igitur aquæ illis *Fatuzza* conjunctæ, plurimum incrementi ex aliis fontibus accipientes, qui supra Petra-

liam opidum in collium Madoniæ continuatis jugis emanant, & a S. Archangelo ob ejusdem Ecclesia modenominantur, fluvium gignunt, qui Petraliam inferiorem præterlabitur, ejusque ad se nomen trahit. Dilapsus hinc fluentum excipit *Pelizzorum* inter Engium & Petraliam oriundum, a *Vanellis* etiam appellatum, cujus est trajectus hiberno tempore difficilis iter habentibus Panormum. Pauloque post Rahalsuttani aquis augetur, & Alimenæ, quæ duo sunt opida recentis originis, quamvis sub Sarracenis primum vigeret, & Sarracenorum dirutum opidulum idcirco a Fazello dicatur. Ad hunc usque terræ tractum nostri fluminis aquæ dulcissimæ sunt, ac nulla prorsus salis mixtione infectæ.

Jam caput ejus alterum sub Engio ex propinquis effluit collibus, & paullo inferius ad sinistram vergens, Rahal-Joannis arce relicta, parvorum fontium salsos absorbit latices; unde *Salsi* tum primum induit vocabulum. Mox Engii veteris diruti opidi, & Monasterii cognominis Benedictini instituti fontes in *Salsum* sinistrorsum illabuntur, quorum unus in ipso Cœnobii atrio, alter originem in horto recognoscit. Unde recto deinceps cursu fluens in salis mineras & lapicidinas Ennæ, quas descripsi, incidit, quarum aquis & augetur, & salsior evadit. Ad locum, qui Mandra Plani dicitur sub Rasicudiæ arce, duo hæc flumina *Salsum* & Petraliæ, quæ propriis alveis decurrunt, in unum coeunt, & *Salsi* cognomine deinceps cursum agunt. Excipiunt inter Calatanissectam, & Petrapretiam *Morellum* penes Vallis Neti Topographiam descriptum, in loco angusto, qui *Caput Arsum* dicitur, ibique ponte ad omnem magnificentiam, unico amplissimo & elevato fornice extructo, trajiciuntur.

tur. Tribus itaque hisce omnibus *Salsum* coalescens, perque mediterranea in Leocatæ agrum angustas inter collium fauces influens, editam dextrorsum relinquit rupem vernacule *Rocca Strilli* vocatam, de qua superius, & in mare juxta Leocatam ad sinistram se exonerat. Q um Leocatam Gelæ veteri urbi suffectam scriptores aliquot mordicus adstruant, *Salsum*, apud Antiquos *Gelam* esse affirmant.

SAMBUCA Opidum, *Zabuth* olim Sarracenorum Casale, quod Guillelmus II. Rex Monregalensi Monasterio cum Senurio, Juliana, Comichio, & Adragno concessit, scriptis Panormi literis MCLXXXV. in quibus *Lasabuca* appellatur. Ex Archiepiscoporum donatione *Petrus Lancea* tenuit sæculi XIV. initio, hinc in Friderici Regis Censu Nari, Calatanixectæ, Deliæ, & Sambucæ dominus dicitur. Hujus filia *Cæsarea Joanni* Infanti marito detulit, quorum hæres *Eleonora* Infans Guillelmi Peraltæ uxor, ab hujus morte *Raymundetto Peraltæ* dono dedit, qui ex pellice Nicolao filio natus fuerat. In Martini idcirco Regesto *pro Castro, & Casali Sambucæ, & Feudo Comichio* idem *Raymundettus* homagium præstitisse memoratur. *Antonius Luna*, qui bona ad Peraltas spectantia Margaritæ matris testamento est assecutus, & *Raymundetti* hæres est dictus, *Sambucam* subinde sibi subdidit, quam *Friderico de Vigintimilliis* Tripis Baroni vendidit MCCCCXLVIII. Hæc Pirrus in Chronol: Franciscus Emmanuel *Calceranduum de Peralta* pignoris loco *Sambucam* ab *Eleonora* accepisse scribit, uti Martini Regis docent literæ, quod Nicolaus Peralta Eleonoræ filius ratum voluit, & Rex idem sequenti anno firmavit. Mox Raymundettus habuit. Jam *Friderico Vigintimilliis Joannes Jacobus* successit, a quo

Fridericus Abatelli Cameratæ Dynasta emit MCCCC-LXXXV. Verum *Carolus de Luna* ab hujus manibus, soluto pretio vindicavit, uti jus habens ab *Antonio*, Raymundetti donatario, statimque *Petro & Gililberto de Bononia* venum dedit MCCCCXCI. *Gililberto Franciscus* post biennium, & huic sine prole decedenti *Gerardus Petri* filius nov. successit. Hinc *Onophria* ejus soror, quæ *Antonio Septimo* nupsit, unde *Joannes Aloysius*. *Salvator Bardi Mastrantonius* Acis Baro MDXXXI. unciis III. M. exsolutis in *Sambuca* possessionem inductus est, quæ sane auri summa *Septimo* cessit. Ex *Salvatore*, & Elisabetha Lancea *Ludovicus* Lucretiæ Moncadæ maritus, unde *Joseph* Castellanæ Centelles sacris vinculis adstrictus. His natus est *Nicolaus*, qui primus *Sambucæ* Marchio effulsit, Philippi II. privilegio MDLXX. Matriti signato. *Nicolao* Elisabetha Bononia peperit *Vincentium*; Huic Eleonora Spatafora Medigrani domina *Ignatium*, qui ultimus ex nobilissima *Bardi* gente ad annum MDCIII. vixit. *Julia* ejusdem soror Julio Pignatelli Montis Leonis Ducis filio nupta, suffecta, improles obiit; hinc *Elisabetha* altera soror *Sambucæ* domina evasit, ejusque conjux *Carolus Vigintimillius*. Joseph horum filius juvenili raptus ætate *Antoniæ* locum dedit, quæ Petro *de Bononia* Campirealis Principis uxor effecta, huic MDC-LXVI. *Sambucæ* Marchionatum detulit. Prodiere ex eo conjugio *Franciscus* MDCLXXI. Marchio renunciatus, qui celebs vixit, *Dominicus* prole fraudatus e vivis MDCLXXXII. ereptus, & *Josephus* Franciscæ Riggio matrimonio conjunctus, quorum filius *Petrus* Campirealis hodie Princeps, *Sambucæ* Marchio, Miliciæ dominus, singularis prudentiæ, & eximiæ dexteritatis vir, Regis nostri ad Cæsarem dudum legatus, ab intimis

Con-

Consiliis, & a Cubiculo; Supremi Siculi Tribunalis Præses, paucisque ab hinc sex inter Utriusque Siciliæ Regentes cooptatus. *Marianna Gravina* ducta in uxorem, *Josephum* progenuit, quem Stephana Montaperto maritum meruit.

Sambucam in declivi ad occasum situm, ampla via e summo in imum omnino recta describit, quæ ad rectos angulos ab altera breviore a septentrione in meridiem dividitur. Quatuor hinc veluti regiones, seu quadrantes universam constituunt, viis ut plurimum rectis minoribus distinctæ. Castrum in orientem supremus tumulus sobstinet olim celebre, nunc pene ruinosum, cui majus templum dextrorsum subest, antiquissimum ex Pirro, in primo quadrante, ac S. Petro Apostolorum Principi dicatur. Hujus Rector Archipresbyteri dignitate gaudet, dotemque ex decimis congruam percipit. Haud procul S. Georgii Basilica Opidanorum Tutelaris, cui dives Archifraternitas adjuncta, & S. Mariæ de Gratia sacellum miris prodigiis claræ, in pariete depictæ. S. Martyris porro illustre signum, magna populi frequentia, ac pietate Dominica die Julii II. circumducitur, festumque cum nundinis sollemni pompa celebratur. Succedunt IV. aliæ sacræ ædes, & civium non incomptæ domus. Via hinc recta, ubi & solum complanari incipit, a superiore secundam dividit regionem, quæ in septentriones, & occasum procurrit. Forum venale cum fonte eadem in via sternitur, & porta huic respondet, qua ad Capuccinorum cœnobium est iter. Monasterio sub S. Benedicti regula, & S. Catharinæ nomine, ubi Moniales exactissimè institutis incumbunt, regio hæc exornatur, & Deiparæ Collegium ad sequioris sexus educationem claudit, prope S. Augustini

Eccle-

Ecclesiam nuper ædificatum, cui olim Eremitarum ejusdem nomenclaturæ Asceterium adjunctum erat, Pirri ævo extans, subindeque abrogatum. Fonte etiam insigni circa centrum instruitur, & sacras ædes IV. complectitur cum sodalitiis. Huic respondens Quadrans tertius in austrum Domum Hospitalem cum S. Sebastiani Martyris Paræcia ad angulum continet, cujus Curioni de Episcopi licentia census pingues Petrus Carusius Opidi Præfectus attribuens, pro se, suisque jus patronatus reservavit. Dynastæ satis elegans domus Paræciam excipit; hinc Orphanotrophium spectatur sub S. Joseph titulo. Media laxiori via latices ex binis fontibus ad incolarum commodum profluunt, & l um simul exornant. Porta demum occidentalis pomœrium claudit.

Jam in quadrante reliquo in austrum & ortum, cujus est situs acclivis, primus circa angulum Carmelitarum occurrit Conventus ad S. Antonii ædem a *Salvatore Bardo, Magistrantonio* MDXXX. ædificatus, sub titulo nunc Deiparæ Annunciatæ clarus; quem Ignatius Marchio opibus, & Leonardus Contini Prior, vir virtutibus notus ædificiis auxit. Ibi S. Mariæ de Audientia simulacrum magna populi religione colitur. In superiori plaga S. Mariæ de *Vassallis* demum Ecclesia surgit. Extra portam occiduam Minores Reformati MDCXX. Innocentii a Clusa eximiæ sanctimoniæ viri opera, sedem statuerunt, S Mariæ de Jesu nuncupatam, ac Vincentii Marchionis liberalitate aquis irriguum agellum nacti sunt. Idem Claustri ædificia, Ecclesiam, & alia ad religiosam vitam commoda accuravit. Innocentius B. Virginis imaginem Roma transmisit, quæ peculiariter culta; S. Antonii quoque Patavini penes eosdem iconem opidanis

dianis in veneratione habitam Pirrus commendat. Eidem Vincentio adscribitur Capuccinorum deducta colonia MDCVI. ad jactum lapidis ultra aquilonarem portam loco aquis non indigo, arbore multa consito, & amœnitate præcipuo. Et circumpositus sane ager, quum uberrimis undique laticibus scateat, qui variè corrivantur, salubris est aeris, & cujusque generis frugum ditissimus, pascuis frequens, fructibus, oleo, vino præ cæteris abundans colonos allicit, & in dies auget. Sub Carolo Cæsare idcirco 845. focos numerabat, & paullo post MDXCV. incolas 5317. Sequentis sæculi medio erant in Regiis libris lares 1183. apud Pirrum 1427. Incolæ 5776. ac penes Historicum 5502. Anno MDCCXIII lares 1568. cives 4656. descripti sunt, qui postremis censibus 8893. computantur. Jacet *Sambuca* inter Calatabellottam, Clusam, & Comitissam ad Carabis fluminis dexterum caput, quod Favara S. Joannis dicitur. Agrigentina Diœcesi clauditur, cujus Episcopi Vicarium Clerus recognoscit, Sub Saccensi Comarchia, & militari Præfectura degit, peditesque LXIX. equites XXI. sub signis educebat.

Cives aluit celeberrimos: Bernardinum ex Minoribus Reformatis laicum, virtutibus clarum, sanctimoniæ fama Panormi VIII. Junii MDCLXXXV. piissime defunctum, cujus extat vita typis edita. Salvatorem ex ordine Capuccinorum cognomento Montalbanum gravioribus disciplinis nedū egregie excultum, sed moribus, & vitæ actibus insignem, edidit in vivis agens *De Formulis in Sacrificio oblatis, & in consecratione oblitis dissertationem. De Immaculata Deiparæ Conceptu* opus Theologicum III. Tomis divisum, post ejus mortem typis commissum, & Sermones, Orationesque varias, quæ lucem nondum aspexere. Michelangelum Bonadies

Mino-

Minorem Reformatum primum ex suis ad generalem ordinis præfecturam assumptum, & Catanensem ad plures annos Pontificem, doctrina, prudentia, morum integritate clarissimum. *Plura scripsit, quæ Mongitorius* enumerat, Catanæ decessit MDCLXXVI. Cherubinum Roccafortem ejusdem instituti, post varios gradus in ordine, Definitorem Generalem, Lanciani Episcopum, & Rhegii Archiepiscopum designatum, quas tamen dignitates rejecit humilis religiosi status contentus, & Panormi MDCXCII. in Domino obdormivit. Valentinum Bonadies Michelangeli Nepotem, ejusque ad plures annos vices gerentem, dexteritate, & morum elegantia præcipuum. Gasparem Florum Olivetani ordinis Abbatem. Justinum Catalanottum ejusdem quoque instituti S. Mariæ de Nemore Abbatem. Melchiorem Plajam Botanicum, & Pharmacopolam peritissimum, qui Panormi diu floruit, & Tyrocinium Pharmanceutricum typis commisit. *Sambucæ* Polaris altitudo est grad: XXXVII. XL. longitudo vero XXXVI. XLV. Illius Marchio XI. profert votum in publico Regni consilio, necisque, ac vitæ potestatem habet, ac Magistratus designat annuos.

SANAGIA Fons Mazari fluminis sub Salemi opido III. pass: M. ab eo dissitus. Fons alter est *Rapicalidus*.

SANDALARUM Casale olim supra Canis Montana, hodie jacens, ac ex ruderibus agnitum.

SANTAGANUS Mons inter Panormum, & Corilеonem ad ortum, Fazello memoratus, ad cujus radices Belicis fluminis fons, *Santaybanus* Sarracenis, hodie Caput Aquæ.

SARRACENUS Mons Ravanusæ opido imminet ad II. circiter passus, cujus ve rticem spatiosa ex-

tenditur

tenditur planities, ubi vetusti opidi cognominis vestigia perseverant. Id expugnasse Rogerium enarrant, uti de Ravanusa loquens, expendi, obsidionisque tempore Deiparæ intercessione aquæ fontem, ut suos reficeret siti adactos milites, impetrasse. Unde templi ejusdem Virginis origo, & novi subinde opidi auspicia. Vide *Ravanusa*.

SARRIA Mons, aliter *Xarria*, unde Tortus fluvius emergit, inter Aliam & Columbam opidula Sclafano haud procul.

SAXUM Friderici Regis, in montis Peregrini latere contra Panormum, colonis circumpositi agri notissimum; Ubi enim sole ad occasum vergente vicinarum rupium umbra illud contingit, a quotidiano labore cessandum operariis, mercedemque assequendam diei integri, Rex idem statuit. Sanctionis hujus meminere Cimarellus, Fazellus, & Massa.

SCALA CARINIS. Fauces ibi sunt collium Panormitani agri Belampi & Cucii, seu Acuti, unde ad Carinim opidum est iter. Eodem *Scalæ* vocabulo passim appellantur duos inter colles trajectus, per quos ex una ad aliam regionem permeant; Celebrioresque in eodem agro sunt *De Curia*, *de Damusit*, *de Monachis*, *de Malis*, *Targiæ*, *Gibilrasse* &c. Aliis quoque in agris, locisque æqualis indolis, idem nomen appingunt Siculi, quia scilicet gradatim ascenditur, descensusque etiam veluti per gradus patet.

SCAMANDER ex antiquis Siculi littoris ad aquilonem, prope Segestam, fluminibus, hodie S. Bartholomæi ab ædicula eidem Apostolo sacra. Id nomen appictum illi a Trojanis Segestæ conditoribus ob patrii cognominis amnis in Asia memoriam, tradunt. Cluverius, qui erroris arguit Scriptores *Scamandrum*

cum Crimiso confundentes, Agathoclis Syracusarum Regis dirum referens facinus, ex Diodoro, post expugnatam Segestam. *Insidias sibi structas*, ait Historicus, *Agathocles praetextus, in gravissimas urbem calamitates demergit; nam pauperrimum quemque extra oppidum productum apud Scamandrum amnem mactavit*. Subdit: Est ille Scamander fluvius, qui leva, sua ripa Segestæ ruinas, & calidas aquas præterlabens, vulgo nunc superiore sui parte *S. Bartholomei*, inferiori autem *Frigidus* vocatur, quem falso omnes nostri sæculi Scriptores interpretati sunt *Crimisum*. Hinc illud affert Strabonis lib: 13. *Ad Ægestam Siciliæ, ajunt trajecisse Æneam cum Elymo Trojano, amnesque apud Ægestam denominasse: Scamandrum, & Simoenta*. Cętero alibi Ego conjecturis agens *Scamandrum* quoque Crimisum fuisse appellatum ostendi, duosque Siciliæ amnes ejusdem nominis *Scamandrum* scilicet, hodie *S. Bartholomei*, & *Belicim*. Consule Crimisus,

SCHERA Opidum vetus Ptolemæo juxta Cratam montem locatum, circa Corileonem ex Cluverio lib: 2. cap: 12. inter Crimisum, seu Belicim, & Hypsam amnes, sed proprius hunc stabat. Et Corileonem ipsum celebre hodie, *Scheram* olim fuisse idem Cluverius subdubitat, nam *Cratas* ab eo haud procul surgebat. Memorat Plinius lib: 3. cap: 8. *Scherinos* mediterraneos populos, & apud Tullium Ver: III. *Acherini & Citarini* parvarum civitatum homines ab Romano Prætore vexati dicuntur, quorum nomen librarii lapsu, vitiatum fortasse fuit; legendumque apud Oratorem *Cetarinos & Scherinos* a Cetaria & *Schera*, infensos Verri fuisse. Aretius *Scheræ* rudera inter Panormum ac Drepanum haud longe ab Alcamo recognoscit.

SCHOLA

SCHOLA Insula parva contra Hispanas rupes & Marsalense littus, ultima ex quinque illis, quę orę huic objacent.

SCHOLA Insula deserta ex tribus Pelagiis una a Lampadusa in occasum m. pass. x. distita.

SCILLATUM Vicus, *Xillatum*, ad Calatavulturi dynastiam hodie spectans, uberrimis scatet fontibus, quorum aquæ molis triticeis volvendis statim aptantur, & in Himeræ Septentrionalis, seu Magni fluminis alveum se recipiunt. Computat Pirrus ejusdem lares 120. incolas 435. In Regiis enim libris *Scillati* census cum Calatavulturi descriptione passim venit. Cephalędensis Episcopi jura sacra recognoscit, ejusque Paræcialis ædes cum Sacerdote S. Mariæ de Catena titulum refert. *Scillatum* sub Northmannis juris Adelasiæ Rogerii Comitis Neptis dicebatur, uti de Calatavulturo expendi. Ferrandinæ Ducem Hispanum, Dominum hodie habet, & Thermensis Comarchiæ finibus clauditur.

SCIRTHÆA Opidum ex antiquis prope Triocalam, ab hodierna Calatabellotta haud procul. *Circa Triocala ruinas*, inquit Cluverius, *opidum desertum est vulgari vocabulo Acristia*, quod ex vicinitate, & nominis quadam similitudine videtur esse antiqua illa *Scirthaea*. Servi in Sicilia defectores, uti Diodorus scribit, Ducibus Typhone, & Athenione prope *Scirthaeam* in libero campo e Triocala exeuntes, armis cum Romano Consulari exercitu confligere ausi, fęde deleti sunt, ac fugati; & si Romanis cruenta nihilominus victoria fuerit. Servorum porro reliquiæ cum Ducibus, nocte adjuvante, Triocalam elapsę, quę proxime sita illorum Arx erat, & præsidium.

SCLAFANUS Opidum in arduo colle situm, *Scla-*

fenis vulgo, Comitatus titulo ab anno MCCCXXX. insigne, quo *Matthæus de Sclafano* illi dominabatur, Friderici Regis beneficio ex Pirro, & Fazello. Quamvis in vulgatis Dynastarum libris a Petro II. MCCCLXXXVII. Ferdinandum Montecatinum eo decoratum munere passim legamus, quod veritati omnino dissonum. Petrus enim ejusdem sæculi anno XLII. sublatus, Ludovicum filium successorem habuit, & hic MCCCLV. Fridericum fratrem, qui ad annum LXXVII. in vivis egit. Nomen porro & originem arci, & opido priscis temporibus provenisse fabulantur ab *Æsculapii fano*, quod prope Thermales aquas, de quibus dicam, extructum inducunt. Mugnus in Geneol: Theat: tom: 2. nescio, quod Castellum Megericum nulli alteri memoratum, more suo excogitavit, illudque in gentis *Sclafana* deventum dominio, vocabulum ab ea accepisse effinxit, quum potius *Sclafanos* ab opido denominatos passim credamus. Cętero, quod in editiori colle contra Calatacltvurum ad austrum, & occasum impositum videatur, Sarracenis adscribitur, aut Græcos habuit conditores, extabat enim Rogerii Comitis ævo, mox enim, ut hic Sarracenis illud eripuit, *Jordano* filio attribuit, quo sine filiis anno MXCIII. mortuo, *Emma*, seu *Mathildis* Comitis etiam filia accepit, quæ Ranulpho Maniacio Montis Caveosi Comiti nupsit, unde *Adelasia* Raynaldi Avenelli uxor. Hanc patruus Rogerius Rex unicè dilexit, ejusque filio Adam N. ex se natam conjugem assignavit. His sine prole deficientibus *Sclafanum Gaufridus* Comes consequitur, Silvestri Marsici Comitis filius, Gaufredi de Ragusia nepos.

Mugnos Guillelmi I. dono *Joannem Sclafanum* Opidi dominum evulgat, eique filium *Gaufredum* successisse: Nomen inde illi factum *Sclafani*. *Gaufredi* sepul-

sepulchralis inscriptio supposititia censetur, & subjectæ fidei quoque dixerim Matthæi de Thermis Testamentum, in quo *Matthæi de Sclafono* pater, Joannes Antonius inducitur. Sane ad eumdem *Matthæum* sub Friderico Rege *Sclafonum* pertinuisse ex Censu sæpius laudato constat; qui de *Sclafono* dictus est, quod opidum cognomine sub ditione haberet. Hic lares, ac mœnia auxit, & Comitis *Sclafani* titulum meruit. *Matthæi* filia *Aloysia* Guillelmo Peraltę cum dote *Sclafani*, & aliarum ditionum in Valle Mazaræ nuptui est tradita MCCCXIV. A morte Ludovici Regis, quum *Sclafonum Aloysia* advenisset, & ad solvendas defuncto Principi inferias extra mœnia ad Divæ Mariæ pergeret, Matthæus Montecatinus ejus ex sorore nepos opidum invadit, & quod materno jure sibi debitum assereret, hostiliter occupat ex Fazello lib: 9. cap: 6. qui non diu post scribit Martinum Regem Castellacium, & *Sclafonum*, quod Guillelmi Peraltæ ditionis erat, *Raymundo de Montecatino* concessisse. Sed Peraltis in gratiam receptis, ad eos rursus opidum devenit. Idem vero Rex mox cum Julitina commutavit, & *Sancio Ruis* dominio addixit. Hic *Jacobo de Prades*, Sortino opido accepto, resignavit, Surita teste, Ann: par: 2. lib: 10. cap: 86. & Invegio. *Jacobus* unciis MCCCC. acceptis *Henrico Russo* venum dedit MCCCCVII. Ex *Henrico Hieronymus* Magnus Siciliæ Cancellarius MCCCCXXXI. cujus meminit Pirrus in *Chronol.* Hunc excepit *Antonius* Regni Siciliæ tertium Præses. Thomas ejus filius florente ætate raptus *Beatricem* reliquit, quæ *Sigismundo de Luna* sacris vinculis alligata. Sigismundi successores alibi laudavi.

Pars est *Sclafonus* Cephalędensis Diœcesis, spectatque ad Thermarum Præfecturam Militarem, &

Comar-

Comarchiam Politicensem. Ejus sub Carolo V. census 247. lares protulit, & MDXCV. incolas 911. Medio sequenti sæculo lares 332. incolas 1198. ex Pirro 775 focos, & opidanos 1331. Nostra ætate MDCCXIII. lares 309. cives 1042. & novissime 1098. Major Ecclesia sub arce S. Mariæ Majoris titulo cum Sacerdote unica parochialis, cui duæ aliæ, uti vocant, coadjutrices, ubi Sacramenta administrantur, septemque minores sacræ ædes subsunt. Monialium S. Claræ in S. Sebastiani, extructum Sebastianus Laplana Vicarius opidi MDCXX voluit, dotemque designatis sororibus XVIII. congruam attribuit, & ædificia circa australem plagam statuit. Domus Hospitalis, & Mons Pietatis in S. Nicolai Ecclesia constituitur. Arcis denique ea est firmitas, ut juxta rupis indolem, cui insidet, inaccessibilis omnino videatur, adeoque uno vix aditu, ubi porta optime munita, penetrari potest. Hodie tota in ruinas abire pergit, sed externi muri pene integri conservantur. Ager arboribus consitus fructiferis, oleis, vineis, non infelix habetur, montosus licet alicubi sit; ac frugum ferax, & pascuis lætissimus, ubi aratro scinditur, audit. Sub excelsa rupe, cui opidum insidet, in meridiem, vallis profunda thermales aquas sale, & sulphure infectas progignit, quibus olim frequentius mortales utebantur, quæque a vicinis hodie cum sanitatis lucro adhibentur. Sextus inter Comites assidet in Siculo Consilio *Sclafani* Dominus, jure gladii utitur, & Magistratus designat, Longitudine opidum gradum XXXVII. XXX. latitudine XXXVII. L. attingit.

SCORCIAVACCA Fons, unde Batticanus amnis ortum inter Busaquinum, & Corileonem cognoscit.

SCUPELLUM Casale olim circa aquilonarem

Siciliæ

Siciliæ oram, ubi vetustum opidum Cetaria diu stetit. Datum Pirrus Ecclesiæ S. Petri de Regio Palatio anno MCLXX. ab Friderico Cæsare prodit, reservato sibi jure Portus, & Cetariæ ad Tynnorum capturam. At mox quum Placentinorum colonia e Langombardia in Siciliam trajecisset, Obdone Duce, atque opportunum ad incolendum exposceret locum, idem Cæsar *Scupelli* Casale illis concessit, sub dominio ejusdem S. Petri Ecclesiæ, ubi diu habitarunt. Verum ob loci angustiam, & piratarum frequentes incursus anno MCCXLI. eo deserto, Corileonem mediterraneum opidum migrarunt, ac frequentissimum reddidere. Cantor hinc S. Petri *Joanni Baptistæ Catalæ* nobili Catalano S. Columbæ Comiti *ad Emphyteusim*, uti ajunt, concessit, cujus filia *Catharina Jacobo Fardellæ* Drepanensi nupta *Scupellum* marito detulit. *Placidus Fardella* Pacecchi Princeps hinc tenuit, ejusque hæredes habuere, de quibus alibi dictum.

SEBITANUM Casale hodie jacens ad Agrigentinam Ecclesiam Guillelmi II. donatione MCLXXI. spectans, uti ejusdem diplomate, quo alia insuper bona illi attribuit. In hujus Casalis nemore ædificatum S. Mariæ de *Refesio* Monasterium Rex idem testatur, quod non extat.

SEGESTA Urbs, *Ægesta*, ex vetustissimis Siciliæ ad aquilonarem ejusdem plagam, paullo infra terram, post Trojanum bellum ab *Æneæ* sociis constructa, celebris est scriptoribus Græcis, Latinisque, poetis, æque & historicis, Lycophroni, Dionysio Halicarn: Diodoro, Straboni, Thucydidi, Stephano, Herodoto, Polyeno, Plinio, Ciceroni, Tacito, Solino, Virgilio, & aliis, penes quos *Ægesta*, *Egesta*, & *Segesta* dicitur, ejusque populi *Ægestani*, *Ægestenses*,

&

& Segestani. Author *Acestes* Trojanus, de cujus ortu multa fabulantur. Pomponius Sabinus in Æneid: lib: v. rem historice enarrans. *Ægesta*, ait, *filia fuit Hippotæ Trojani, quæ posita a patre in Navicula, ut ferretur, quo fors impelleret, in Siciliam delata, Crimiso Regi nupsit, qui amni nomen dedit. Ex eo peperit Acestem*. Posita a patre in Navicula, ne a Ceto absumeretur, cui puellas vorandas impia religione Trojani dabant. In Sicilia Crimisus amnis Canis forma assumpta, ex poetarum fabulis, puellam compressit; unde *Segestæ* veteres numi Cane signati videntur. Rem aliter a Pomponio enarrat Dionysius Halicarnassensis lib: 1. quem sequitur Fazellus, aliter Strabo lib: 6. quorum hic exponere verba supervacaneum puto. Acestis socium Elymum Priami nothum filium faciunt, qui urbem cognominem etiam ædificavit. Sed *Segestæ* situs egregie a Fazello indicatur; in colle enim undique prærupto, *Barbara* vulgo hodie, stetit. Quod aquæ sulphureæ *Segestanæ* a Strabone, & aliis appellatæ in valle proxima emanantes; Herbesus fons nunc *Gurgus*, *Segestanis* ortus agris Solino; Crimisus fluvius, seu Scamander & Simoenta, his diebus S. Bartholomæus, & Frigidus; Emporium ad oram situm, vulgo Castellum Maris *Segestanorum* antiquis dictum; & tota denique littoralis ora, ac sinus apud Thucydidem & Polybium, cæterosque, *Segestæ* nomine veniens, evidentissime demonstrant. Quod ad *Conterraneam* hinc sub Eryce *Segesta*, ac prope maris littus sita fuerit, nullimode procedit. Distantiæ aliunde in Romanis Itinerariis designato per Fazellum loco congruunt; Nam habet illud Antonini. *Drepanis*, *Aquis Segestanis* xIIII. *Parthenico* XII. Tabulæ vero *Drepanis Segesta* xxIIII. *Panormo* xxxvI. Strabo etiam lib:6.

Ab Himera flumine Panormum m. sunt XXXV. *inde ad Ægestensium Emporium* XXXII. *reliqua hinc ad Lilybæum* XXXVIII. Ptolemæus denique mediterraneam *Segestam* suis in tabulis ponit, quum *Conterrana* locus sit maritimus, uti alibi vidimus. Aretii idcirco ad *Conterranam* urbem *Segestam* statuentis opinio rejicienda.

Segestæ Æneæ templum constitutum, veluti fundationis Auspici, honoresque divinos illi decretos laudatus Dionysius lib: 1. affirmat. Philippo quoque Buttacidi, Crotoniatæ, Dorici Heraclensis urbis conditoris socio, Olympionico ob speciosissimam corporis formam, heroico monumento extructo, sollemnes sepulturæ hostias oblatas Herodotus lib: 1. testatur. De Veneris fano, ubi ingentem auri vim Atheniensibus Legatis *Segestani* ostenderunt, loquitur Thucydides lib: 6. Hinc Cajetanus in Isagoge *Veneri Celesti* id dicatum perhibet, & mulieres Sacerdotes decretas ex veteri inscriptione addruit, quam infra reponam. Memorat Tullius in Verr: Dianæ simulacrum ex ære, singularissimo confectum artificio, amplum, & excelsum, ætate, & habitu virginali, cujus ab humero sagittæ pendebant, dextera ardentem facem, sinistra arcum præferens, civibus denique in summa veneratione semper habitum. Id a Pœnis urbe superata, atque excisa cum ornamentis Carthaginem deportatum P. Scipio Africanus, III. Bello Punico confecto, ab expugnata, dirutaque Carthagine sublatum, *Segestanis* reddidit, qui perpetuum grati animi monumentum cum ejusdem Scipionis nomine, & liberalitatis historia lapidi inscripta, in basi collocatum statuere. Sed & quum Verres inde sibi vindicasset, furtum veluti totius urbis funus ingenti cum luctu

cives, ac matronæ cum primis sunt prosecutæ. Quod Æsculapii denique templum *Segestæ* etiam habuerit, Inscriptionis fragmentum apud Gualterium evincit, quod infra adducam.

Jam, quæ perstant adhuc antiquitatis monumenta Fazellus describens: *Urbem*, ait, *quæ ascensum habet non difficilem, licet angustum, & arte elaboratum, ingredientibus statim Theatrum occurrit semidirutum; Fanum quoque intra mœnia prisci operis monumentum, quadratis ex lapidibus, testudinatum, & integrum prope superest, quod in Divæ Mariæ cultum transabiit. Cæteroque urbis mœnia magnis lapidibus prostrata, & cisternæ plurimæ adhuc in dirutis domibus affectæ conspiciuntur*. Ad Theatrum Inscriptio pertinet Græcis characteribus exarata, apud eumdem Gualterium, de qua dicam. Cajetanus in Isagoge alterius quoque veteris superstitionis ædis meminit, nunc Divi Joannis nomine insignis, Quæ an Bacchi olim fuerit apud Segestanos magna religione culti, juxta Franciscum Scine, subdubito. At præcipuum, celebriusque prisci ævi vestigium templum est sub urbis mœnibus, ante ascensum ad dexteram, nulli alteri, uti opinor, secundum, sive magnificentiam, sive amplitudinem, seu denique ejus pene intaminatam ad nostra hæc tempora integritatem spectes, Surgit enim sex & triginta columnis suffultum, per latera, in fronte, & postico dispositis, quarum est circuitus palm: xxv diameter palm: viii. nihilque in eo præter tectum desideratur. *Cereris* media producta hodie apud vulgi imperitos venit; hinc quod Cereri falso gentium numini dicatum fuerit passim creditur; maximè quod extra mœnia steterit. Cereris enim templis, uti Vitruvius advertit, anguli, ac secessus assignabantur,

quo

quod frequentius homines non confluebant. Ex his qualis *Segesta* fuerit, perspici datur; Sed varia in historiis non desunt quoque argumenta, unde illius celebritas elucet, quæ brevissime expendam.

Segesta tres inter civitates ab Trojanis ędificatas principatum semper tenuit, ipsiusque Ægesti conditores sedes fuit. Fazellus hinc imbecilles, ęgrosque Trojanę classis ob aquas sulphureas proxime manantes in eam fuisse coactos sine authore dicit, uti in notis ad eumdem satis exposui: Quum porro Emporii commodo, ævi processu, dives, valida, potensque evasisset, fines longe, ac late propagavit, ex uno ad alterum Siciliæ littus. Diodorus enim lib: 11. habet: *In Sicilia inter Ægestanos & Lilybętanos bellum exortum est de agro ad Mazarum fluvium*, qui XL. circiter pass: m. minimum distabat. Refert Herodotus, Segestanos, & Phęnices, conjunctis viribus Thessalo, Eurileonti, & sociis Lacedęmoniis Colonias in Siciliam deducentibus sese opposuisse, cęsisque eorum compluribus, Eurileontem cum paucis superstitem, Minoam usque repulisse. In notissima illa Atheniensium contra Syracusanos expeditione *Segestæ* mentio extat pręcipua. Quum enim ejus inter cives, & Selinuntinos, qui australe insulæ littus incolebant, ob agrorum fines, & violata sponsalia ingens orta esset discordia, & Selinuntini contumeliis *Segestanos* affecissent, expeditis utrinque copiis in aciem populi ambarum urbium descendentes, atroci certamine diu contenderunt; tandemque inclinante ad Selinuntinos fortuna, ad Athenienses paullo ante a Leontinis invitatos nostri confugerunt, quibus ab belli impensas tolerandas non levem auri summam exhibuere, utque promissis starent in Veneris fano collectas ex vicinis opes, suas-

que simul Atheniensium Legatis ostenderunt. Niciæ subinde cum classe adventanti *Segestanus* adfuit equitatus ad Hiccaram, quam utpote illis adversam Athenienses diripuere. Eidem denique Duci *Segestanæ* delato xxx. auri talentis pro Classariis persolutis, suppetias cives contra Syracusas contulerunt.

Atheniensibus in Sicilia deletis, rursum cum Selinuntinis bellum gerere coacti, Pœnorum sibi auxilia adscivere; inque eorum manibus, præsidiario admisso milite, patriam tradiderunt, quo quidem facto hostium quidem internicionem videruut, sed libertatem amisere. Dionysii tempore, quum hic contra Pœnorum ditiones duxisset, ejusdem potentissimo exercitui *Segesta* restitit, & illius validæ classis contra Emporium conatus elusit. Agathoclem mox infensissimum habuit; in eam siquidem, licet sibi fœderibus junctam, tyrannus invadens, insidias suis structas prætexens, pauperrimum quemque ex civibus apud Scamandrum amnem contra opidum mactavit; Matronas pessime cruciavit; majores, divitesque exquisitis tormentis fateri coegit, quantum quisque pecuniarum haberet, easque sibi vindicavit. Quæ tunc ille exercuerit pœnarum genera Fazellus expendit, nec sine indignatione memorari possunt. Eo autem desperationis impulsos, adductosque *Segestanos* produnt historiæ, ut sibi necem complures consciverint, vel ultro in ignem alii sese præcipites dederint. His non contentus Agathocles priori *Segestæ* nomine abolito, *Diceòpolim* deinceps, hoc est *Justam Civitatem* appellari jussit, & fugitivis advenis incolendam dedit. Quod Pœnos offenderint, ab iisque urbs direpta, & in vastitatem redacta fuerit, spolia evincunt ex ea, uti superius vidimus, abducta, Simulacrum nempe Dianæ æneum,

subinde

subinde a Scipione civibus restitutum; At enim quo id acciderit ævo, prodit nullus.

Sub Romanis, Liberis Civitatibus accensebatur, Tullio teste, qui non fœderatam solummodo, sed & cognationibus cum illis conjunctam dixit. Plinius lib: 8. in Jus Latinæ conditionis *Segestanos* vocatos affirmat. Ptolemæus Tab: vii. Siciliam quinas in gentes distribuens, v. loco *Segestanos* populos nominat. Plutarchus in Parall: n. 75. refert, quod quum *Segesta* sub Æmilii Censorini Præfectura esset, viri sævitia insignis, impius ad eum Artifex Aruntius Paterculus accessit, equumque æneum obtulit, in quo supposito igne, miseri lente cruciarentur. Æmilius vero Phalaridis exemplo, ad æquitatis cogitationem, uti philosophus ait, tunc primum conversus, authorem operis sui experimentum facere jussit. Hæc sub Romanis evenisse opinor; Principis enim, sive Tyranni, atque Artificii nomina Romana tempora sapiunt. Tiberio regni potente, *Segestanos* hunc enixe rogasse Tacitus lib: 4. perhibet, uti Veneris Erycinæ celebre templum temporum injuria quassatum, ac pene collapsum restituendum curaret; communemque ab Trojanis originem, & Æneæ utriusque populi parentis, & fani olim conditoris memoriam ad Cæsaris mentem revocasse scribit. Christianis temporibus, quæ fuerit *Segestæ* conditio divinare non audeo. A Sarracenis quippe salutis anno DCCCC. Ibraimi Regis, ac Ducis jussu, mox, ut e proxima Africa illi trajecerunt, ingenti strage affectam Petrus Diaconus vulgavit; Nec unquam insignis adeo Civitas legitur instaurata. Calatafiminum cætero, in altero post *Segestam* colle hujus loco a barbaris suffectam jure nonnulli credunt; & si Cluverius in ea *Locaricam* vetus opidum stetisse subdubitet.

Gual-

Gualterius hinc apud Calatafimim antiquas ad *Segestam* spectantes tabulas deprehendit, vulgavitque Grecè, atque ab se Latinis literis redditas.

Diodotus. Titieli. F. Appeirans
Sororem. Suam
Minyram. Artemontis. F. Sacerdotem
Veneri. Cœlesti

Veneris templum jam apud Thucidydem memoratum vidimus. Alia item habet;

..Teontis. Phaonis. F.
..Phonis. Sopoliani. F.
..Nomeontis. Æenarchi. F.
..Diodori. F. Et Curam
..Cognoscentis. Operum.
..Illius quæ facta sunt.

Et hæc tenui meo judicio Theatrum, aut Gymnasium *Segestæ* fuisse confirmant, nam juvenum nomina exhibent, qui sub N. cura degebant. Tertiam addit author his verbis præfixis: XXI. *hinc stadiis versus occidentem in colle inter rudera antiqua prostrata, non eminus a prisco æde, quæ publice arbritrotu Theatrum extitit: literis cubitalibus;*

ΑΣΚΛΑΠΟΣ. ΕΠΠ... *Asclepus...*

His de Æsculapii Templo aliquid nobis indicari, putat Cajetanus. Novissimè S. Martini de Scalis nobili Museo lapis fuit accquisitus, prope *Segestæ* thermas inventus, Græcis literis, etiam cubitalibus, sed formæ prorsus diversæ, nec extantibus, sed cavis inscriptus:

ΙΑΣΩΤΗΡΙΑ. ΙΙΑΣΧΑΡΙΝ.

Quos Eruditissimus Salvator de Blasi ejusdem Musei Custos, & promotor interpretatur: *In propriæ Salutis gratiam*; præfixumque lapidem putat Thermarum officinis.

Ube-

Uberiora *Segestæ* monumenta præbent Argentea & Ærea numismata apud Parutam cum epigraphe ΣΑΓΕΣΤΑΙΝΩΝ. Et quidem Argentea num: xiv. quartæ & quintæ potissimum magnitudinis Caput victatum in antica, Canem in postica facie præferunt. In uno post Canem spichæ; in tribus supra Canem capitulum quoque victatum; in binis ante Canem marinum turbinatum, seu Concha; totidem Caput cum calantica in media corona ederacea. Singulare Herculem leonina contectum pelle, arcum tendentem cum clava, & triscelo, Siciliæ tessera, tribus nempe cruribus conjunctis, ac consuetam inscriptionem in antica facie habet, in postica vero binas nudas figuras saccum utraque manu, veluti complere contendentes, sub quibus epigraphe ΦΟΦΟΔ. Jam in Æreis Cybele turrito capite repræsentatur, & Æneas humero Priamum patrem gestans; nec non Hercules, Canis cum pilis, Æneas veluti allocutionem habens, aliaque symbola exhibentur, incertæ apud nos hodie significationis. Franciscus Seine, Bacchi, Minervæ, & Ægesti vultus quoque in hisce numismatis recognoscit; Sed Gallinæ signum a Fazello adnotatum in Parutianis desideratur.

Emporio *Segestano* Castellum Maris hodie suffectum communi voto Eruditi recognoscunt, *quia hoc*, inquit Cluverius, *Segestanorum flumini proximum. Fazellus vero, cur id Emporium longius a fluminis ostio in locum removerit, ubi minime apparebant vestigia, equidem miror*. Ptolemæi cætero Tabulæ, quas ille subdit, locorum ordinem omnino invertunt, & transposita ab imperito exscriptore vocabula referunt. Emporii hujus occasione sæpissime apud veteres Historicos

storicos *Segestam* naves appulsas legimus, aut ab ea aliò expectatas. *Precursorias ab Ægesta naves præstolabantur*, inquit Thucydides lib: 6. & mox postea. *Precursoria naves ex Ægesta advenere*. Inde: *Cum omnibus copiis ad Selinuntem, atque Ægestam navigabant*. Et Diodorus lib: 13. *Atheniensium copiarum Duces Ægestam navibus perv... Hiccara Siculorum opidum ceperunt*. Thermales aquæ, in superioribus descriptæ, *Segestana* veteribus, *Tammeth* Saracenis, & hodie *Calatameth* appellantur. Cavendum hinc a Baccio *de Therm*: & Kircherio *Mundi Subter*: tom: 1. lib: 5: *Segestana* balnea, ubi Drepanum surgit, locantibus, a qua sane urbe pass: m. xxx. circiter illa dissident. Consule *Aqua Segestana*.

SELINUS Fluvius, aliter *Apiarius* ab Apio circa ejus ripas, & in Antonini Itinerario corrupte *Lanarius*. Vide *Madiunis*.

SELINUNTES Urbs vetus, nonnullis hodie *Mazara*; a flumine appellatur, *Selinus* aliter. De qua Cluverius: *Inter Belicem amnem & Mazaram fuit celeberrima illa, & potens quondam in primis urbs Selinus, sive contracto vocabulo Selinus, cujus ingentes etiamnum reliquiæ extant, vulgo Terra Pulicorum dicta*. De ortu Marcianus Heracleensis in Periægesi: *Megarenses Selinuntem, Gelenses vero condiderunt Agrigentum*. Strabo lib: 6. *Selinuntem condiderunt Megarenses, hujus insulæ incolæ*, qui scilicet Hyblam primo e patria apud Græciam se receperunt, prope Syracusas. Hinc Thucydides lib: 6. *Megarenses, qui Hyblenses dicti sunt, c. annis, postquam urbs Megara condita fuit, Selinuntem, misso illinc Pammilio, condiderunt*, & lib: 7. eidem Historico *Selinuntini* Megarenses vocantur. Ex his laudatus Cluverius de

de conditus tempore argumentum sumens, ortum *Selinuntis* adstruit Olympiadis xxxv. anno 1. ante Christum Dominum DCXL. Verum enim vero Græci authores citati de nova inducta colonia per Megarenses, Duce Pammilio, *Selinuntem*, intelligendi; Jam enim multo ante, Phœnicibus autoribus extiterat, uti Diodorus testatur; Fazellus idcirco *Hanc urbem*, ait, *& ejus oram primos omnium Phœnices tenuisse, refert Diodorus, quibus postmodum pulsis, anno Mundi* 4554 *ut supputat Eusebius*, & 100. *post Megaram, Megarenses Siciliæ indigenæ, Duce Pammilio, incoluerunt. Ita lib: 6. Dec: 1. cap: 4.*

De situ idem quoque disertissime loquitur, ac veluti ab oculos statuit; *Belicem amnem ad pass: m. circiter* III. *Stagnum sequitur, Thalicis Sarracenice dictum, ex pelagi fluctibus refusum, æstate accolis perniciosum, quod ex ejus aquis aer crassior, & concretior redditur. Mox ad verticem paulisper editum tria sumptuosi, magnificique ac prisci operis templa sunt incentia*. De his inferius, *quibus mox vetustissima, sed hodie prostrata urbs, Terra Pulicorum nunc dicta adhæret, cujus ingentes ruinæ, admirandæque ante oculos sunt vestigia. Sita fuit ea in paulisper prominenti in mare, ac præciso tumulo, quem ne vi vastitate undarum, quibus a meridie alluitur, circa fundamenta corroderetur, ab imo circa urbem quadrato lapide in summam civitatem, murus ingenti sumptu excitatus, sustentat, quo submoto urbis latera corruere sit necesse. Intra mœnia duo visuntur templa non adeo magna, quorum unum striatas habet columnas, alterum vero planas, quod sacrum ne fuerit, an Prætoria domus incertum est. Sed & ara in eo imminens adhuc visitur, quæ & si prostrata sit, cadavere tamen habet ingen-*

tia, & altum quam hucusque perstantem. Ruina, toto urbe sparsa per multa jugera cernitur, calcaturque, fundamentis, substructionibus, & domorum monumentis omnem fere ejus partem occupantibus. Huc usque Fazellus, cujus verba eo libentius exscripsi, quod ipse veteris *Selinuntis* hujusmodi vestigia esse totus sit, ut evincat. *Pulicorum* autem *terram* appellat vulgus locum, ubi hæc sternuntur, non a Pollucis templo, aut urbe, quorum nulla est prorsus memoria, sed uti alibi innui, a Sarraceno vocabulo *Bibidel Barghat*, quod redditur Siculo ore: *Terra Pulicorum*.

Novissime, quum ad has miras reliquias contemplandas Vincentius Gurrellus ex Fratribus Minimis S. Francisci de Paula, vir cordatissimus accessisset, earum descriptionem peculiari quadam Epistola ad N. N. adornavit in *Siculis Liter. Memoriis T. 2. parte 5.* relata. In ea a Castroveterano ad *Marinellam*, uti dicunt, vii. pass. m. distitam, prope maris littus se contulisse testatur, primoque intuitu in edito parumper loco insignes trium templorum ruinas conspicatus, vehementer obstupuit, simulque complures operas ingentis magnitudinis saxa, ad illa spectantia, in frustra, ut proximi Belicis fluminis pons repararetur, concidere, magnopere indoluit. Aliqualem mox eorumdem formam delineare cupiens, rupes inter, ac dumeta perrepens non sine labore, ac periculo, ad templi præ aliis majoris, magisque ab ora remoti rudera evasit, cespitibus undique obsita; nec nisi enormis magnitudinis moles, hac illac confuse dispersas intuens, ex columnarum tamen truncis, proprio situ adhuc consistentibus, ad parallelogrammi figuram ædificium accessisse advertit, cujus minora latera ad ortum, occasumque, majora vero in meridiem & aquilonem respiciebant.

Ad

Ad singulos angulos columna palmis XVI. circiter dissita subrigebatur; majora latera columnis XVI. minora IX. consiata videntur, ex quibus una sola integra perstat circa austrum, lapis, unde constant arenarius, sed durissimus, ac bene levigatus; forma plana, sed binæ in ortum striatæ sunt. Quum porro ex frustris VI. ferme componantur, de illarum altitudine certum ferri judicium nequit; sed ex frustris unum basi proximum palmos XI. circiter altum, ambitu palmos XXXVII. æquat, alterum supremum capitulo adhærens patet in circuitu palmos XXI. Proportio idcirco inter frustra passim, quoad crassitudinem minuebatur. Sine cęmento, aut litura frustrum frustro adhærebat, sed est foramen in centro, quod palum ligneum excipiebat, & utrinque conpingebantur. Capitula in supremo abaco quadrata, palmos XIV. omni ex latere habent cum unciis VIII. ac palmos V. profunda sunt Epistylia ut plurimùm XXV. pal: longa, IX. lata & profunda V. At unum singulare, XXXI. in longitudine, VIII. in latitudine, VII. denique palmis in profunditate respondet, & vulgo a *Stanza* nuncupatur. Coronidis moles variæ ac dentatæ, reliquæ partes vix dignoscentur. Tota templi area palmis CCCCXXXIII. ex lateribus maximis, ex minoribus vero CLXXX. patebat, uti ex intercolumniis, & columnarum crassitudine dimensor deprehendit.

Ad secundum subinde conversus templum Gurrellus, ambitus quidem minoris, sed non inferioris magnificentiæ, ac parallellogrammum referens rectangulum deprehendit, latera ad austrum & septentriones majora columnis XIII. striatis constabant, inter se distant bos palm:II. latera vero minora ad ortum & occidentem senis columnis fulciebantur, quarum periphe-

ria pal: xviii. conficiebat. Nulla ex iis integra, aut simul commissa videtur, nam in frustra etiam compactæ erant. Ex epistyliis vnum inter cętera ejusdem molis, palmos xviii. longum pal: vi. latum, profundumque pal: iv. invenit. Jam Templum tertium majus secundo, sed primo neutiquam comparandum, columnas etiam striatas ostentat, quarum numerus computari, ut & totius ædificii figura describi vix a peritissimo quopiam posset; tanta est enim illius clades, ac lapidum, quibus compingebatur excidium. Muri aliqualis portio perdurat, sed ad quem usum aptaretur, incertum. Ab hisce Templis Urbs pass: m. dissidet, valle intermedia arenosa, ubi vetus olim portus, cujus ora validis mœnibus munita. Turris vestigia, sive, uti loci incolæ evulgant, Balnei, haud eminus apparent; ex reliqua vero civitate lapidum, molis non ultimæ, congeries, acervique frequentes, testarumque fragmenta supersunt; nec strigatæ, aut planæ in frustra columnæ desiderantur, ac pene in centro mediocris magnitudinis ex illis complures occurrunt, & epistylia, quæ aut templi olim, aut prætoriæ domus partes creduntur.

Hæc ex Gurrelli Epistola deprompta, qualia sint hodie *Selinuntis vestigia*, clarissime demonstrant; At enim, quod apud Diodorum mentio sit insignium ad *Marinelle* littus templorum, uti in Epistola author attexuit, minime probaverim; Historicus enim Deorum fana, ad quæ cives, ac matronæ præsertim confugerant, quum patria ab Hannibale Pęno in vastationem daretur, memorat. Herodotus de Jovis Forensis ara loquitur, sub qua asylum Euryleon ad necem expostulatus, quæsivit, & hæc in maximo ex descriptis templis fortasse fuit, ipsumque templum falso

huic

huic numini dicari potuit; Verum Pausanias de Olympici Jovis in Græcia celeberrimo fano sermonem habet, ubi ante suam calamitatem *Selinuntini* thesaurum dicaverant, & in eo Liberi Patris statuam, ore, pedibus, & manibus eburnis. Diodorus itaque testis est, quod intra *Selinuntis* mœnia a Carthaginiensibus expugnata, Deorum ædes complures essent, ubi *Selinuntinas* mulieres immunes trux miles voluit, quatenus ex illarum spoliis ditaretur. Sed harum ædium certum vestigium perstat nullum, quod expositis cum Thomæ nostri, tum Gurrelli descriptionibus fit palam. Cętero *Selinuntinum* Apollinem, ejusque oraculum veracissimum Strabo lib: 10. celebrat.

Jam quum Phęnicibus *Selinuntis* conditoribus Græci ex Megara Sicula successissent, brevi civium frequentia, divitiis, & gloria urbs coaluit, & Minoam, teste Herodoto lib: 5. Coloniam suorum deduxit. Hanc Euryleon quum occupasset, a Pythagoræ tyranni monarchia *Selinuntinos* liberavit; sed hoc sublato, ipse tyrannidem *Selinuntis* invasit, ac brevi tenuit; nam *Selinuntini* impetu in eum facto ad Jovis Forensis aram confugientem, nihilominus obtruncarunt. Cum Ægestanis variè, ac diversis temporibus, quod supra memoravi, de agrorum finibus contenderunt, illosque sępissime infestantes, prędas non semel agere, & contemptui habere; Hinc apud Syracusanos ab hostibus conventi, quum non acquievissent, Ægestani Carthaginiensium auxilia, duce Hannibale, sibi comparavrunt. Coactis Hannibal copiis, classeque adornata, in Siciliam transmittens, primo impetu ad Mazarum fluvium Emporium *Selinuntinorum* expugnat, mox urbem ipsam adoritur, & novem dierum durissima obsidione, disjectis mœnibus tandem invadit, suisque

iisque militibus in prædam tradit. *Ad seram igitur noctem usque*, concludit Diodorus, *urbs diripitur, ædificia partim incendio, partim ruinis vastata. Ad XVI. M. tum cæsa, & captivorum VI. M. abducta*. Ex civibus nihilominus his II. D. captivitate immunes Agrigentum salvi pervenere, ibique omnia humanitatis officia experti sunt. Non omittam cruentam fuisse Pœnorum victoriam; omnis namque ætas, ac sexus, prout dabatur, contra hostes pugnavit; iisque urbem ingressis in singulis viarum angustiis cives restitere; At quum Pœnis novi per vices sufficerentur pugnatores, *Selinuntinis* vero nemo esset, qui auxilii quidquam afferret, cedere coacti, omnes in foro conglomerati dimicando ceciderunt. *Syracusani* porro, aliique ex Græcis Siculis, qui tarde opitulatum *Selinuntinis* venerant, audita urbis expugnatione, legatis ab Hannibalem missis pro captivorum redemptione, repulsam passi, Empedionem rursus delegarunt, quem Dux benigne excipiens, quod semper a Pœnorum partibus stetisset, utque a bello, quod susceperant, abstinerent, non semel cives suos hortatus, nusquam exauditus fuisset, quotquot inter captivos gentiles, & cognatos habebat, illi condonavit. *Selinuntinis* præterea per fugam elapsis, ut urbem habitarent, agrosque colerent, permisit, dummodo tributum Carthaginiensibus penderent. *Urbs igitur*, ait Historicus, *per* CCXLII. *annos, ex quo primum condi cœpit, civibus frequentata, hunc ad modum tunc capta fuit, ac mœnibus circumquaque nudata*.

Quod templa quoque Carthaginienses cum extra tum intra urbem exciderint, ex eodem Diodoro colligo: Nam Syracusani ab Hannibale postulatum mittunt post expugnationem, uti captivos redimendi pote-

potestatem faceret, Deorumque fanis abstineret. Quibus responsum ab Pœno Duce ferunt: *Selinuntiis, qui libertatem tueri nequivissent, servitutis conditionem æque merito expectandam esse, Deos vero incolis infestos Selinunte jam excessisse.* Nec captivos igitur condonavit, nec Templis tunc Hannibal pepercit; conjectarique licet, ea occasione, ingentem illam ędificiorum insignium ruinam, atque excidium, Pęnis authoribus evenisse. Hannibale Sicilia excedente, Hermocrates Syracusanus, qui suis summa cum gloria præfuit; Bellumque contra Athenienses fęliciter complevit, contrariæ factionis invidia patria ejectus, ubi in eam redire frustra non diu post tentasset, Himeręorum, urbe sua extorrium, circiter mille assumptis, *Selinuntem* occupat, & parte urbis mœnibus inclusa, *Selinuntinos* patriæ excidio superstites undique convocat, aliosque complures in eum locum recipit; & contra Carthaginensium proximas regiones ducens, agros populatur, magnamque apud Siculos laudem meretur. XI. post anno Dionysio Regi *Selinuntini* adhærent, eique contra Motyam copias admoventi suppetias tribuunt. Sed annis CXLI. postquam Hermocratis opera denuo habitari cępit ab iisdem Carthaginiensibus rursus circumsessa fuit *Selinus*, atque *Hanno Hannibalis filius*, inquit idem Diodorus in Eclogis lib: 23. *ut in Siciliam venit, contractis ad Lilybęum copiis usque ad Selinuntem processit, terrestremque exercitum prope urbem positis castris collegit.* Et mox lib: 24. *Selinuntiorum urbis, a se eversæ, Cives Lilybęum transtulerunt Carthaginienses.* Cluverius, instauratam rursus, atque inhabitatam post hanc eversionem fuisse, nusquam se legisse fatetur. Strabo sua ætate eversam affirmat: *Neque enim hodie incoli,*

ait lib. 6. *scimus Hinteram, neque Gelam, neque Selinuntem*. Nec Plutarchi tempore extabat, refert enim in Apoph: Lacon. Argeum quemdam per *Selinuntis* fines iter agentem in sepulchrum incidisse cum hac inscriptione: *Hisce Selinuntes sub portis, quando Tyrannis stinguitur, evenit Marte fera cadere*. Hinc ille faceto apophthemate subdit. *Jure peristis, qui ardentem Tyrannidem extinguere conati estis; Contra namque permittendum fuerat, totam concremari*.

Selinuntina Numismata ex argento XI. ex ære duo, & præcipua sextæ magnitudinis, variis sunt figuris signata cum epigraphe ΣΕΛΙΝΩΝΤΙΩΝ vel ΣΕΛΙΝΟΝΤΙΝΟΝ. Habet primum apud Parutam Jovis caput cum inscriptione ABAK & in postica Porcum; alterum Canem, & muliebrem faciem sparso crine; Tertium Bigam, cum auriga saggittario in una; in adversa facie Jovis, seu alterius senis sacrificantis figuram exhibet; in ara Gallus, retro Apii folium, & parvus, uti apparet, equus. Figura dextera pateram, sinistra olivæ ramum tenet. In IV. Minotaurus cum apii folio, & muliebris figura sedens supra stellionem, manu serpentem, ad pedes Siciliæ symbolum ostentat. In V. & VI. Vir nudus taurum cornipetam clava edomat; sacrificulus in postica unius hastam tenet & pateram, in altero olivę ramum ex aręe angulo pendentem, retro cum apii folio ciconiam VII. VIII. IX. ac X. tertio respondent, sed sacrificulus vultus est juvenilis & retro arietes, & boves sub apii folio effinguntur. XI. v. & VI. æquat, & sub apii folio gallus. Ærea palmę ramum in corona præferunt. Sed enim illud in IX. X. & XI. adnotabis circa sacrificantem figuram nempe, epigraphem esse HY+AΣ. Alibi Belicim amnem Hypsam veteribus appellatum

docui.

docui. Jam Pulicorum terra, ubi *Selinuntem* cum Fazello & Cluverio statui, ab ostio & dextera Belicis ripa haud multum abest. Qui cum Aretio igitur *Selinuntem* ad Mazaram locant, hujusmodi numismatibus erroris arguuntur; nam inter Mazaram & Hypsam amnes pass: M. XVI. minimum intercedunt. Cur Apium porro, & palmæ ramos *Selinuntini* in nummis suis signaverint, id causæ fuit, quod Græcis Apium *Selinon* dicitur, a quo & Flumini & urbi nomen obvenit. Agrestes palmas simul cum Apio fert ager *Selinuntinus*, hinc *Palmosa Selinus* apud Virgilium lib: 3. Æneid:, & *Palmis angusta Selinus* penes Silium lib: 14. habetur.

Seris temporibus Sarracenos in Siciliam invadentes sub Alcamo Talassiarcha, primam omnium *Selinuntem* occupasse tradunt Annales. Verum enim vero alibi ostendi ex *Selinuntis* reliquiis Mazaram crevisse, quæ idcirco *Selinuntis* vocabulo apud plerosque audit; nec incongrue Mazarà primo impetu a Barbaris direptà, *Selinuntem* primum illos vastasse Historiæ perhibent. De Gonusa lacu, hodie *Thalici* in superioribus dixi, quem incolis perniciosum Empedocles salubrem reddidit, corrivatis in eum Selini amnis, & Hypsæ laticibus. *Sedata autem peste*, scribit Laertius lib: 8. in vita ejusdem Philosophi *Selinuntiis apud lacum epulantibus, apparuit Empedocles. Illos eo inspecto adsurrexisse, Divinosque honores veluti Deo detulisse.*

SELINUNTINÆ THERMÆ. Vide *Aquæ Labodæ, Saccenses & Selinuntinæ.*

SEMELLIUM vetus Opidum, cujus populos memorat Plinius inter Mediterraneos: *Etini, Herbulenses, Semellitani*. Inter Mazaram & Segestam non-

nullis statuunt, alii incerti omnino situs dicunt: Fazellus & Pirrus Salemim Semellio subrogatum evulgant, uti adnotavi.

SEMIRA Casale, quod anno MCLXXXV. Guillelmus II. Rex cum aliis bonis Montregalensi Ecclesiæ dedit, cujus hodie nec nomen superest.

SENESCHALCUS Fluvius Magnus, sive Septentrionalis Himera, ita appellatus, prope Bonfornelli arcem, ubi ejusdem vocabuli stetit dudum Casale, quod Episcopus Cephalędensis anno MCCCLIV. Arnaldo de Santa Columba concessit. Vide *Bonfornellum*.

SENURIA Casale Montregalensi Monasterio ab Guillelmo concessum MCLXXXV. Est hodie ager in Ditione ejusdem Ecclesię, *Signora* vulgo, ubi *Senuriam* stetisse dudum, Michael Judice apud *Massam* affirmat.

SERGENTIUM Opidum vetus *Ergentium*, & cum adspiratione *Hergentium*; in Sicania juxta nonnullos olim situm; quod rectius in Valle Neti cum Cluverio locavi. Consule hujus Lexici par: 1.

SERRA FALCI Opidum recens sub Calatanisecta, Ducatus tessera insigne, sedet in leviter prono solo circa austrum, quod ad feudum cognomine spectat, juris olim *Berengarii Angelerii* ex dono Petri Aragonensis hujus nominis I. Majus Templum S. Leonardo Episcopo dicatur, sed opidanorum Patronus singularis S. Franciscus de Paula colitur. Illud Archipresbyter cum binis aliis minoribus Ecclesiis moderatur, cui & animarum cura incumbit. Templi ædificia decentissima, & Dynastæ palatium haud procul in foro magnificè splendet; Viæ opidi rectæ & amplæ, cujus sunt incolæ hodie 2309. Paullo postquam

coaluit

coaluit MDCLII. lares 65. incolas 451. numerabat. Anno MDCCXIII. census fuit larium 293. opidanorum 838. Sutera Comarchia comprehenditur, & in Regiis libris in Netina Valle adnotatur. At enim situs sub Calatanixecta, ultra flumen Salsum in collibus, *Serrae Falci* quum sit, quo pacto ad eam Vallem pertineat haud satis suspicio, atque ex Tabulis in Mazarensi statuitur. Agrigentinae demum Ecclesiasticae provinciae finibus clauditur, quam ultra Mazarensem, nullibi in Netinam Vallem extendi satis constat. Ad Comitatus Calatanixectae ditionem, quo anno devenerit non habeo, sed ejusdem feudis accensum illud *Serrafalci* jam inde ab saeculo XIV. invenio. *Joannes Thomas Moncada* Comes primus MCCCCXCIII. *Nicolao de Barresio* ex Petrapertiae Dominis, cum aliquot adjacentibus agris venum dedit, florenis bis M. M. acceptis. Mox vero *Antonio Rizzono* attribuit. Guillelmus Raymundus Thomę filius ab Rizzonis revocatum *Joanni Alphonso Septimo* vendidit. Hinc *Antonius la Rocca* & *Franciscus Graffeus* tenuere, hicque postremus *Serrafalci* Marchio fuit renunciatus. *Leonardus* tandem *Fasius* obtinuit; Casale exiguum, novis congregatis mortalibus notabiliter auxit, & Ducis titulum Philippi IV. Regis privilegio MDCLXV. meruit. Ex uxore Laurea Gandiosa filium *Franciscum* habuit, qui cum Anna Maria Talamanca & Grua *Leonardum* genuit, hodie in vivis agentem. Huic ex uxore Antonia Cajetana filius obrigit Franciscus, Ingenii Marchio, ob doctam Margaritam Gastone, Francisci Sac. Regię Conscientiae Praesidis filiam. Sed immatura sublatus morte Franciscus prolem reliquit haeredem. Agro utitur *Serrafalci* feracissimo, & pascuis divite, gradum habet longitudinis & latitudinis XXXVII. XXX. Dux in

Comitiis xxx. profert votum, Jure gladii utitur; & Magistratus designat.

SFERRACABALLUS Vicus est, sive regio Panormitani agri in aquilonem, unde ad Carinis sinum est iter. Turris ejusdem nominis in ora maritima, vuita ab laudata Panormi urbe lapide, specula est. Vico acuti lapides, quibus sternitur, vocabulum dedere; Caballis enim vectoribus infesti illi sunt.

SIBYLLIANA Turris specula, Marsalensis littoris, a Sibyllæ puteo, & crypta, seu sepulchro, uti tradunt, proximo appellata. Fama enim est Sibyllam eadem in ora diu incoluisse, ubi & sepultam vulgus tradit. Vide S. *Joannis Crypta*. Solinus ejusdem sepulchri meminit, & Cajetanus exactissime puteum describit.

SICANIA Pars erat insulæ præcipua ad septentriones, austrum, & occasum, quo se Sicani olim populi indigenę, a Siculis ex Italia appulsis, ejecti contulerunt. Stephanus: *Sicania*, ait, *Agrigentinis circumjecta regio, & amnis Sicanus*. Sed de hoc flumine nullus alius mencionem ingerit. Verum non Agrigenti tantum agrum ab initio, sed ad Panormitanum usque extensam fuisse *Sicaniam* ex aliis veterum testimoniis colligit Cluverius; ac citra duos Himeras septentrionalem, & meridionem Sicanos incoluisse affirmat: Diodorus lib: 5. *Hujus regionis partes ad ortum solis spectantes Siculi, ad occasum Sicani incubabant*. In Thematis Siciliæ Constantinus lib: 2. *Menippus vero tradit: Profecti in Siciliam cum ingenti exercitu Siculi, Sicanos, prælio superatos ad meridionales, occidentalesque ejus partes delegarunt*. Sicanorum porro urbes fuere Camicus, Panormus, Drepanum, Agrigentum, Maccara, Himera & aliæ.

SI-

SICULIANA Opidum non angustum hodie, Cluverio olim Camicus, & postmodum Cena; Fluvium quippe Cannarum, quum Camicum fuisse tradat, subdit: *Circa hoc m. ferme passus, totidemque a mari recedens, opidulum est, aspero, ac natura munito situ, quod vulgo Siculis nunc vocatur Siculiana. Ideo situ antiquum illud esse Camicum opidum collegerim. Fazellus equidem Decad. I. lib VI. cap. I. anno salutis MCCCX. a Friderico Claromontano conditum fuisse tradit; at ego ab eo instauratum, sive restitutum, quum bello destructum foret, crediderim. Certe multis saeculis ante istum Fridericum opidum hoc situ appellatum fuit Cena*. Consule *Cena*, & *Camicus* suo loco; uti enim Cenam ad *Sicilianam* fuisse non inficior; Camicum tamen alibi statuo. Pirrus Sarracenicum esse nomen *Siculiana* scribit, Fazellus, uti audisti, Friderici Claromontani opus ineunte saeculo XIV. evulgat; *cujus insignia*, subdit, *ad arcis apicem adhuc cernuntur*, sed merito Cluverius instauratorem opidi Claromontanum dicit, & arcis conditorem. Quod porro aspero, & natura munito situ *Siculiana* sedeat, negat Pizolante, qui ad eam non semel se contulit. Atenim munitus adeo locus non est, uti de Camico veteres loquuntur; Nec tamen tam facilis patet iter, uti non arduum aliqualiter experiantur, qui opidum subeunt.

Ejus celebratur fons, e quo pisciculi magna copia scaturiunt, Fazello teste lib: I. Dec: I. cap: 5. Arx pene integra magnificentiam praefefert, clauditque Ecclesiam S. Mariae Angelorum, quae ad dynastas spectat, Major parrocialis Ecclesia S. Leonardi Episcopi titulo sub Archipresbyteri cura filiales VII. subjectas habet. Pirrus Paulenses fratres anno MDCXLIV. coaluisse tradit, quibus aere publico, & Dynastae li-

beralitate Cœnobium cum eleganti Ecclesia fuit designatum; est enim eorum S. Patriarcha Franciscus precipuus opidi Patronus. Carmelitas primi Instituti anno MDCXXXVII. Conventualibus quoque ejusdem ordinis successisse affirmat, illisque opportunas ad ædificia reparanda suppetias, publicis eleemosynis collatas fuisse; verum utrumque hodie cœnobium silet. Ad Diœcesim & Comarchiam Agrigentinam *Sicaliana* spectat; ab illa enim urbe pass: circiter M. XVIII. totidemque a Sacca distidet. Ejus sub Carolo V. larium census exiguus adnotatur, scilicet 38. & anno MDXCV. incolæ 564. sunt numerati. Sequentis sæculi anno XII. descripti lares 310. opidani 1029. Anno MDCCXIII. foci 765. animæ 3042. quæ novissimè 4047 Ager messes copiosas suppeditat, frugesque omnis generis profert; adeout ex publicis Emporiis unum, *Sicalianense* computetur, suis promptuariis, horreisque satis commodè instructum, ac Turri ad præsidium munitum. Altitudo XXXVII. XXV. circiter, longitudo vero gradum XXXVII. attingit.

Dynastæ, sive Barones non ante *Fridericum Claromontanum* elucent, qui arcem condidit sæculi XIV initio; anno enim ejusdem XI. mortalis esse desiit, Typographi hinc erratum apud Fazellum reputes, ubi in annum L. arcis constructio rejicitur. Friderico fuit filia *Constantia* unica bonorum heres, ex qua *Antonius Carrellus*. Hic anno MCCCCVIII. in Martini Regis censu *Sicaliana*, pro parte, Dominus dicitur; pars vero altera jure uxoris ad *Andream de Caro* spectabat. Alphonsi ævo *Gilibertus Isfar, & Corillus* Siciliæ Magister Secretus Arce potiebatur, & congregandi rursus homines, nec non usus gladii potestatem impetravit, demum *tractas*, uti appellant, ad sex m.

liberè

liberè ex Emporio educendas MCCCCXXXVIII. obtinuit. *Gilberti* filius *Joannes Gaspar Vincentium* genuit, qui *Guilelmo Valguarnera Siculianam* vendidit, *Trapetis* tamen sibi retentis; hinc *Fridericus* ipsius hæres Arcem ad se revocavit, suisque transmisit, quorum postremus *Blascus* fuit Catholicæ Dux, vir bello & pace clarissimus, ex conjuge enim Laurea Cajetano Joannam unicam filiam suscepit, *Vincentio Bosco* Misilmeris Duci nuptui traditam, & Catholicæ Principem, Philippi III. privilegio MDCXX. designatam. Horum successores ad *Josephum Bonannum* hodie *Siculianæ* Dominum vide ubi de *Catholica*.

SILARUS Fluvius ille ab Adria dicitur, qui prope S. Viti Caput sub Eryce mari illabitur. Massa Silarum in Italia recognoscit cum Strabone.

SIMOENTUS Fluvius, sive *Simois* in finibus Segestanis, ubi plures sunt latices, S. Bartholomæi amnem augentes. Trojani siquidem, qui sedes ad eam oram statuerunt, ubi Thermales aquæ Segestanæ ab urbe cognomine appellatæ, scaturiunt, eidemque S. Bartholomæi, sive Frigido illabuntur, a patriis fluminibus Scamandro, & *Simoente*, vocabulum illis indidere: Strabo lib: 13. *Quidam ajunt, ad Ægestam Siciliæ trajecisse Æneam cum Ælymo Trojano, & occupasse Erycem, Lilybæumque, amnesque apud Ægestam denominasse Scamandrum, & Simoenta*.

SITTANA Opidum vetus apud Diodorum: *Inde ad Sittanam* Amilcar *progressus summa vi urbem expugnat. Hinc ad Camicum se convertit*, Amanuensis errore pro Hippana *Sittanam* scriptum putat Cluverius. Carusius vero *Sittanam* olim vocatum Politium mordicus adstruit.

SMENEUM *Sorgentium*, de quo dixi.

SO-

SOLANTUS Arx post Zaffaranæ promontorium, sub australibus Alfani, seu Catalfani montis radicibus, in Panormitano littore, ad Emporii, & Cetariæ cognominis custodiam. *Francisco de Cosessapte Barchinonensi* anno MCCCXCII. Martinus Rex ob grata illius servitia, attribuit; cujus filius florenis aureis V. M. D. acceptis *Conrado Spatafora* vendidit MCCCCXV. *Gerardus Alliata* mox obtinuit jure uxoris *Margaritæ Spatafora Joannis Antonii* filiæ & hæredis. Ob sibi desponsatam *Juliam Alliatam* anno MDCIX. *Joseph de Bonanno Solanti* Dominus evasit; unde *Nicolaus* prodiit primus *Solanti* Princeps Philippi IV. privilegio. Improles hic vita excedens *Joannem Joppulum* sororis Lauræ filium successorem habuit, Andegavii Ducem, cujus ad hæc nostra tempora Nepotes *Solanti* Principes dicuntur. Verum anno MDCLXXXII. *Solanti* Arx, Cetaria, & non angustus Ager ad *Marcum Antonium Joppulum* devenere, qui ab Alliatis jura *Solanti* ad se revocantibus, emit. *Baltassar* ex eo genitus S. Eliæ Princeps hinc hodie possidet, Arcis instaurator.

SOLOENTUM, & aliter *Solus* urbs vetustissima, & Phenicum colonia, in monte hodie *Catalfano*, aliter *Alfano*, qui postremus est eorum collium, amplissimum Panormitanum agrum ambientium, ad ortum, & cum Gerbino conjungitur. Ptolemæo dicitur *Olis* lapsu fortasse exscriptoris, Romanis Itinerariis *Soluntum: Parormo, Solunto* XII. *Thermis*. Memoratur præterea Hecatæo apud Stephanum, ubi emendat scitè Cluverius: *Solus Siciliæ oppidum*. *Nomen autem accepit a Soloente peregrinos hospites male tractante, quem Hercules interemit*. Nempe in fabulosa illa totius Siciliæ peregrinatione a Peloro ad Erycem, in qua obvios quoque tyrannos ille confecit, & Erycem

tan-

tandem gigantem singulari certamine devicit. Plinio lib: 3. cap: 8. *Panormum, Solus, Himera cum fluvio.* Ciceroni Ver: 2. & 3. cui gentiles appellantur *Soluntini*. Thucydidi lib. 6. *Phœnices præterea circa omnem habitabant Siciliam. At postquam permulti Græcorum illuc cum navibus trajecerant, relictis plerisque, Motyam, & Soluntem ac Panormum, finitima Elymis opida, sedibus ibi positis, una incoluerunt.* Factum id, subdit Cluverius circa Olympiadem L. Apud Fazellum descriptas ejusdem ruinas, situmque habemus; novissime vero ad eas se conferens Gabriel Lancellottus Castellus Turris Mutiæ Princeps, inter Arcades Selinuntes Drogonteus, accurate adeo in Epistola tom: I. Memor: Sicil: Litterar: inserta, rudera hujusmodi exposuit, ut vel in oculos illa incurrere meliori certe modo vix possent.

Vernis igitur feriis, quum ad suburbanum in Bayharia se contulisset, *Soloenti* reliquias speculaturus, eques ad montis Alfani radices venit, prope Oratorii Panormitani S. Philippi Nerii villam, cunctaque circum montis latera ardua, inaccessa, densisque dumetis obsita advertens, quo posset ad suprema evadere desperabat, sed urbi tam celebri nullum fuisse pervium olim iter, quum sibi in animum inducere vix posset cc. pass: inde ad sinistram deflectens, in tramitem incidit vepribus quidem occupatum, ascensu nonnihil difficilem, sed lapideis ingentibus laminis stratum, atque antiquis temporibus commeantibus frequentissimum, uti satis vestigia demonstrabant. (Hic unicus ad urbem aditus, ascensu perdifficilis, Fazello memoratus) Et rectus sane quamvis non esset, sed juxta montis indolem varie obliquus, in occasum tamen ad M. ferme passus ducebat. Excipiebatur mox

angusta area, leviter inclinata; atque hinc orientem versus, iter rursus acclive aperiebat; quo emenso urbis ruinæ sive potius reliquiæ pene innumeræ occurrerunt. Nihil enim integrum superest, nec nisi lapidum tumoli, imis aliquot substructionibus exceptis, videntur. Mœnium circa e saxis ingentibus vestigia perdurant, quę vetustissimis Panormi ædificiis respondent, Phęnicum olim opera, atque industria erectis, ambas enim urbes Phęnices condidere. Ambitus binis circiter pass: м. comprehenditur, vallisque in austrum tendens aliqualiter plana in duas illam dividit partes. Undique insculpta saxa, bases, epistylia columnarum frustra, capitola, hisque similia repræsentant, & non vulgaris artificii, quorum in Collegii Societatis Jesu Museo fragmenta asservantur. Integra columna in fossam delapsa, striata, cum aliis ad molis cujuspiam, seu templi ædificium spectans, digna est, quæ videatur, ubi & complures etiam dentatæ coronidinis partes; quin & musivi operis octopalmare frustrum, quod albo & nigro lapide tessellatum ad ejusdem artificii pavimentum olim, aut parietem concinnandum aptari potuit.

Inter hasce ruinas quum aliquando repens laudatus Castellus nunc unam, nunc aliam præteriisset, ad collis tandem oram mari imminentem deveniens; ibi urbis circa ortivam oram terminos esse advertit; ingens quippe præcepsque rupes ad subjectum usque littus patebat, cujus supremas crepidines, arcis instar, magnæ molis substructiones & vestigia occupabant, ulnas xv. in longitudine, viii. circiter in latitudine habentis, nec nisi avulsa undique saxis saxa, tristesque reliquias ostentantis. Complanatum hinc supercilium per aquilonare latus in occidentem, to-

tius

tius sinus e *Zafarana* promontorio ad Cephalędense, jucundissimum prospectum offerebat, qua parte etiam pomœrium claudebatur. Cisternæ apud Fazellum memoratæ minime perseverant, sed laterum fragmenta, ac diversi generis vasa, seu illorum segmenta frequentissima occurrunt, ex quibus aliquot se collegisse Castellus fatetur, qui eodem itinere redux, ad collis ima, unde ascenderat, innumera offendit, colonorum indicio, in vivo lapide excisa sepulchra, iis omnino æqualia, quæ passim in agro Panormitano occasum versus deteguntur. Hæc Selinuntes Drogonteus in Epistola.

De *Solenti* origine aliqua jam protuli ex Hecatęo apud Stephanum, quod illi scilicet nomen dederit *Soluntes* prędo, ab Hercule interfectus; tum ex Thucydide colonos Phęnices *Soluntem* accepisse lib.6. enarrante. Phęnices vero ante Græcas Colonias, negotiandi cum Siculis caussa in Insulam sunt delati. Hinc cognatis populis *Solentinos* adhæsisse, Carthaginiensibus nempe, Himeram sub Amilcare Duce obsidentibus, in Actis Gelonis habemus. Quum enim equites *Solentinos* Pęni in auxilium expectarent, Gelon ex suis selectissimos Solentinorum ritu, & habitu noctu ad circumvicina loca lustranda emisit, qui ut jussum fuerat, illucescente ad navales Carthaginiensium copias pervecti, & intra munitiones pro Solentinis sociis admissi, in Amilcarem sacrificantem irruunt, eumque trucidant, mox ex aris in naves ignem injiciunt, & hostium castra cęde & incendio fędant. Secuta Gelonis de omni Pęnorum exercitu plena victoria, uti in Historiis; ateniam, quid de *Solentinis* tunc actum, nullibi proditum invenio. Quum Gelon non diu post Penis pacem postulantibus, Damaratæ

uxoris vocis annuens, dederit, & *Soluntinis* quoque illorum sociis veniam indulsisse planum est opinari. Sub Dionysio porro, qui seris temporibus Carthaginiensium in Sicilia ditiones invasit, & Motyam præcipuam eorum arcem expugnandam suscepit, reliquis Sicanis Civitatibus adjungi, & suppetias illi tribuere recusavit, paucis immo cum aliis Pœnorum sociis in fide perstitit. At primo bello Punico nihilominus Romanis adhæsisse Diodorus affirmat. Idem lib: 14. de Tyndaritanis loquens, quod Cephalœdium, Ennam & *Soluntum* per proditionem suę ditioni adjecerint, tradit. Quo fuerit excisa ævo incertum, quamvis Petrus Diaconus per Sarracenos devastatam, ingentique incolarum strage affectam evulgat.

Sed & vetustam illius magnificentiam numismata, quæ remanent præ cęteris pandunt. *Primum* enim apud Parutam ex ære Minervæ caput, lauream que coronam exhibet, in cujus medio vox est COΛON-TINΩN. Alterum Herculis leonina exuvie contectum caput cum inscriptione COΛONTINON, & Erucam, aut quid simile insectum animal repręsentat, senas inter Pilas cum literis, quas Phenicias appellant: Xϕ7Y. Sed Gręcas ego dixerim. III. huic simile pilas habet tres. IV. Minervę & Neptuni facies dat, ac hujus laurea præcinctum est caput, & circa collum Tridentem præfert. In V. ejusdem ectypi, corona deficit. VI. denique simile caput laureatum, & virilem figuram lorica & scuto instructam de genu flexam ostendit.

SOSSIUS Fluvius. Memoratur Ptolemæo, qui circa illius situm suo more erat; Nam inter Isburi amnis ostium, & Pintiam opidum locat. Cluverius designatis recentibus amnium nominibus, iisque cum antiquis collatis, *Sossum* illum dicit, qui prope Lilybęum

pro-

promontorium, sese mari admiscet, & *Marsala* nostris dictus appellatur. De Marsala porro fluvio hæc habet Fazellus lib: 6. Dec: 1. cap: 5. *Ulterius*, idest post Turrim Sibyllianam *Marsalæ fluvii est ostium, qui pass. II. M. a mari recedens, caput habet ex pluribus fontibus, quibus ab ipsa re Caput Fluvii nomen inhæret; auctumque mox e fonte maximo Favara nominato. A capite is amnis atque ad fauces domesticis quorumvis fructuum arboribus est refertissimus, ad cujus etiam capita, tractu fere, qui inde ad urbem usque protenditur, aqueductus lapidei magna parte diruti adhuc visuntur, quibus hæ aquæ olim ad Lilybæum urbem deducebantur*. Hæc Fazellus, qui *Sossium* Ptolemæi nihilominus alibi recognoscit; ait enim ejusdem libri cap: 2. *Ad pass. II. M. post* Mayhasoli fluminis ostium, *ordine succedit Sossi fl. ostium Ptolemæo, Calatabellotta ab ejusdem Saracenici nominis in editissimo monte, sito oppido appellati*. Atenim alibi Mayhasolum, Albam, seu Allabam antiquorum cum eodem Fazello esse quidem affirmavi; Calatabellottam vero Isburum appellatum dixi. Vide *Isburus* & *Alba*.

SPECULUM Mons Panormitanæ regionis, aliter *Giordanus*, de quo actum. Dicitur etiam *Porcella Maris*. Vide *Giordanus*.

SPECUS P. In agro extat *Sanguineo* ditionis Drepanensis Montis, sive Erycis, & planitie *Alastrorum*, ad quam per angustum os ingressus patet, præruptisque viis deorsum ducentibus, quarum nondum mortales terminum invenisse testati sunt, in varias cavernas aditus aperitur, id præter profunditatem, notatu dignum habet, quod frequentissimas diversæ magnitudinis columnas e cryptarum fornicibus dependentes ostentat, continuis aquarum stillicidiis efformatas,

matas, uti *Vitus Cordicis* in *Erycis* descriptione testatur. Qui alterius insuper Specus profundæ & laxioris in agro de *Loccis* ejusdem territorii meminit, ubi lapidea filamenta, æquali prorsus naturæ artificio confecta, ingenti cum voluptate spectantur. In his porro nonnisi accensis facibus penetrare conceditur. In S. Viti denique promontorio, ejusdem Cordicis relatu, e crypta etiam aquæ stillantes lapidescunt. De Specu *Marrogna*, sive Gigantis dixi.

De illa Marsalensi ad III. ab urbe lapidem Pirrus scripsit, in quam descensus gradibus L. datur, piisque fidelibus Deiparæ Virginis statuam in ea venerantibus frequentissima habetur; olim vero celebri ordinis *S. Basilii* Monasterio, & Abbatia, cujus extant vestigia, decorabatur. De eo nonnulla protuli S. Mariæ de Crypta Panormitanum Cœnobium laudans; & Fundatorem Christodolum Rozzium Siciliæ Amiratum commendavi.

S. SPIRITUS Monasterium extra Panormum circa australes oras, Monachis Cistercienfibus a Gualterio Archiepiscopo, qui a fundamentis erexit MCLXXIII. conceditur. De eo Fazellus, & fuse Ego in Monasticis Siciliæ Notit: ubi fundationis diploma, Abbates cum ejusdem ordinis, tum Fiduciarios a Rege nominatos recensui. Anno MDXVI. Magno Panormitano Valetudinario Abbatia unita fuit; Ejusdem sæculi anno LXIII. Olivetanis Monachis Cœnobium incolendum traditur. Novissime iis abeuntibus, Minoribus Fratribus de Observantia datum est. Celebre dudum id fuisse ob Siculas Vesperas Historiæ produnt.

STAGNUM *Marsala*, Portus olim Lilybetanus. Vide Marsala.

STA-

STAGNUM *Mazara* Maritimum, mœnia urbis occidentalia alluit, ac per mille passus in mediterranea protenditur, portuosum, ac parvarum cymbarum capax. Consule *Mazara*

STAGNUM STAGNONUM. Ita appellatur maris sinus inter Boeum promontorium, & S. Theodori caput, in quo insulæ numero v. jacent, & salinæ in littore habentur. Vide *S. Pantaleonis Insula.*

S. STEPHANUS de *Bivona*, aliter de *Quisquina*, Opidum, quod ad Quisquinæ montis radices haud procul a Bivona sedeat, ita denominatum, originem sæculo XIII. recognoscit. Nobile a Pirro nuncupatur, ac Sinibaldi *S.* Rosaliç Virginis Panormitanę parentis juris fuisse dicitur, qui *Rosarum* & Quisquinæ montium Dominus erat. Ejus Major Parochialis ædes medio pene opido cum tholo, & æris campani turri, cujus frontem amplissima excipit area, *S.* Nicolao olim dicata, opera Friderici Claromontani, subinde *S.* Mariæ de Odigitria titulum obtinuit. Ejus est Rector Archipresbyteri dignitate insignitus, ac Filialibus Ecclesiis VIII. jura dat. S. Stephani Patroni antiquissimum templum circa occidentem anno MDLIII. Fratribus *S.* Dominici Opidi Dynaste attribuit, censusque ad cenobium ædificandum, dotandumque designavit, quod sub SS. Rosarii invocatione mox crevit; quum vero vetustate nimia S. Stephani affictum collaberetur MDCXXVI. in medium opidum Ascetas migrasse dicit Pirrus; Sedenim S. Stephano adhuc situm occupant proximum, ad eamdem occiduam oram. Carmelitæ extra opidum *S.* Elisæi Ecclesiam tenuere ab anno MDCXXXVI. quæ hodie pomerio adhæret ad aquilonem, a Dynastæ eleganti palatio, & Castello haud procul. Memorat idem Pirrus *S.* Mariæ Mag-

dalenæ veluti unam ex præcipuis Ecclesiam, & domum Hospitalem. De Quisquinæ Eremo jam dixi, quę circa montis latus in orientem opido respondet. Opidi viæ ample; Venale forum pręcipuum cum fonte & labro e marmore, circum ædes concinnè in quadrum dispositæ ambiunt. Alterum contra Castellum fonte exornatur marmoreo, laxiusque excurrit. Sub Agrigentino Pontifice, qui suum delegat Vicarium, Res sacræ, Clerusque degunt. Saccensem Præfectum indigena militia, & Castrinovi Comarchiam incolæ recognoscunt. Horum sub Carolo V. lares 222. descripti sunt, ac sub sæculi exitum capita 2800. numerabantur. Anno MDCXLII. lares 821. opidani 2959. Sed apud Pirrum foci 1550. cives 3465. Anno MDCCXIII. 973. foci, 3510. animæ censæ sunt, quæ in novissima descriptione 3588. inventæ.

Primus S. Stephani Dominus in Regiis libris *Joannes de Calatajerone* MCCCXX. recensetur; quem *Fridericus Claromontanus* excepit, Majoris Ecclesiæ, uti vidimus fundator. Anno MCCCCVIII. in Martini Regis censu *Bernardus Berengarius Perapertusa*, *Baldazonus de Baldazono*, *Matthæus de Palmerio*, & *Masius* seu *Thomas*, *Antoniusque Pancira* fratres pro quarta parte principabantur. Pirrus anno MDLIII. *Vincentium Lercaram* Dynastam evulgat; eodemque sęculo XVI. *Alphonsum de Ruis S. Stephani* Baronem invenio; hinc *Maria de Ruis Carolo Vigintimiliio* nuptui data, huic S. Stephani dominatum dotis nomine assignavit. Ex his *Petrus* Colisani Comes, Gratteri dominus, & Panormi Prætor, in Numismate a S. P. Q. Panormitano ob multa in patriam merita in ejus honorem cuso appellatus, qui primis nuptiis Mariam Grisco, secundis Juliam Alliatam duxit, tres-

que

quæ assecutus est filios *Carolum*, *Alphonsum* & *Laurentium*. Horum primi improles decessere; *Laurentius* post fratres successor in bonis, Felicem Rosselli primo, & mox Mariam Filingeriam sibi copulavit, habuitque filium *Franciscum* ante patrem fato functum, qui ex Nympha Afflicto Belmontis Principe *Cajetanum*, & Vincentium suscepit. Cajetanum sine prole defunctum *Joseph Emmanuel* Vincentii filius excepit, Belmontis hodie Princeps, *S. Stephani* Baro Regis ad Venetos nuper legatus, de quo alibi. Jure gladii utitur, sed in Comitiis votum non profert. Est Opidi longitudo grad: xxxvii. xl. latitudo xxxvii. xl. Illustrem genuit fœtum Vincentium Trojnam Ordinis Prædicatorum, ab eximia pietate, & scientia commendatum, qui S. Citæ Panormitanum Cœnobium teste Pirro, sanctissime rexit. Laudat Mongitore in Bibl: Sicl Joannem Albergum insignem Medicum, qui Chirurgiæ praxim multis libris Panormi edidit, floruitque hoc sæculo.

Ager *S. Stephani* Cereris & Bacchi ferax, opulentas messes, vindemiasque suppeditat; pascuis frequens, ac venationibus aptissimus incolas ditat; Nec piscatu caret; lacum enim non angustum circa occiduas habet plagas, quem ingens aquæ gurges progignit, & *Mandratiæ* latices augent, ubi mulli & anguillæ ubertim nutriuntur, & quæstum incolis non levem pariunt. Circa ejus extremas oras pons, sub quo per canales in clausum receptaculum ad piscium capturam aquæ corrivantur, quæ aliis a *Favara* fonte oriundis conjunguntur. *Favara*, de cujus echino alibi dixi, ad australe opidi angulum exsurgit, molisque frumentariis volvendis adhibitus, caput est amnis Albæ Veterum, Mayhasoli hodie, cujus sunt ostia

inter Isburum & Halycum in Saccensi littore. Jam ad hibernum ortum Quisquinæ mons, ejusque nemus altis ilicibus, saltibus, dumetisque densum, nec tamen injucundum, nec venatoribus ingratum. Designatur denique haud longe a *Favara* in levi tumulo Sinibaldi Comitis domus, seu locus, ubi illius surgebant ædes, & Diva Rosalia a parentibus educata fuit.

STERIS *Panormi* gentis Claromontanæ ingens, ac celebre palatium in area maritima ejusdem urbis, occasum respiciens, ac situ elatiori, ex quadratis lapidibus constitutum. Fazellus *Prominentes Manfredi Claromontani Motycæ olim Comitis insignes veteris architecturæ ædes anno salutis* MCCCXX. *structas Hosterium* ætate sua appellatas, dicit, & vulgi vocabulo *Sterim*. Ibi Martinus Rex post Andreæ Claromontani mortem, Regiam statuit Curiam, in qua ad Regni negotia pertractanda Consulares convenirent. Hodie pars earumdem ędium Quæsitoribus Fidei cessit, pars ad publicas asservandas merces destinatur, ac Regium idcirco dicitur Telonium, vulgo *Dogana*. Invegius in Carthag: Sicula lib: 2. cap: 6. Inscriptionem refert in eodem Palatio ad aulæ tectum effictam, ubi annus MCCCVII. quo constructio incepta, adnotatur. En illa: *Anno Domini* MCCCVII. *Indictione* VII. *Mense Junii Magnificus Manfredus de Claromonte Præsens Opus Fieri Mandavit Feliciter Amen.* Ultimam vero manum eidem ędificio Manfredum II. anno MCCCLXXX imposuisse, altera docet epigraphe in tecto aulę etiam alibi exarata: *Anno Domini* MCCCLXXX *Primo Maii Ind.* III. *Hoc Opus Completum.* Et in alia legitur: *Hoc Opus, Hanc Salam Manfridus De Claromonte Fabricari Mandavit Anno* MCCCLXXX In eo coacta non semel Regni Comitia docent historiæ.

SUL-

SULTANUS Fons Marsalensis Fluminis, seu Sossii Ptolemæo memorati, de quo actum.

SUMMANTINUM Opidum in Agrigentina Diœcesi, & Comarchia Narensi ad Himeræ Meridionalis, seu Salsi fluminis dexteram ripam, Comitatus honore ab anno MDCXXV. insignitum. Ortum habuisse dicitur post medium sæculum XIV. in agro cognomine, loco parumper declivi, ad orientem & austrum. Parochialis Ecclesia S. Barbaræ Virg: & Mart: sacra, uti opidi principalis Patronæ, sub Episcopi Vicario, curam habente animarum, quatuor alias Ecclesias filias recognoscit. S. Mariæ de Jesu Minorum Observantium Conventus anno MDCXXXVII. fundatus, paucos post annos, ascetis ab eo revocatis, defecit; nomenque vacuum locus conservat. Tenuit porro agrum olim nobilissima gens *Tagliavia* ad annum MCCCCLVI. quo *Salvatoris Tagliavia Antonia* filia hæres, relicta *Gerlandi de Porta* equiti Panormitano nupsit, qui *Summantini* idcirco Baro jure uxoris est dictus. Ex his *Salvator* II. unde *Gerlandus* junior, qui Constantiam de Brando conjugem ducens, Bigenis Dominus evasit. Eorum filius *Andreas Gastonis* genitor fuit. *Gasto* S. Jacobi Eques *Marianum* procreavit, qui circa seculi XVI. exitum floruit, *Gaspar de Porta Isfar & Corilles* ex Mariano, primus *Summantini* Comes, Philippo IV. annuente evasit, quem prole fraudatum *Victoria* soror excepit, *Matthæo Lucchesio* Camastræ Domino nupta; unde *Jacobus*, cujus unica filia & hæres *Joanni Octavio Lanceæ* Trabiæ Principi uxor data, hunc & suos alibi laudatos *Summantini* Comites effecit. Gaudent jure gladii, in publico Regni Consilio locum XXIII. occupant, & Magistratus eligunt. Latitudo opidi est grad: XXXVII. XX. longitudo

xxxvii. xx. Ager & amplus & fecundus; Lares anno MDLXV censi sunt 226. incolæ 702. Sequentis sæculi anno XII. foci 239. opidani 922. Nostro hoc ævo lares 282. cives 1086. & novissime 1398.

SUTERA Civitas Regia, cujus Magistratui locus est in Comitiis xxxvi. *Subtilissima* titulum refert, quod aere saluberrimo utatur, ac montem, qui senos habet ordine vertices, superposita corona, pro tessera ostentat. Nomen a Græcis illi inditum fabulantur; Nam *Sotir* apud eos *Salvator* sonat, egregiumque *Suteræ* castellum, situ inexpugnabile, certam salutem, securumque perfugium contra hostes civibus præstabat. Ejus apud veteres mentio extat nulla; quod enim ibi steterit Camicus, nonnullis perperam persuasum. Occupabat quidem illa collis clivum, rupibus asperum, qui vix adiri poterat unica via, qualis est hodie *Suteræ* situs; Sed Camicus in Agrigentino agro, immo ipsa Agrigenti arx olim fuit, uti alibi reposui; *Sutera* pass: M. xx. mir i.uum Agrigento abest. Supremus igitur montis apex *Suteræ* arcem substinet, undique præcisus, sub qua ortum versus, & aquilonem olim civitas extendebatur; hodie vero SS. Honufrii & Paulini Basilica cum eremo, sub Sacerdotis, ejusque æditurum cura sedet; In ea eorumdem Divorum sacra corpora thecis argenteis conclusa custodiuntur. Mœnium pars adhuc durat, nec portarum vestigia desunt, reliqua ruinam ostentant.

Rabetum idest Suburbium infra succedit ad lapidis jactum circa meridiem, ibi majus Parochiale templum Deiparæ in Cœlum Assumptæ sacrum vetustatem redolet, & ab Joanne Claromontano Friderici III. ætate ædificatum passim creditur. Ejus curat famulatum Archipresbyter cum pingui dote, cui

mistæ

mistæ xiv. adstant. Ædes civium, sed raræ illud ambiunt, quæ majori numero in *Rabatelli* subriguntur. Est hęc veluti regio ii. alteri subjecta ac S. Mariæ de Carmelo veteri cęnobio decoratur. Id Textum in Sicula provincia audit, & æreum vas antiquissimum, pro SS. Eucharistiæ Sacramento asservando, Urbani II. tempore, uti inscriptio docet, conflatum, nec non codicem M. S. Breviarium juxta Jerosolymitanum ritum religiose custodit, unde cęnobitas ex Jerosolymis huc migrasse colligitur. Tertia urbis pars *Jardinellum* B. Agathæ V. M. Catanensis parochiam continet, cui Presbyteri cum Clerici in unum corpus coalescentes inserviunt. Ab anno MDCIX. Minores Conventuales hic domicilium habent, qui olim anno MD. in æde S. Mariæ de Jesu ad jactum lapidis coaluere. Hanc minores Capuccini MDCXXIV. subinde occuparunt, paucisque ab hinc annis subsidens terra labefactavit, Fratres idcirco oppo tutiorem in locum se receperunt. In ejusdem *Jardinelli* vico Monasterium sacrarum Virginum Benedictinarum sub S. Mariæ de Gratia titulo concluditur; Mons insuper Pietatis, & domus Hospitalis videntur. *Palminellum* denique humiliori loco cum S. Viti Ecclesia, & Capuccinorum novo Asceterio postrema est regio, quam & recentes, frequentioresque ædes occupant. Vicis hisce per montis latera veluti gradatim impositis *Sutera* constat, ex quibus una conflatur civitas, sed & cryptæ frequentes occurrunt, quibus coloni utuntur, ad radices usque, quas Platanis fluminis aquæ alluunt, & ab agro Fontis frigidi alibi descripto dividunt.

Erant Caroli Cæsaris ęvo *Sutera* lares 779. sed anno MDXCV. 912. censi sunt cum opidanis 3452. Pre-

cut


rus laribus 812. incolis 3324. *Suteram* suo ævo constare scribit. Ex Regiis vero libris foci 684. cives 2576 numerabantur: Anno MDCCXIII. foci 594. animæ 2302 & novissime 2487. computantur. His Criminum Quæstor, Jurati Patres, Syndicus, ac Judices in Lege periti jura administrant; Agrigentinus Episcopus sacra per suum Vicarium moderatur. Militiæ indigenæ Agrigenti etiam Præfectus curam gerit, sub quo equites x. pedites 52. merebant; ac Comarchiæ denique Caput esse gloriatur. Tenuit illius regimen aliquando gens Claromontana ab anno MCCCLXVI. quo Fridericus III. Rex ob præclara *Joannis de Claromonte* merita, resque egregiè, terra, marique gestas illi *Suteram* attribuit, *quam quondam*, inquit in diplomate, Ragusiæ XI. Maji signato, *Nob: Rogerius de Scandilfo Miles a Curia nostra sub certa forma tenebat, & propter ejus obitum, liberis de suo corpore legitimis non relictis, Terra ipsa est ad manus, & dominium nostræ Curiæ justè & rationabiliter devoluta cum Castro, pertinentiis &c.* Ante Claromontanos idcirco *Rogerius* in clientelam acceperat. Id autem ejusdem sæculi annum XXV. non præcessit; In censu enim Friderici II. ex Siculis Dynastis, Sacramentum pro *Sutera* dixit nemo. Ad *Joannis* igitur *Claromontani*, qui majus templum jussit, hæredes *Suteræ* dominium transiit, quorum postremus *Andreas* fuit. Ab hujus morte Martinus Rex Guillelmo Raymundo Moncadæ concessit, quo ab officiis recedente; sibi Princeps *Suteram* adjudicavit; Hinc in Comitiis de anno MCCCXCVIII. Syracusis coactis, Regias inter Urbes *Sutera* venit. Sub Joanne mox inter alia Siciliæ statuta, id sanctum legitur, quod *Sutera* nullo unquam tempore Dynastis subjiciatur. In summa Regii ærarii penuria derogatum aliquando elapso sæculo huic privilegio

vilegio fuit. Verum cives, soluto Dynastis de Bononia pretio, ad pristina jura redierunt.


Præclaris gloriatur civibus: Hieronymo Jovino ab eloquentia, eruditione, gravioribusque scienciis commendato, pluries e suggestu cum plausu audito. Qui Aragonii Opidi primum Archipresbyter, mox Agrigentinus Canonicus effulsit; zelo animarum ardentissimo, morum sanctimonia, aliisque virtutibus ornatus, carus omnibus vixit, ac sedulum S. Francisci Salesii æmulatorē, ad mortem usque se præbuit, quam MDCXCIII. piissime obivit. Edidit aliquot Orationes, edendasque complures alias reliquit. Hieronymo item Minoritano monacho strictioris observantiæ, viro a spiritus fervore, ac vitæ inculpatæ exemplis eximio; dum Romæ Pœnitentiarii munere in S. Joannis Lateranensis fungeretur MDCXVII. ad Cœlos, uti creditur, evocato. De quo Arturus, & Tognoletus. Scripsit vitam Franciscæ Ricciæ Drepanensis Virginis, pietate insignis, cujus conscientiæ moderator diu extiterat. Quod porro de Sanctis Paulino, Honuphrio, & Archirione *Suteræ* Patronis, & Tutelaribus vulgatur, cives scilicet fuisse, inter aniles fabulas computant Eruditi. Ex oriente eò advectos, ut Evangelium promulgarent, tenent aliqui, ex Siculis Agiographis, sed a quo missi fuerint dubitatur; nam a S. Petro Apostolo, nonnullis dicuntur destinati, quod non videtur procedere. Omnia quum sint obscura, quæ de ipsis feruntur, certi nihil de gestis, aut patria, aut tempore decerni potest. Cęterò traditionibus aliarum urbium Suterenses concordant, quod Evangelii scilicet caussa complures in insulam delati, Diœceses inter sese partiti fuerint, & Philippo Agyra, Calogero Sacca, *Sutera* vero nostris obtigerit. Hinc id firmare sufficiat,

ut

ut vulgari satisfiat pietati, rite eorum vigere cultum, ac exuvias venerari. Quod Paulinus autem celeber ille sit Nolanus Episcopus, cui ex Africa redeunti placuit solitudinem *Su-terae* proximam incolere, ibique corporis sarcinam deponere, putidum sapit commentum. Consule Cajetanum in *Idea*. Respondet *Suterae* polaris altitudo gradui xxxvii. xxxvi. longitudo vero ad grad: xxxvii. xxx. extenditur. De Agro monti subjecto, aquis irriguo; quamvis angusto, fertilitate nihilominus praecipuo, frugibus, vineis, oletis conferto, & ad venandum satis apto, dixisse sufficit, quod nulli alteri ex circumjacentibus decedit.



TABA-



ABARUNIS Castrum in Censu Martini Regis de anno MCCCCVIII. memoratur, ac juris esse dicitur *Bernardi Berengarii de Perapertuso*, ad quem S. Stephanum de Bivona spectare alibi reposui.

TAMMETH, Aquæ Segestanæ, Calatamet hodie appellatæ, de quibus suo loco.

TAYHANA Rupes in Saccensi, seu S. Calogeri monte, Jummariarum aliter, sub qua crypta aperitur, ubi vox repercussa, aliter Echo, clarissime ac distinctim sonum reddit, non secus ac antrum vocale apud Syracusas. De ea Fazellus.

TAYHURUM Sarracenici nominis dirutum opidum, quod præterlabens Jatus fluvius, ejus sibi arrogat vocabulum, haud procul a *Gisia* casale, quod jacet hodie, & sub Jato monte olim sedebat. Maurolycus *Tacurium* fluvium appellat inter Panormum & Castrum Maris, quod *Tahyurum* rectius Fazellus dicit, idemque est ac Jatus.

TERRA PULICORUM. Vide *Selinuntes*. Juxta illam *Selinus* fluvius mari illabitur; Ad hujus ripas Siculi Agiographi cccc. Martyres pro Christi Domini fide sanguinem fudisse referunt. Eos Selinuntinos Cajetanus evulgat. Verum jam ante annum ab Incarnat; CCXCIV. quo sub Diocletiano passi illi dicuntur, Selinuntes urbs defecerat, cique Mazara, proxima loco successerat, quæ & Selinuntes passim dicebatur, & proximus ei fluvius Selinus quoque audiebat. Quum Ego eorumdem Martyrum mentionem omiserim, ubi de *Selino* fluvio, & *Selinunte*, hodie *Terra Pulicorum*; Nec de Mazara loquens illos, uti

par erat, huic urbi adjudicavi, hic adnotare volui. Subdam insuper, apud Mongitorem in Sicula Bibliot: veteres *Selinuntinos* laudari: Thelestem scilicet, Diodoro, Athenæo, *Vossio*, aliisque memoratum, inter Poetas Comicos clarissimum. Claruit ex Vossio Olympiad: xcv. & in histrionica arte plurimum valuit. Aristoxenem omnium primum anapestico metro usum, Epicarmo antiquiorem, atque, Censorino teste, cum peritia, tum eloquentia modulati ex tempore cantus peritissimum; Floruit Olymp: xxix. ex Vossio. Aristotelem demum Oratorem præcipuum a Laertio inter ejusdem nominis celebres viros IV. loco enumeratum, de quo Volaterranus, Lascaris & alii. *Scripsit* Orationem adversus Isocratis Panegyrim.

TERRASINIS Opidulum sub Carinensis Principis ditione, a Favarotta, juris Monasterii S. Martini de Scalis, solo torrentis alveo discretum, atque idcirco dudum Cinisensi Parocho subjectum; Ecclesiam hodie habet S. Mariæ Gratiarum, in qua paucis ab hinc sacra incolis ministrantur. Sacerdos vero tributum Parocho pendet; Hic die festo Corporis Christi sollemni supplicatione de more instituta, per *Terrasinim* veluti Parochiæ suæ fines procedit.

THELMISSUS Fluvius Æliano, sive *Thermessus*, idem ac *Herbessus* Solini, ab aquarum calore appellatus, & Strabonis forte *Simoenta*. Influit in *S.* Bartholomæi sub Segesta, ubi Thermæ aperiuntur. Observat Cluverius lib 2. Fazellum dissimulasse fluenta illa, quæ sub Segesta *S.* Bartholomæi hodie, Frigidum aliter, augent, Scamandrum, ac Simoenta, quorum postremus calidas emittit aquas. De hoc porro loquutum Ælianum affirmat *Var: Hist: lib*: 2. *cap*; 33. dum ait: *In Sicilia Syracusani Anapum flumen viro assimilarunt, Ægestani autem Porpacem, Crimissum,*

& Thelmissum virorum specie venerantur. Solinus vero cap. 11. *Apud Segestanos Herbessus in medio flumine subita exaestuatione fervet*. Subdit hinc Cluverius: *Ego ex illo Herbessus scriptum fuisse Solino Thermessus, suspicor, qui Thelmissus dicitur Æliano.*

S. THEODORI Caput in Siculo occidentali littore cum promontorio Boeo Stagnum maximum, sive sinum, ubi insulę jacent, & vulgus Stagnum Stagnonum appellat, ab aquilone claudit. Id Ægitallis nomine fuisse veteribus notum Cluverius affirmat lib: 2. cap. 1. ubi & Castellum quoque recognoscit, quod Acellum alii appellarunt; Sed jam ad S. Viti Caput Ægitallum in superioribus, & congruentius statui.

THERMÆ HIMERENSES Urbs hodie *in primis splendida, & incolis frequens*, uti appellat Cluverius. *Termine* vulgari voce. *Himera* autem tulit vocabulum ab *Himera* celebri olim urbe, & haec sub fluvio cognomine fuit vocata, de quibus dixi. Vibius in *Catalogo*: *Himera oppido Thermitanorum dedit nomen Himera*. Plinius lib: 3. cap: 8. *Oppida Panormum, Solus, Himera cum fluvio, Cephaloedis*. Ptolemaeus *Panormus, Eleutheri ostia, Solus, Thermae Himerenses, Himerae fluvii ostium, Cephaloedis*. De Origine Diodorus lib: 13. *Dum Athenis summum Magistratum gerit Antigenes, Carthaginienses universum demum exercitum cogunt, & in hoc omni studio toti sunt, ut omnes urbes servitutis jugo subiiciant; Antequam vero copias in Insulam transportassent, volonum ex civibus, aliisque Afris delecta habita, novam ad ipsas calidas aquas in Sicilia urbem condunt, quam Thermas vocant*. Qui fuerit delectus hic civium Solitus in *Therm: Hist:* expendens, non ex infima plebe, aut ad militiam ineptos eos adstruit; In coloniam

quippe novam adscribere illos oportebat; qui ad Siculos hostes compescẽdos, ubi ferret occasio, potis haberentur. Verum hos primos Himeræ instauratores memorans Cicero Verr. 2. scribit: *Himera deleta, quos cives belli calamitas reliquos fecerat, ii sese Thermis collocarunt in ejusdem agri finibus, neque longe ab antiquo opido*. Hinc idem Diodorus lib: 14. ait: *Himilco cum Himerensibus, & Cephaledium habitantibus castellum amicitiam init*. Quod factum esse anno 21. postquam Thermæ conditæ, supputat Cluverius, qui subdit: *Quum igitur Himilco Carthaginiensium Dux, amicitiam Himerensium petierit, patet ex eo, maximam Thermis incolentium partem, non Pœnos, nec Afros, sed priscos Himeræ fuisse cultores*. Solitus igitur, quum ex Diodoro didicerit inter Hermocratis Syracusani Ducis socios Himerenses quoque adfuisse (Hic Selinuntem a Pœnis excisam paullo ante Himeram, denuo incolere curavit, collectisque utriusque urbis profugis civibus contra Carthaginiensium ditiones aliquando bellum gessit) ubi novam illi, a patria haud procul, deductam coloniam audierant, ad hanc convolasse optime opinatur, unaque cum Afris, longe tamen majori numero, transcribi in eam voluisse.

Non hic negaverim Sicanorum ævo, quum Hercules Siciliam circumlegeret, Nymphas ad Thermas adfuisse, uti alibi ex Diodoro reposui, ejusque labores oblato balneo, levasse; quæ sane arguunt loca hæc mortalibus jam dudum innotuisse, ac vicatim saltem culta fuisse. Gigantum aliunde per vicinia detecti non semel loculi cum ossibus, primis Insulæ incolis frequentia olim illa passim arguunt; At urbi *Thermarum*, quod auspicia post deletam Himeram

Pœni

Pœni, atque hujus excidio superstites dederint, apertè satis historiæ innuunt. Quod Dionysio subinde nostri adhæserint, quum hic Motyam sibi subdidit, & Pœnorum vires in Sicilia fregit, innuere videtur Diodorus; quumque varia hinc fuerit belli fortuna, imperium tandem Carthaginiensium subiere ad Agathoclis usque tempora, qui post multa præclare gesta, subjugatis populis per occiduam, australemque oram in alteram insulæ partem progressus *Thermitanos*, quorum urbs Pœnorum præsidio tenebatur, subegit, dataque fide missos fecit. Non diu tamen, pace cum hostibus composita, eorum rursus dominio cessit. Quo pacto a Romanis primo Bello Punico fuerit expugnata, Zonaras enarrat. Diodorus in *Excerptis Legat. Thermas & Liparam deditione in Romanorum potestatem venisse* scribit. Tunc, ait Solitus, urbis extensio contracta circa superiora, mœnibus concludebatur angusta, atque ex turribus variis in locis, inscriptisque lapidibus erutis, qui vetustis adhuc hodie parietibus adhærent.

Perstitit porro deinceps sub iisdem Romanis, perpetuoque illis adhæsit. *Senatus hinc Populusque, Thermitanis, quod semper in amicitia fideque mansissent, urbem, agros, legesque suas reddiderunt*. Publius Scipio, Bello Punico confecto, Carthagine expugnata, statuis, donariisque Græcanicis e Sicilia advectis repleta, Signa, quæ ad Himeram spectabant, *Thermitanis* restituit. *Erant autem ea*, teste eodem Cicerone, *ex ære complura; in his mira pulchritudine ipsa Himera in muliebrem formam, habitumque formata, ex opidi nomine, & flumine. Erat etiam Stesichori poetæ statua, senilis, incurva, cum libro, summo, ut putant, artificio facta*... *Erat Capella quædam*

& ea

& ea quidem mirè, scitè facto, & venustè. Neque his contentus Magnus Africanus, colonia, si Fazello deferimus, deducta, *Thermas* nobilitavit; & si alii id decoris nostræ urbi accessisse sub Augusto, affirmant, uti Inscriptio inferius exhibenda, videtur innuere. Potuit cętero ab Scipione Colonia augeri, & jacturam passa, denuo Augusto volente, novis conscriptis civibus frequentari. Marianis partibus interim, quum favissent, in Pompei odium *Thermitani* incidere; & jam hic illos perdere cogitabat, nisi Sthenius prę-clarissimus civis sese pro patria ostiam offerret. Hic idem apud Verrem postulatus, de literis publicis corruptis, strenue legibus patriis caussam agens, se purgavit; restitit nihilominus Prætoris avaritiæ tanta animi constantia, ut hoc nostrum opidum Verres invenerit prope solum, unde nihil rerum de publico per vim, nihil occultè, nihil imperio, nihil gratiâ, nihil pretio posset auferre, uti laudatus Cicero testatur.

Refert Gualterius inter permultos inscriptos lapides ad Thermas spectantes, literis cubitalibus exaratum unum AUG. SACRUM. Aliumque, ubi *Ordo, & populus splendidissimæ coloniæ Augustæ Himeræorum Thermitanorum* memoratur. Ex quibus deductam Thermas Himerenses ab Augusto fuisse Coloniã clarissime evincitur. Solitus *Hist: Therm: par*: 3. alterius lapidis fragmentum exhibet: *Ara Imp. . . Cæs. Et I. Jul. Matri Imp. Cæs.* Unde addictos Thermitanos Tiberio Cæsari Juliæ filio eruit. An sub ara locata extiterit inscriptio, in qua legitur: *Divo Commodo Aug. D. D. P. P.* aut alteri publico ædificio appicta, incertum; sed illud arguit: Reipublicę Principibus nempe, Cives vixisse addictos. Quonam vero

tem-

tempore, superstitione eliminata, Christi Domini fides illis affulserit; nam destinatus ad Himerenses Episcopus fuerit Apostolorum ætate, obscurum quoque omnino est. De S. Calogero ortu Calcedonense tradunt, quod Diocletiani persecutionis declinandæ caussa, in Siciliam circa *Thermitanas* oras appulerit, incolisque Evangelium ingenti cum fructu prædicaverit. Episcopi *Thermitani* in Conciliorum subscriptionibus anno CCCCLI. prima elucet mentio; suo enim calculo *Helmidium Thermensem Episcopum* Calcedonensis acta probasse legimus. Pirrus tres alios ex nomine recenset *Ecclesiæ Thermensis Provinciæ Siculæ* Pontifices. Et in Leonis Dispositione *Thermensis* Episcopus Syracusani suffraganeus decernitur. Tacet deinceps de *Thermis* historia, qualesque clades sub Gothis, aliisque barbaris populis, ac sub Sarracenis præsertim, perpessa urbs fuerit, alto silentio involvit; nec ideo per id temporis *Thermas* ab sua decessisse celebritate putandum; Constituta enim per Northmannos Principes Ecclesiastica Panormi provincia *Thermarum* agro definitur. Rogerii Comitis filia nuptui data Ungariæ Regi, Panormo nobili cum comitatu *Thermas* deducta, inde cum navi solvit. Quidnam voluerint cives innuere in illa epigraphe ✠ *In Diebus Rogerii Augusti*, quam affert Gualterius, & in Prætorio adhuc hodie alios inter lapides videmus, divinari nequit. Sed Regis Rogerii ævum indicat, quo S. Jacobi Apostoli vetus Ecclesia Parochialis, & præcipua habebatur.

Floruit subinde Regios inter Consulares Mattheus de Thermis, quem suum nostri mordicus adfirmant. Mundanis honoribus, quibus affluebat, hic valedicens, S. Augustini Eremitis accenseri voluit, &

Augu-

Augustinus est appellatus. De illius patria nihilominus Panormitani acriter contendunt. Gallis tota Sicilia exactis, Aragonenses rerum summa potiti, *Thermas* contra illorum conatus cum primis munire cogitarunt; brevi enim tractu quum Regia Panormus distaret, hujus securitati providendum, proximis arcibus firmatis, censuere. Roberto hinc Andegavensi Principi, Calabriç Duci cum electa suorum manu anno MCCCI. in insulam appulso, & *Thermas* obsidenti diu cives restiterunt, sed auxiliis destituti se dedere coacti, ejusdem Roberti, uxorisque Violantæ præsentia diu condecoratam patriam viderunt. Tunc Violanta Ludovicum filium enixa, partus incommodis perempta, vita excessit; cujus exanime corpus mox Neapolim traductum est. Rebus compositis Friderico Aragonensi urbs redditur; verum non diu post rursus in ejus perniciem Galli conspirantes, Bertrando de Balzo Duce MCCCXXXVI. suburbium invadunt, & incendio fœdant; tandemque Petro II. Regni potente, anno MCCCXXXVIII. ingenti classe *Thermitanam* oram invadentes, durissima obsidione urbem premunt, atque undique obvallant. Obnituntur incolæ ad plures dies, sed aquæ penuria laborantes deditionem faciunt, arce nihilominus obluctante, quæ & ipsa æquis conditionibus, quum siti quoque præsidiarii milites vexarentur, hostibus se tradidit. Hi superstites bello cives patria excedere cogunt, mox in mœnia, ædificiaque debaccantes, illa diripiunt, ac subvertunt. Ultus est Petrus injuriam, Gallosque ex arce, ubi sese concluserant, ejecit, moxque ex altera Brucati proxima expulit; *Thermitanos* patriis sedibus restitutos deinceps fovit, juvit, multisque privilegiis & immunitatibus donavit.

Refecta,

Refecta, ac in pristinum revocata decorem, Civibus advenientibus, abhinc quum fuisset, mœnibus atque ædificiis cum sacris, tum civilibus instructa, necnon longe majori ambitu ad oram usque maritimam ampliata, sub Ludovico & Friderico Petri filiis effloruit. Hinc Aragoniis Dynastis, qui Regii sanguinis erant, aliquando paruit, & Vigintimilliis in clientelam cessit; At Martino Regnante, denuo *Demanialibus* accensa, novis fuit beneficiis, & gratiis affecta. Alphonsi nihilominus jussu Antonio Vigintimillio Colesani Comiti, ob collatam in Regium pene exhaustum ærarium pecuniam, attributa, mox vero pristinæ libertati reddita, *Demanio* adjudicatur. Carolo demum Cæsare, qui Panormo Messanam proficiscens, *Thermas* invisit, volente, Joannis de Vega Proregis opera, mœnibus, ac propugnaculis noviter vallata, & Emporio insuper aucta, ad hanc nostram ætatem inter præcipuas computatur. Caput enim est Comarchiæ, novem sub se opida habens; Militiæ nationalis Præfectura gaudet, sub qua cxvi. Equites, dccc. Pedites dudum merebant, In Comitiis illius Magistratus loco xiv. sedet; Criminum Quæstor mero & mixto imperio, uti dicunt, utitur. *Splendida* titulum præfert; Montem Euracum, superimposito S. Calogeri simulacro, ad cujus radices Stesichori & Himeræ, media Capella statuæ effinguntur, pro stemmate ostentat. Hic Solini lapsum advertes, qui Cererem referre muliebrem figuram in tessera adstruit; quum in hac efformanda ad tria signa antiquæ urbis Himeræ, Scipionis liberalitate Thermitanis restituta alludere Antiqui voluerunt. Cōstat autem ex Cicerone Stesichori, Himeræ & Capellæ ea fuisse, nec Cereris facta ulla fuit mentio. Quod Himera porro Cornu-

copiam, & caput spicis ornatum gerat, ad ejus agri fertilitatem, atque ad Herculem refertur, qui Achelos cornu detraxit, Najadum opera fructibus refertum & Copiæ Deæ consecratum. Hercules aliunde Himerensibus specialiter cultus, uti idem Solitus testatur.

Sed jam ad urbis topographiam descendo. Post Himeræ & Torti fluminis ostia, in ortum & meridiem *Thermarum* agrum præfluentium, littus apertum occurrit, aquilonaribus infestis ventis afflatum, quod collis excipit, qua parte Tyrrheni maris fluctibus alluitur, præruptus, ab occasu autem & austro aliis adjunctus. Imminet lateri illi, ejusque excelsis molibus arx, variis munimentis, aggere, ac prætentis propugnaculis egregie firmata, cui subjecta urbs vetus ad hibernum occasum, area interposita, respondet. Hæc Fazello, aliisque Rerum Aragonensium Scriptoribus exigui ambitus dicitur, sed mœnibus vallata, quæque Gallis obsidentibus, uti in superioribus innui, pluries restitit. Perdurant refecta illius mœnia ad eamdem plagam adhuc hodie satis firma, binasque aperiunt portas a Panormo & Agrigento appellatas. Declive hinc arduum succedit, variis tumulis interspersis, ad cujus ima murus paucis a littore passibus dissidens subrigitur, in quo porta *Borettina* primum, mox Messanensis reserantur, & huic angulare propugnaculum hæret juxta recentioris architectonicæ leges ædificatum. Mœnium protensa in longum facies, contra navium stationem hinc sequitur, quam tres exornant portæ. Media a Regio Telonio, seu *Dogana* comptior, quæ ad sinistram, piscatoribus frequens, ab illis nomen habet, tertia ad dexteram humilior. Extremum muri angulum ad orientem

tur-

turritum occupat munimentum, mari impendens, nec inde procul porta Felix, quam ampla & recta oppidi via excipit, hinc rupes inaccessæ cum turri specula sub castro.

Externis hisce interiores cum civiles, tum sacræ ædificiorum moles minime decedunt; in arcis enim area ad austrum Major Ecclesia assurgit splendida, ampla, & magnifica; Frons quippe elegans cum æris campani turri in occasum respicit; navis præcipua, uti appellant, columnis e marmore ornatur; sacella, & illud præ cęteris B. Augustini Novelli, ubi ejusdem reliquias, a Senensibus anno MDCCXX. acceptas, cives venerantur, cultu decoro effulgent. Pręcipuum in ea occupat locum Archipresbyter, antiquissimæ institutionis; ejus enim est mentio Martini Regis ævo, Canonicum Collegium elapso sæculo institutum Divinis vacat officiis. Parochiæ curam idem Archipresbyter gerit, sub qua S. Marię de Consolatione in inferioris urbis centro ædes degit, Cajetano ob Deiparæ imaginem memorata, ibique sacris etiam administrandis opera impenditur. Minores aliæ Ecclesiæ eidem subjectæ inspectionem merentur: S. Mariæ Annunciatæ, in qua Christi Domini e cruce pendentis signum, prodigiis clarum. S. Ursulæ Virg: & Mar: sæculo XV. elabente constituta, hodie in concinniorem formam refecta, cujus turris vetustissima a *Saccaris* appellata, portui olim imminebat. *S.* Luciæ in tumulo ab anno MCCCCXXXIII. celebrata, in qua vetus sodalitium viget. S. Sebastiani Mart: elegantissimo opere marmorato nitens, cui Nobiles Albi sodales Oratorium adnexum habent; ut cęteras omittam ad civium pietatem fovendam variis sodalitiis addictas.

Inter adsectarum Domicilia primum origine S. Francisci Conventualium se offert Cœnobium, quod B. Gandolfus de Binasco medio ferme oppido veteri MCCLVI. ære publico collato, ædificavit. Ecclesia, & peristylium vetustatem referunt, & in illa nobilium familiarum sepulchra non pauca spectantur. Non diu Monialium ordinis Benedictini prope S. Petri Apostoli, olim claustrum coaluit, quod hodie deficit. Prædicatorum Fratrum Monasterium in Ecclesia S. Crispini primum, circa MCCCCLIII. constitutum, opportuniorem in locum, subinde in eadem superiori plaga, Joannis de Pistoja opera, translatum, Ferdinando Rege MCCCCXCIV. suis literis probante, firmatur; Id sub S. Vincentii Ferrerii auspiciis fundatum est, uti Joanni a mortuis resuscitato idem Divus prædixit, & æris campani magnifica turri instruitur. Anno MCCCCLXXII. interim Minores Observantes *Thermas* admissi sunt extra pomerium, titulo S. Mariæ de Jesu, Petri & Jacobi de Bruno opibus, nec non civium eleemosynis vel maxime adjuti. Atenim urbe laxiori situ amplificata, nunc pene in centro Conventus sedet, decenti structura conspicuus. Eodem dilabente XV. sæculo Sacrarum Virginum sub ordine S. Claræ & S. Marci titulo Parthenon ortum recognoscit. Ferdinandus Catholicus, ut suis regnis Judæi omnes excederent, edixerat. Horum Synagoga *Thermis* vacua, quum remansisset, Jacobus de Leo Minoritanus, Abbas S. Mariæ de Crypta, in aptiorem formam loco concinnato, Sanctimoniales ibi constituit, & S. Marco Evangelistæ Templum nuncupavit. Anno deinceps MDCXXII. Claustra nimia vetustate, ruinam minantia nobilis Matrona Virginia de Simone nedum instauravit, novisque ædificiis instruxit, sed censibus desi-

gnatis

gnatis pinguissimis, notabiliter auxit, hodieque alumnarum numero, & regularis observantiæ studiis, paucis decedunt. Capuccinis ad meridiem in colle locus est attributus amplissimus ab anno MDLXXVII. primo ab urbe lapide, uti Annales Ordinis referunt. Subinde haud procul a littore ad viam Mercatorum in urbe inferiori Carmelitis S. Rocchi Ecclesia MDC-XXX. cessit, quę Deiparę Virginis & S. Angeli nomen, venustior reddita deinceps tulit. Nec diu post in tumulo orientem versus intra pomœrium, unde prospectus est in mare jucundissimus, S. Francisci de Paula Fratres publico voto excepti sunt. S. Mariæ de Gratia erat ibi Ecclesia, cujus titulus intra majorem Basilicam translatus est, ac Monasterium S. Patriarchæ auspicio dedicatur. Minoritani demum Tertii Ordinis MDCX. S. Bartholomæi ædem in superioribus occuparunt, sed ea relicta XXIII. ejusdem sæculi anno ad extremum opidi angulum circa ortum æstivum, sub S. Mariæ de Portusalvo appellatione, decentissimum condidere asceterium, via tantum interposita, a męnibus maritimæ oræ dissitum.

Extra męnia ad Agrigentinam portam Minores Reformati S. Antonini nomine MDCXIV. Conventum, incolis stipem ministrantibus, statuerunt. Mox Societatis Jesu Collegium undetrigesimo sæculi XVII. anno, magnificentia, & amplitudine spectandum surrexit. S. Viti primum ejusdem presbyteris designavit *Thermitanus* Magistratus Ecclesiam; suppeditante vero Michaele Marino non levem auri summam, nec non nobilibus aliis viris census congruos deferentibus, brevi claustri ædificia, & Ecclesiæ, ubi ad clivum medius ascensus patet, promota sunt. Domum Hospitalem cum adnexa S. Michaelis Ecclesia Gregorius

gorius Salimpipis ab anno MCCCL. fundavit; elabentibus autem annis quum illa deficeret, S. Joannis de Deo Ascetis attributa, sub horum hodie religiosa & vigili cura degit. Pro fœminis autem Xenodochium aliud crevit. Virginum pauperum custodiæ conclave destinatur; ad egentium angustias levandas Mons Pietatis institutus, cujus penes Nobiles viros est administratio.

Jam publica alia ad urbis ornatum ædificia celebrantur: Civilis Consilii Basilica, quæ ante seculum XVI. auspicia habuit, & sequentis anno XL. circiter ea, qua nitet hodie magnificentia, absoluta, Magistratus Conventibus ineundis amplissimas continet aulas, & fori negotiis tractandis aptissima, opportuno situ ad majoris Templi sinistrum latus assurgit. Ejus in area fons ineunte sæculo XVI. constitutus, aquis redundans suavissimis. Emporium publicum cum officinis, horreisque ad messes condendas capacissimis in urbe inferiori, nec non addicta ad illius commodum in mœnibus porta. Hujus extat antiquis temporibus memoria Romanorum scilicet ævo, uti *Ver*: 4. innuit Cicero. Sub Carolo Cæsare medio pene sæculo XVI. instauratum, præ cæteris oræ hujus insigne evasit. Anno MDCXII. in urbem superiorem trasferendum Ossunæ Dux, Siciliæ Prorex duxit, ac granaria ad opus jussit magnifica. Verum res minime processit, atque, ubi primum fuerat constitutum, perstitit. Militum Stativa sub Arce, & sacra ædes ad illos spectans, civium opera, ære Regio extructa. Thermales fornices intra mœnia post portam Telonii, ubi ægrotis Balnei calidi usus saluberrimus evadit. Extat haud procul Fons *Baybutus*, cujus etiam latices poti, incolumitati efficacissimè prosunt.

Ma-

Magistratum porro Jurati Patres IV. ac Syndicus constant, qui in togis cum Clavatore procedunt; Criminum Quæstor custodes habet VIII. & jure gladii utitur. Illis publicæ salutis, & annonæ cura inest. Habito *Thermarum* censu sub Carolo V. foci 1747. inventi sunt, incolæ vero anno MDXCV. numerabantur 8250. Anno MDCLI. lares 2476. cives 9427. hujus nostri sæculi anno XIII. lares 1859. incolæ 7252. & novissime 8713. sunt computati.

Viros illustres *Thermitanos* Vincentius Solitus recenset, atque in primis B. Augustinum Novellum, olim Matthæum de Thermis, Siculos inter Consulares præstantissimum, dehinc S. Augustini Eremitarum ordinis decus. Bononiæ hic Jurisprudentiæ quum dedisset operam, magnosque in ea facultate progressus fecisset, a Manfredo Siciliæ Rege Amicus, & Consularis adscitus, rem aliquando in utroque Neapolis & Siciliæ Regno summa integritate & prudentia administravit. Post Manfredi mortem in patriam reversus, ac lethali morbo a Deo probatus, S. Augustini amplexus instituta, in eremum quamdam prope Senas incognitus se recepit; proditus subinde, supremo ordinis Præfecto socius primum, subinde tribus summis Pontificibus a secretis conscientiæ, demumque Generalis ordinis Magister adlectus, Sanctitatis, & doctrinæ radiis undique effulsit, ac novus Augustinus appellari meruit. Nuncio dignitatibus omnibus remisso, Senas reversus, ibi pretioso exitu piissimam vitam explevit anno MCCCIX. Illum Panormi ortum ex nobili de *Thermis* gente alii affirmant, quorum rationes laudatus Solitus convellit. Idem moribus sanctis eximios commendat: *Petrum Gravinam* Societatis Jesu genere nobilem, ad sacras Evangelicas

expe-

expeditionei in regnum Cinaloa Novæ Hispaniæ destinatum; cui sane ministerio heroicis ille virtutibus se comparaverat. Eò igitur appulsus, erudiendis barbaris quum diu insudasset, Apostolico muneri immortuus, MDCV. terram cum cœlo commutavit. Luciam Ciaccio Virginem, Carmelitis tertii ordinis accensam, vitæ austeritate, Divinarum rerum contemplatione, cæterisque Christianis virtutibus insignem, miris a Deo ostentis honoratam, erga Deiparam Virginem singulariter affectam, demumque in S. Marci Monasterio, quò sese incluserat, sancto fine defunctã.

Ecclesiæ porro dignitatibus egregie perfuncti eidem Solito dicuntur Antonius Garisius Nicopolis Episcopus, S. Mariæ de Gratia, & S. Calogeri Prior; floruit MDLV. Jacobus de Leo Frater Minoritanus Siculam diu rexit Provinciam, fuitque Abbas S. Mariæ de Crypta apud Marsalam MCCCCLXXXIII. Joannes de Thermis ejusdem ordinis bis Siculæ Provinciæ Rector, tandemque Panormitanus Episcopus nominatus MCCCCXI. Quem tamen patria Panormitanum potiori jure ab aliquibus vulgari fatetur. An illis, quos supra *Thermarum* pontifices dixi, patria etiam eadem urbs contigerit, incertum. Simon Priarugia Ordinis Olivetani S. Mariæ de *Spasmo* Panormi Abbas. Michael Sincerus, Olivetanus etiam Monachus, S. Mariæ de Nemore Abbas, suorumque Cœnobiorum in Regno Napolitano, & per Siciliam Visitator, literas egregie promovit, & poeticis studiis addictus vixit. Cyrillus Martorana Carmelita primi Instituti Prioris Generalis socius Romæ, & sæpius in Siciliæ Provincia moderator, Ecclesiastes disertissimus. Inter Panormitanæ demum Ecclesiæ Canonicos adscripti recensentur; Antonius Marinus, Nicolaus Nojella,
Vin-

Vincentius Garifus, & Vincentius Vianisi. Laudat preterea Solitus complures alios, qui in sui Ordinis Provinciis precipua munia cum laude obierunt, aut ab omnimoda scientia commendati, seu preclaris vitæ exemplis patriam illustrarunt, quorum nomina brevitati studens pretereo.

Apud Mongitorem in Bibliotheca ob edita ingenii monumenta Siculis Scriptoribus adjunguntur Petrus Calanna Minor Conventualis, Philosophus & Theologus eminentissimus, ac singularis etiam Orator, qui Philosophiam Seniorum publici juris fecit, Timotheus Fulcus ex Carmelitis primæ instituti, eruditione præsertim historica, & gravioribus etiam scientiis imbutus, ab zelo animarum, & severioris vitę rigore celebratus, Chronistoriam Universalem doctis viris acceptam vulgavit. Augustinus Denice Sacerdos prosa & versu egregie valuit, uti varia ejus opera literario orbi tradita abunde testantur. Franciscus Solitus Societatis Jesu, clarissimus Historicus, & Rhetor eximius plura edidit, eique *Thermarum Himerensium* adscribitur Historia, quæ sub Vincentii Solitii nomine prodiit. Aloysius Cracius Poeta, Franciscus Bartolus Juris-Consultus, Strategi Messanensis Judex; Antonius Aidonius ex Minoritanis Reformatis Poeta Siculus, & vitæ innocentia clarus; Josephus Malacria, & Paulus Ardonius ejusdem instituti, Oratores precipui; Leonardus Fragalà; Hieronymus Salomon; Joachimus Errante; Jacobus Cascio & Petrus Rosa Medicus. Meminit idem Scriptor Cyrilli Martorana, de quo dixi, & Josephi Feracis Jur: Cons: mox in seriem recensendi, qui legali eruditione nulli suo ævo secundus, ac insignis inter patronos, primum gradibus omnibus in foro decoratus, M. R. C. non semel

Judex, Regii ærarii Fisci Patronus, & a Rationibus Magister, morum denique integritate conspicuus, elapsi sæculi initio enituit; & XXIV. ejusdem anno decessit. Toga etiam Magnæ Curiæ ornatos ex *Thermitanis* apud Solitum lego: Octavium Caracciolum, Josephum Dominici, Petrum de Marino, & Defendinum Malacriam, alius Malacridam tertium eo munere functum, de quo Emmanuel.

Chrysonem Himerensem memorat *Pausanias Eliac:* lib: 1. in *Stadio* celebrem, qui cum Alexandro aliquando decurrens, huic cessit victoriam, de qua tamen re indignatus est Macedo. Illius tanta erat in cursu pernicitas, uti adagio verteretur: *Chrysonem Himeræum præcurrere*, teste Manutio *in Adag:* Hic dubio procul *Thermitanus* Himerensis dicendus. Excisa enim fuit Himera ab Annibale, Olympiade XCII. ante Christum Dominum CCCCVIII. uti supputat ex Diodoro Cluverius; Alexander autem mortuus dicitur ante Domini adventum anno CCCXXIV. quo quidem ævo *Thermarum* urbs Himeræ loco successerat. Sthenium quoque civem habuit urbs nostra, quem fortissimum virum totius Siciliæ voce conclamatum Roma est demirata, suoque hospitio Pompejus dignum censuit, quum, uti alibi supra innui, *Thermitanos* sibi infensos perdere decreverat, & Sthenii verbis de sententia decedens, illis pepercit. Domus hæc eodem loco sita passim dicitur, ubi hodie majus erectum templum. Ænea tabula, in qua illius merita incisis literis declarabantur, a Tullio in Senatum delata periit. At simulacrum in Prætorio perstat hodie, & lapis adhuc videtur, Fazelli ætate superstes, ubi legitur: STHENII ÆDES. Consule eumdem Fazellum Dec: 1. lib: 9. cap. 2. Quod Agathocles Syracusarum Rex

ex *Thermis* Himerensibus oriundus fuerit, multis probare nititur Solitus; at enim ad Thermas Selinuntinas habuisse Principatum Siculi pene omnes affirmant. Seris temporibus Robertus & Joannes strenui Milites ab Rogerio Comite Brucatum arcem in clientelam acceperunt, unde de Brucato sunt appellati. Sub Petro Aragonio Franciscus Salomon unus ex illis equitibus fuit, quos idem Rex, a Carolo Andegavensi ad singulare certamen vocatus, sibi socios adscivit, ac Burdegalas usque secum adduxit. Perronus de Joenio a Friderico III. ob strenue navatam in sedandis Siculorum Procerum turbis operam multis bonis & privilegiis auctus, Regnique Logotheta constitutus, filium habuit Bartholomaeum, quem Martinus Rex ad Cancellariatus quoque honorem provexit. Matthaeus de *Thermis* Siciliae Magister Justitiarius Petro II. & Ludovico Regnū potentibus; *a quo*, inquit Pirrus, *genus repetit suum familia de Thermis in Sicilia ab anno* MDCXXII. *Principatus Castelterminii titulo illustrata*. Sed hunc Panormitani civem quoque suum dicunt. Memorat denique *Thermitana* Historia Fridericum Bonafidem Calcaris aurei Equitem, Ferdinandi Regis privilegio a vectigalibus cum suis ob praestitam in bello operam exemptum; Philippum Solitum Marsalensis arcis Praefectum, ejusque filium Joannem Equitem Regium ab Alphonso declaratum, & Josephum Solitum, qui in classe Joannis Austriaci contra Thurcas egregie meruit.

Agro utitur *Thermarum* civitas fertilissimo; ex plaga enim ortiva, australi, & occidua; nam aquilonaris mare habet subjectum, & insigniter piscosum, fructis, vineis, sativisque terris circumcingitur; civibus hinc & colonis nedum abunde omnia ad vitae ne-

cessitates & delicias ille sufficit, sed viciniæ Metropoli, passus iv. supra xx. m. dissidenti, fructus affluentissime suppeditans, ac ferme cujusque generis primos, quæstu non modico, suos ditat. Fruges vero & in suo productas, & in proximis campis, ad alienas etiam provincias sublevandas onerariis navibus immittit. Per Euraci montis latera usque ad radices opaca nemora quum sint, venationes frequentes, ac largæ civibus afferuntur, pecoribus & armentis pascua gratissima proveniunt. *Tocrmarum* latitudo grad: xxxviii. v. longitudo xxxvii. xxx. Aer saluberrimus audit; aquæ copiosæ, dulces, ac gelidæ, quamvis thermales venæ sulphureæ quibusdam in locis ubertim emanent.

Sed jam vetusta urbis nostræ monumenta, quæ adhuc hodie perseverant, hic demum præstat brevissime percurrere. Theatri meminit Fazellus, & post eum Solitus, cujus videntur vestigia, ille ait, sed locum neuter designat. Extra urbem circa Brucati arcem, hodie ruinosam, ingentes aquarum ductus viatoribus occurrunt per m. pass. circiter iv. & alicubi plumbei tubuli inventi sunt. Per hos *Aquam Corneliam* intra mœnia delatam docet inscriptio penes Gualterium: *Aqua. Cornelia. P.* X. X. Nomen porro Aquæ tribuit Cornelius Lentulus Princeps Senatus, scribit idem Gualterius, *qui M. Aquilium contra Verrem, & Rullum accusavit, invidiaque tutorris, in Sicilia fato persolvit*. De Sthenii Æde jam dixi. De Portu tradit Solitus, quod vetusta ætate sub Turri de *Saccaris*, hodie S. Ursulæ, extendebatur; nam in *Scible* regione circa occidentem ruinæ visuntur non paucæ, & substructiones, quæ illis circa littus sub arce extantibus, molisque speciem referentibus respondent, loco, vulgari voce *Gisira* appellato

Inscri-

Inscriptos lapides ad *Thermas* Himereorum spectantes laudatus Gualterius complures refert. Præcipuos exscribam, illis jam supra relatis, necnon sepulchralibus prætermissis. Ad Ædem majorem in ara plana: *C. Maesio. Aquilio. Fabio. Titiano. C. V. Cos. Optimo. Civi. Ac. Patrono. Benemerenti. Ordo. Et. Populus. Splendidissimae. Col. Aug. Himereorum. Thermit. Pecunia. Sua. Posuit.* Alter: *Titiano. C. F. C. Maesi Titiani. Et. Fonteiae. Frontinae. Consularium. Filio. Patritio. Ob. Honorem. Togae. Virilis. Clodius. Rufus. Eques. Romanus. Amico. Suo. Incomparabili.* In Sella lapidea apud Balneos reperta: R. A. G. P. I. Humi strata prope Equile: ΠΡΩΤΑΡΚΩC. idest *Primarius Dux.* Postremo ex Numis binos argenteos, sex vero ęreos apud Parutam habemus. Primi Quadrigam referunt, Victoria Aurigæ capiti coronam præbente. In altera vero facie caput muliebre cum calantica, & circa illud Delphinos tv. cum epigrapha ΘΕΡΜΙΤΑΝ. De Chrysone eximio Cursore in stadio *Thermis Himerensibus* oriundo, jam ex Plutarcho paullo superius dixi, cujus in honorem numos hosce cusos, sine hęsitantia affirmo. In æreis porro Herculis caput cum leonina exuvie extat, & in postica figuræ tres Nympharum scilicet, & Minervæ, sive Cereris, quę balnea Herculi ex itinere fesso aperuerunt. Figura rursus turrita corona pręcincta cornu copię sinistra præferens, aut Cererem, aut Himeram denotat. Caput denique juvenile laureatum, Chrysonem refert; figura vero ludens ad ejusdem, uti reor, in palestra victorias, laboresque exprimendos efficta.

THERMARUM Fluvius post civitatem, occasum versus ostium aperit; nec procul ab eo ponte ma-

magnifico trajicitur, quem decurrentis sæculi anno xxv. Agathinus Daidonius Sic: Regni Machinator unici magni fornicis artificio construxit, latus enim aquilonare colli admovit, meridionale, veteris dirupti pontis, xvi. sæculi initio conditi, ingenti ruderi in fundamentum demisso, voluit innixum, utriusque vero clivum a fronte, contra aquarum impetum molitus, tutum omnino reddidit. Hinc in arcus meditullio statua dormientis instar efficta, epigrapham subjectam habet: *Secura Quies*. Vide meas ad Fazellum notas *Dec: 1. lib: 8. cap: Unico num:* 88. Idem Fazellus de fluvio hæc habet: *Ad ii. pass: m. a Trabia Thermitani fluvii ostium occurrit, ornatissimo ex quadrato lapide structo ponte mea ætate nobilitatum. Oritur is non longe a Prizi oppido, & delapsus ad Morgonam arcem, cujus nomen suscipit, ex tribus fluviolis augetur*. Horum unus sub Cephala arce, & ex ejus Thermis, alter circa Medinsium, tertius ad Roccam Colombam derivantur. *Unde decurrens Bicarum primum, a quo nomen induit*. Ibique ponte magnifico etiam ejus junguntur ripæ. *Et paullo post Caccabum ad dexteram, & subinde fluens Ciminnam ad sinistram relinquens oppida, non longe a Thermis Himerensibus oppido, cujus cognomentum usurpat, mari influit*. Hinc immensum erravit Cluverius amnem hunc cum Himera confundens. Ejus sunt verba *lib: 2 cap: 3. Sequitur a Solunte post x. pass: m. Himera fluvius, ad cujus ostium olim in lævo ripa fuit Himera urbs*. Post Soluntum, uti putat, non Himera, sed Thermarum amnis sequitur; ad hujus sinistram ripam Trabia Arx & opidulum hodie; Himera vero urbs inde dissita ix. pass: m. ad sinistram Fluminis Magni surgebat. *Postea vero, Himera destructa, haud*

procul

procul a dextera ripa alia fuit urbs: Aquae Calidae Himerenses, sive Thermae Himerenses; quae urbs hodieque in primis Siculorum urbium splendida, & incolis frequens, Termine vulgo vocatur; unde & Himera fluvius cognominatur, nunc Fiume di Termine. Alia subinde infarcit, ad eundem errorem firmandum, ac Ptolemaeum imperitiae arguit, quod Himeram Thermis postponat. Denique Melae testimonium lib: 2. cap: 7. referens: *Himera in media insula ortus in diversa decurrit, scindensque eam utrinque alio ore in Libycum, alio in Tuscum mare devenit,* turpiter allucinatus subdit: *Hoc sane fluvii septentrionale insulae littus ad Tuscum mare petentis, nulli omni circa praedictas Thermas convenit, nisi uni illi, quem Fiume di Termini cognominari dixi. Hic quippe totius litteris fere montanus solus in medio admodum insulae, quae ea inter septentriones & austrum panditur, inter duo opida, Polizi & Camerata oritur.* Quum Mela clarissime de eo intelligat, qui ad Nebrodes montes originem habens in duo scinditur, & alter meridionale insulae littus, alius aquilonare petit; ille ex salis mineris salsus evadit, hic dulcissimos latices suos mari adjungit. De quo & Vibius, Solinus, Antigonus, Silius Italicus, & Vitruvius loquuntur, uti suo loco expendi.

THERMÆ SELINUNTINÆ. Vide *Sacca*.

TORGIUM Mons Hesychio vetusto authori memoratum in *Sicilia*, *in quo vultures*, ait ille, *nidulantur; unde etiam hi dicuntur Torgi.* Torgus porro genus est vulturis sanguinem exorbentis. Hinc Carusius Calatavulturum Torgium fuisse montem adstruit, idest Vulturum Collem. Est supra idem opidum tumulus, in quo aedificiorum vestigia, olim ibi

mor-

mortales incoluisse, aperte firmantia, unde in subjectum collem se receperunt.

TORTUS FLUVIUS inter Thermas Himerenses, & Himeræ septentrionalis ostium os sibi aperit, nomenque a cursu falcato, seu tortuoso accipit. Oritur a monte, cui *Xarria* vocabulum inest, parvis ex fontibus, & pluvialibus auctus aquis in occasum currit; hinc ad tabernam hospitatoriam de *Thaccatis* fluentum illi adjungitur, ac demum in septentrionali littore mari illabitur. Malè hic cum Himera amne ab Ortelio & Ricciolio confunditur. Extant lapidei pontis adhuc fornices a Meretrice appellati, sub quibus dudum fluvius decurrebat; sed quum alveum hic mutasset, pons inutilis evasit, & otiosus

TORUS Mons Polybio lib. 1. inter Agrigentum & Heracleam; *Tur* ex Bocharto Phœniciis dictus, apud quos mons *Tur* nominatur. In eo Hanno Dux Carthaginiensis ex Heraclea contra Romanos ducens, castrametatus est. Ejus meminit in Lexico Baudrand. Sunt hodie duo inter illa opida, Mons Siculianæ, & Rossellus. Uter horum *Torus* fuerit, an alibi situs, animi pendeo.

TRABIA Opidulum & Arx. Hæc ad maris littus post Thermas egregie firmata sedet. Illud *Ottavius Lancea* Camastræ Dux anno MDCXXIII. primus fundavit, portam ad aquilonem statuit, & mœnia. Parochia Christo Domino e Cruce pendenti sacra, unica est in vici medio, ædes humiles, Dynastæ palatium in arce. Juris erat Thermitani Magistratus; feris hinc temporibus MDCVI. vi & armis Thermenses vicum sibi vindicantes, diri poere. Concessum subinde solum a Friderico III. *Lombardo de Campo*; hinc Thermitanis redditum, qui sub Feudi jure *Antonio de*

de Salomone mox attribuunt; unde sub Alphonso Rege *Leonardus de Bartholomaeo* tenuit, qui Regni Logotheta adlectus, Ritum, quo Siculi in foro utuntur adhuc, composuit, & Juris responsa complura dedit. *Narducii* filiam (ita Leonardum Siculi appellant) secundis nuptiis uxorem duxit, *Blasius Lancea* Catanensis Juris-Consultissimus, ac inter Siculos Consulares praecipuus, qui sub Carolo Caesare de universa provincia eximiè meruit. Horum filius *Caesar*, Montismellis Comes *Octavium* genuit, primum *Trabiae* Principem noviter renunciatum, Opiduli authorem. Fuit hic Generalis in Sicilia Vicarius, genuitque cum Joanna Joenia *Laurentium*, ex quo & Elisabetha Barresia *Octavius* II. vir pace, & bello praeclarus, ex XII. Regni Viris. Duxit uxorem Joannam Lucchese Camastrae Ducem, & Summantini Dominam, ex qua Laurentium suscepit, ante se fatis ereptum. Uxor Laurentii fuerat Aloysia Moncada, unde *Octavius* III. prodiit, qui Regni XII. Vir cum Lucretia Regio *Ignatium* procreavit. Hic a Consiliis Status Caroli VI. Caesaris, & Regis nostri Caroli Borbonii Aulicus fulsit, Panormi Praetor, & Regni XII. Vir. Conjugem habuit Joannam Lanceam S. Stephani & Castellisferrati Principem, ex eaque *Josephum Lanceam* suscepit, hodie *Trabiae* Dynastam, Camastrae Ducem, Montismellis, Summantini, & S. Caroli Comitem. Legatus Urbis Panormi fuit ad Regem, & nunc a cubiculo vivit. Primis nuptiis Beatricem Brancisortiam, secundis vero Oriettam Stellam sibi copulavit. Gaudet jure gladii, & in Comitiis votum profert v.

Ad Dioecesim Panormitanam *Trabia* spectat, & Thermarum Comarchiam. Medio saeculo XVII. censi

ſunt lares ejus 83. incolæ 143. Decurrente 125. hodieque 291. Celebris eſt opido proxima Cetraria; ager fęcundus, & irriguus. Gloriatur ortu Iſabellæ Vincentiæ Lanceæ, Octavii I. filia, quę Antonio Morſo Giſtellinę Marchioni ſacris vinculis adſtricta aliquando vixit, ac ſæculi miraculum fuit, eoque mortuo, S. Mariæ omnium Gratiarum, ſeu S. Viti Cęnobium ingreſſa, ſub Eliſabethæ de Paſſione nomine, virtutibus omnibus ornata, ſed invicta præ cęteris patientia effulſit. Supernis deliciis & Deiparæ apparitione ſępiſſime recreata, heroicę perfectionis exempla ad xvii. ętatis annum edidit, quo ſancte decedens, ingenti totius urbis Panormi frequentia integro triduo efferri meruit. Ejus vitam typis editam habes. Floruit mdcxxxix. laudaturque a Mongitore in Bibliot:

S. TRINITATIS DELIÆ Prioratus, ac vetus Monaſterium de Ficano prope Caſtellum Veteranum, de quo conſule ubi de *Delia*.

S. TRINITATIS de Manſione. Vide *Manſionis Abbatia*.

TRIOCALA Urbs antiquiſſima. Fazellus montes excelſos & arduos deſcribens, ad quorum verticem Calatabellotta opidum ſupereminet, ad illorum auſtralem angulum, ubi hodie ædes eſt Divæ Mariæ de Monte Virginum, *Triocalam* ſtetiſſe affirmat. Celebris eſt, quod in ea Servilis belli tempore defectores arcem ſtatuerint, quo tandem confecto, uti in hiſtoriis dictum, funditus a Romanis deleta eſt: Rurſus nihilominus inhabitata, inſignior evaſit, ob victoriam, quam contra Sarracenos in ejus agro Rogerius Comes reportavit, in cujus memoriam S. Georgio tutelari ſuo, duplici columnarum ordine Templum Comes idem ſacrum, a *Triocala* cognominatum,

tum, quod adhuc extat, magnifice struxit. *Urbs vero*, concludit Fazellus, *prorsus jacet, vestigiis tantum ingentibus obrutis & nomine cognita*. Diodorus lib: 36 nominis reddens rationem: *Castellum*, scribit, *inde nomen Triocala habere dicunt, quod in se tria* Καλὰ *idest tria pulchra contineat. Primum enim aquis fontanis eximiae dulcedinis abundat; agros dein habet adjacentes, vinetorum, olivetorumque plantationi, ac frugum culturae mirum in modum idoneos, tertio locus tam firmus est, ut nihil supra, utpote magna rupe, atque inexpugnabili a natura instructus*. Tryphon porro, qui & Salvius, Servorum Dux munitiorem collem reddidit; urbem, quae stadiorum ferme VIII. ambitus erat, profundę altitudinis fossa circum excavata vallavit, ac pro Regia habuit, quod ubertate omnium commodorum, quae ad vitae usum pertinent, refertam sciret. Regale demum palatium cum foro, quod numerosae multitudinis capax erat, aedificavit. Haec Diodorus.

Non ipsum quidem Tryphonem Fugitivorum Ducem, advertit Cluverius, Opidum Triocalam condidisse, sed jam ante aedificatum amplificasse patet ex eo, quod jam inde Philistus, Dionysii Senioris tempora assecutus, ejus meminit. Ait enim Stephanus: *Triocalum, & Triocala neutro genere, urbs Siciliae, auctore Philisto; Gentilitium inde Triocalinus*. Silius *Triocala* populos Marcello sese socios adjunxisse tradit, longe ante Bellum Servile, & hujus malis vastatam simul tradit. Sed Tullius in Verr: Orat: 5. instauratam prodit, dum *in Triocalina, quem locum fugitivi ante tenuerant, Leonidae cujusdam Siculi familiam in suspicionem vocatam esse conjurationis a* Verre, testatur. Plinius denique *Triocalinos* populos

lib: 3. cap: 8. memorat, & Ptolemaeus ab Isburi ostio septentriones versus *Triocalam* in mediterraneis suo aevo ponit. Quid quod *Triocalitanos* Episcopos habemus? S. Peregrinus enim, uti constans apud Calatabellottenses extat traditio, primus dicitur a S. Petro Apostolo in Siciliam directus, & *Triocale* Pontifex constitutus. Rursus Petrum Triocalinum Episcopum in S. Gregorii Epistolis bis memoratum legimus, *lib:* scilicet 9. *Epis:* 43. ubi praecipitur de Lucusiani Monasterii censibus dari *Triocalitano* Episcopo Petro solidos xl. & *lib:* 4. *Epist*. 13. Petro eidem Agrigentinę Ecclesię Visitatio committitur. Maximus item *Triocalitanus* Epis: subscribitur in Actis I. & II. Concilii Lateranensis; Joannes *Triocalensis* Episcopus Nicenę II. Act: 1. adfuisse legitur, qui in recentiori editione Constantinus appellatur; & Gregorius demum *exiguus S. Ecclesię Triocalitanę, Provinciae Siciliae* in VI. Constantinopolitana Synodo Actione IV. reperitur. Sub Sarracenis hanc amisisse pontificiam dignitatem *Triocalam* Pirrus existimat, nec deinceps illi restitutam.

Cętero Sicula inter numismata duo ad *Triocalam* spectantia videntur, argenteum alterum cum juvenis pileati figura, cui aut bos, aut brutum aliud erecta cauda prope accubens adest, & dimidiato equo atque inscriptione ΤΡΙΑΚΑΛΑ in postica facie. Aliud ex ęre fulmine in utraque area signatum.

TRIOCALITANA CRYPTA in S. Peregrini Episcopi actis celebrata; Ubi horribilis Drago habitabat, quem Divus ille fugatum, & in profundam foveam praecipitatum, loco abegit.

TRIUM FONTIUM Promontorium inter Mazaram, & Pulicorum terram, olim Selinuntem, a tribus

emer-

emergentibus in littore laticibus appellatum. A *Granitulis* quoque dicitur, habetque speculam turrim. *Ibi*, ait Fazelius, *larga est piscium captura*.

TURBULUS Fluvius inter Camaratam, & S. Joannem ortum habet, opidulumque S. Blasii ad sinistram relinquens Platano amni suas aquas devehendas committit.

TURRECTA Opidulum, post Panormum, ejusque colles ad aquilonem in levi declivi sedet in occasum & meridiem, cujus Parochia S. Mariæ de Porta sub Archipresbyteri cura titulum præfert, ac binis minoribus Ecclesiis jura dat. Pirrus in Auctario Mazarensis Dioecesis, ad quam *Turrecta* spectat, incolis 160. constare prodit; atenim in Regiis libris medio sæculo XVII. census ejus fuit lararum 63. animarum 274. Anno MDCCXIII. in focis 231. incolæ 917 sunt computati; hodie 1356. numerantur. *Turrectæ* ager olim *Georgio Graffeo* subdebatur; a Martino Rege *Calcerando Santapace* in clientelam attributus dicitur. Elapsi sæculi anno XXXVI. *Henricus Troina* acquisivit, qui forte primus homines congregavit, uti eruditissimus Franciscus Emmanuel tom: 2. tradit, (Hunc certe ex memoriæ lapsu Pirrus *Fabritium* appellavit) *Antonius Troina* subinde assecutus, unicam filiam *Rosaliam* reliquit, quæ *Julio Thomasio & Caro* Lopadusæ & Palmæ dynastæ nupta, huic opidum detulit. Ex *Julio Ferdinandus*, unde *Julius* II. cui *Ferdinandus* II. successit, hodie in vivis agens. Hos Ego de Palma & Lopadusa loquens laudavi. Ager amplissimus nostra ætate Acutum, Belampum, & Biliemum colles complectitur; rebus idcirco omnibus affluenter abundat, ac colonorum laboribus respondens vinum, oleum, fructus, olera, pascua dat, & proinde

am Metropoli sufficit. Fons ab opido haud procul aquas profundit, quas ægri salutares experiuntur, & alvi solutivas. Latitudo xxxvIII. x. longitudo xxxvII. gradum attingit. Baro in Comitiis loco LV. sedet.

Extat in agro Marinei Feudum ejusdem nominis, quod Marchionatus titulo insignitur ab anno MDCCIII. Philippi V. Regis privilegio. Eo primùm *Antonius Pilo & Cardona* condecoratus, qui *Josephum* & *Franciscum* filios ex Dominica Valle suscepit. *Joseph* sine prole decedens fratrem habuit successorem, qui poetica eruditione plurimum valet.

TURRIS GRÆCA & RUBRA. Fazellus Regium Panormi Palatium ab Roberto Guiscardo & Rogerio ejus fratre prealtis muris, turribus & propugnaculis instructum referens, subdit: *Rogerius Comes Rubram subinde latritiam Turrim addidit, quam anno MDLIII. Joannes Vega Siciliæ Prorex, Palatii ædes instaurat, quo in urbem expeditior ei esset prospectus, diruit.* Rogerius postmodum Rex Comitis filius *Turrim Græcam* ex australi plaga prope *Turrim Rubram*, & ad aquilonem aliam ad ærarii Regii munimentum & custodiam jussit. Extat hodie *Turris S. Nymphæ* in ejusdem Palatii latere septentrionali, quæ altitudine sua Panormitanæ urbis ædificia omnino superat, & ex lateribus confecta *Rubræ* speciem exhibet.

De aliis in Sicula ora, ac littore australi, occiduo, & septentrionali ad Mazaræ Vallem spectante Turribus, & Speculis. Consule Joannem Andream Massam *Sicil. in prosp: tom.* 1. qui numero LXXV. ex nomine recenset, situmque illarum indicat. Præcipuas quoque Ego in superioribus memoria dignas retuli.



VA-



VALERIA VIA. De hac sic apud Strabonem lib: 6. mentio, ubi insulæ nostræ laterum dimensiones ex Romana Chorographia designans, ait: *Terrestri itinere a Pachyno ad Pelorum m. pass:* CLXVIII. *A Messana Lilybæum Via Valeria* XXXV. seu ut Cluverius emendat, CCXXXV. Nam exscriptorum oscitantia nota CC. exprimens excidit. *Hæc Via Valeria*, subdit idem Cluverius, *nulla alia fuit, quam, quæ etiam nunc a Messana per Mylas, Tyndaridem, Cephalœdim, Thermas, Panormum, & Drepanum itur Lilybæum versus.*

VALGUARNERA Opidulum. *Ramolis* & *Ragalis* aliter a Feudo cognomine, in quo elapsi sæculi initio, fuit illud, *Jacobi Parisa* opera, ædificatum; cujus filia & hæres *Francisca Andreæ Saladino* nupta traditur. Ex his ad *Aloysium Reggium* Campi Floridi Principem jure uxoris *Franciscæ Saladino &* *Celeste* Dynastia devenit, qui præcipuis muneribus in patria functus, *Stephanum* habuit filium præclaris etiam ac primis dignitatibus auctum, & Acis Principem. Duxit in uxorem Dorotheam Brancifortem, ex qua *Aloysium* suscepit. Hic gentis suæ decus eximium fulsit: Eques enim & Commendator Calatravæ Classis Siculæ Talassiarcha, Valentiæ Prorex, Catholici Regis apud Venetos Legatus, cum plena per Italiam potentia, eodemque munere apud Galliæ Regem; Ex Magnatibus Hispaniarum; Velleris Aurei, S. Spiritus, & S. Januarii Eques, Pacis, & Belli artibus apprime instructus; in Latinis & Etruscis literis versatus, moribus denique, ac præclaris virtutibus insignis, prope octogenarius vitam cum morte

cum-

commutavit MDCCLVIII. Ex Catharina Gravina primogenitum habuit *Stephanum* Acis Principem, Regi nostro a Cubiculo, apud Hispaniæ Regem Legatum, Arcis Novæ Neapolis Præfectum, Utriusque Siciliç Regentem, Exercitus Regii vice Supremum Imperatorem, S. Januarii Equitem, aliisque dignitatibus auctum. Hunc & ejus affines præcipuis hodie muneribus decoratos alibi Tom: III. commendabo.

Est *Valguarnera* in Ecclesiastica Mazarç provincia sita inter Alcamum & Partinicum. Parochialis ejus ædes S. Maria de Rosario Patrona ac tutelari gloriatur; Archipresbytero paret, & minoribus Ecclesiis duabus filialibus utitur. Focos medio elapso seculo 99. animas 303. complectebatur, ac totidem ferme hodie constat. Ager vineis consitus uberrimas vindemias fert. Ad pass: M. Vicus sedet 70. circiter incolis conflatus, sine Sacerdote. Latitudo XXXVIII. V. gradum habet; longitudo XXXVI. L.

VALLIS CURTA in agro Panormitano, aliter *Apum*, clivus est duos inter montes Castellacium & Saganam.

VALLIS FICUS jacet inter Colles Amblerim & novum Parcum, extenditurque ad meridiem non brevi tractu; ubi & Parcus vetus, & iter per mediterranea vallis Mazaræ aperitur.

VALLIS LONGA Opidulum, alio nomine *Pratum amœnum* ex proximo amœnissimo viridario in Feudo *Magasinacci*, *Vallis Longæ* agro confine, vulgo appellatum, in itinere occurrit Regio, quo ex Netina Valle Panormum itur. Cephalçdensis est Diœcesis, sed ejus apud Pirrum mentio fit nulla. Dynastæ Palatium elegans, viæ patentes, opidanorum çdes humiles, quç olim MDCLII. numerabantur 102. nunc

367.

967. computatis incolas 2164. fovent. Hospitatoria Taberna amplissima; Parochia S. Mariæ Lauretanæ sacra decens cum Sacerdote, qui Episcopi vices gerit; Minores Ecclesiæ duæ Parochiali subsunt. Ager denique fœcundissimus. *Vallis Longæ* mentio Friderici II. ævo extat; sub eo enim illius erat dominus *Joannes Calatajeronus* S. Stephani Dynasta, quem filius *Nicolaus* excepit. Mox sibi feudum vindicavit *Lucas Jacobus de Panormo. Defuncto* hujus uxor hæres relicta *Perrucio*, seu *Pucio* de Homodeis Panormitano sororis filio attribuit, unde *Jorlandus*. Uterque Martini Regis privilegio confirmatur. Hunc *Landus* appellavit in Capibrevio Barberius, cujus filii & hæredes *Jacobus*, *Perrucius II. Aloysius*, *Antonius*, Equitum Dux, & *Joannes* Regni Siciliæ Quæstor *Vallis Longæ* Barones dicuntur ad annum MDLXX., quo *Vincentius Nocerbartolus* Politiensis, & post eum *Gaspar* filius obtinuerunt. Hi vici authores creduntur, & successorem *Petrum Marinum* MDCXX. habuere. Petrum *Laurentius* excepit, a quo pecunia numerata *Christophorus Papè* MDCLXXXV. emit. Hic Prati Ameni Dux, S. Jacobi Eques, Ducis Bavariæ Aulicus, & Electoralis Principis Gubernator, in Catholici Regis exercitu primis muniis decoratus effulsit, fratremque *Aloysium* hæredem cxit, ex quo & Felice Garofalo *Hyacinthus* prodiit ex XII. Regni viris, a Regiis Rationibus Magister, *Vallis Longæ* Baro, & in Comitiis loco LXIII. votum proferens. Latitudo est grad: XXXVII. XL. longitudo XXXVII. XXX. Clauditur in Politiensi Comarchia.

VALLIS ULMI, aliter *Castellum Northmannum* sub Sclafano in meridiem, post elapsi sæculi medium ortum habuit, intra fines Ecclesiasticæ Cephaledensis

provinciæ, *Antonii Cutelli* opera, Villarosatæ Comitis, qui Sancto Patavino cognomini parochialem ædem sacram voluit, eumdemque opidanorum Patronum constituit. Horum hodie est numerus 1010. sed census de anno MDCCXIV. lares 122. animas 361. exhibuit. Vias habet rectas opidum, & situm leviter declivem; latitudinis gradum XXXVII. XLV. & longitudinis XXXVII. XXX. Bivonensis olim Comitatus pars erat, sed ab *Joanne de Luna & Peralta* anno MDLXXI. emit *Jacobus Jordanus Squillus*, cui filius *Joannes* MDCXXVII. successit. Tenuit subinde *Antonius Cicala*, qui *Josepho Cutelli* sororis Christinæ filio u-nci. reliquit. Ex *Josepho* & Maria Cutelli *Antonius* prodiit, & *Christina*. Post hunc sine legitima prole decedentẽ soror sufficitur, Joanni Joppulo S. Philippi Dynastæ nupta, unde sola *Hieronyma* remansit. Hæc Joannes Mariæ S. Martino Raymundetto Fabricæ Ducis uxor, improles vixit, & vidua hodie lucis usura fruitur. *Vallis Viani* apud Pirrum nulla extat notitia.

VATTICANUS Fluvius. Consule *Batticanus*.

VENERIS ERYCINÆ Templum in monte cognomine, à S. Juliano hodie. Vide *Eryx*.

VENERUS Fons post Montemrealem, extra S. Castrensis portam, celebris, cum aquarum copia, vagus ex fistulis emergente, tum illarum salubritate. Ampla & recta via, ulmis, & populis utrinque consita ad illum ducit, excipitque non angusta area; Nomen fons ab Hieronymo Venero Archiepiscopo, qui illum jussit, sortitur.

VIBONA Opidum, *Bivona*, de qua dixi.

VICARIS Opidum, aliter *Bicarum*, Comitatus titulo ab anno MDLVI. Philippi II. Regis privilegio decoratum, in collis clivo sedet ad sinistram Thermensis

flumi-

fluminis, quod a *Vicari* etiam appellatur, Græcos, aut saltem Sarracenos cognoscit authores, quorum adhuc in sermone opidani vestigia servant; compluribusque hinc regionibus, ad opidũ spectantibus Punica & Græcanica insunt nomina; primis enim Northmannorum annis extabat, & Rogerio Comite volente, intra Panormitanę Parochię fines conclusum exhibent tabulæ, in qua & perseverat. Friderici Cæsaris rescripto MCC. constat etiam aliquot Panormitanæ Ecclesiæ Canonicos *Vicaris* census percipere, qui *Vicarenses* idcirco dicebantur. Arcem in supremo collis supercilio adscribit Fazellus Manfredo de Claromonte hujus nominis III. Verum, quod ante illa extiterit, & Manfredo potius I. aut II. tribuenda, suadet, quod in ea anno MCCCXLVIII. rebelles aliquot se tuebantur, unde frequentes per agrum Panormitanum exercebant excursiones. Ibi *Deiparæ* sacra est ædes. Majus Parochiale Templum ab arce haud procul, S. Georgium Mart: Patronum habet, Archipresbyteri sub cura, & Sacerdotalis cętus famulatu degens; Minores de Observantia S. Francisci Patriarchæ titulo cęnobium incolunt; Sanctimonialibus Benedictinis Claustra sub eorum S. Patris nomine designantur. Domus Hospitalis Spiritus Sancti auspicia recognoscit. Carmelitis olim locus erat, sed recessere. Reliquæ privatæ Ecclesiæ supra X. enumerantur. Est S. Calogeri insignis memoria; manus scilicet impressio in saxo; ferunt enim Divum hunc, quum persecutionis in Christi fideles rabiem declinaret, ad *Vicaris* delatum collem, latebras quærentem, in silice signum illud reliquisse.

Quam porro traditio non de incerto aliquo vitæ solitariæ sectatore, Græcis *Calogero*, sed de illo celebri Euracii Montis incola, Thermarum Himeren-

suum Patrono vigeat; Incolis de patrię antiquitate non inanis conjectura tribuitur, quibus, Christianis saltem primis temporibus *Vicarim* extitisse, omnino est persuasum. Aretius aliunde Hyccarum veteribus notissimam urbem ad *Vicarim* statuere videtur; quamvis ipse, uti post eum Cluverius, Hyccarim maritimam fuisse non diffitentur. Alii Herbessum antiquum quoque opidum eodem situ recognoscunt, quos tamen hallucinari etiam, satis alibi demonstravi. Cętero inter Sicula opida *Vicaris* non quidem ultimum computatur; agro enim feracissimo gaudet, jucundo & salubri aere utitur, rebusque ad vitæ commoda exuberat. Illius Magistratum Comes designat, in publico Regni Consilio votum XIV. proferens, lares Caroli V. ævo 258. animas subinde 1524. Anno MDCLII. focos 571. incolas 2111. Decurrentis sæculi anno XIII. 953. focos, opidanos 2185. computabat; nunc incolis constat 2849. In Castrinovi Comarchia, & Thermarum Militari Pręfectura recensetur. Latitudinis denique XXXVII. L. gradum habet, longitudinis XXXVII. XXX.

Civibus gloriatur Dominico Coniglio Minoritano Reformato, orationis studiis perpetuo intento, in quibus sępissime Divina patiebatur, Bivonæ diu incola, tandemque Panormi in *S. Mariæ de Jesu* Cœnobio piissimè vita defuncto. Martino Mira S. T. D. Panormitanę Ecclesię Magistro Capellano, mox Canonico & Ephebei Clericorum Moderatore, S. Luciæ de Mylis Abbate designato, tandemque Episcopo Cephalęditano, cujus laudes Pirrus, Auria, Serius & Mongitore prolixe prosequuntur, Obiit in sua Ecclesia MDCIX. ubi & tumulatus nobili cum epigrapha fuit. Francisco Salerno Juris-Consulto clarissimo, & Theologo eximio S. Joannis de Eremitis Canonico, nedum in

Sicilia,

Sicilia, sed & in Hispaniis, ubi diu egit, a doctrina & moribus commendato; SS. Laurentii & Philippi Agyrensis Priore, Ferdinandi de Andrada & Martini de Leon Pontificum Panormitanorum Generali Vicario; & vacante sede etiam cum Panormi, tam apud Montemregalem eo munere perfuncto; e vivis denique MDCCLV. sublato. Plura scripsit, quę Mongitorius in Catalogum refert. Commendatur a *Pirro*, *Serio*, Judice, aliisque.

Est hodie *Vicaris* sub clientela *Josephi Bonanno* Catholicæ & Roccæ Floridæ Principis, Montisque Albani Ducis. Sub Northmannis, & Suevis cujusnam juri subderetur, non elucet. Gallis regnantibus *Virgilius* Cataneus, eques Catanensis cum Ciminna, & aliis MCCXCIX. accepit, an vero assecutus fuerit, subdubito. Claromontanis deinde cessit, qui arcis authores fuerunt, uti dixi. Ob eorum defectionem Petrus II. *Francisco Valguarnera* MCCCXXXVIII. attribuit cum Godrano. Hic in Siculis Annalibus ob multa præclarè gesta celebris audit; cui *Franciscus* junior filius successit, satis & ipse bello, & pace illustris, Martino Regi gratissimus; unde *Simon* in Censu de an: MCCCCVIII. memoratus, *Vicaris*, Columbæ, Friddis, & Jardinelli Dominus. Præceperat autem idem Martinus, ut in favorem Guillelmi Vigintimillii *Simon Vicaris* opido cederet, aliaque bona assequeretur, *Gilibertus de Talamanca* nihilominus, eodem Rege volente, Catanæ XXX. Julii, enunciato anno, unciis M. auri *Simoni* persolutis, obtinuit. *Giliberto* Joannes Valguarnera litem ad annum usque MCCCCXV. intendit, sibique *Vicarim* vindicare postulavit, sed causa tandem excidit; ille vero ex uxore Margarita Vigintimillia *Eulalia* filia solum suscepta, *Friderico* Mon-

fortis

fortis Domino, Socero, luendi jure reservato, Dynastiam vendidit, ex quo *Jacobus*. Ab eo *Talamanca* revocavit, & *Petro de Campo* rursus, florenis 21. m. acceptis, venum tradidit MCCCCLXIII. *Campus* Montis Mellis opido accepto cum Vigintimiliis *Vicarim* commutavit. Tenuit non diu post, quanam ex caussa, ignoro, *Bernardus Cajetanus*, muniis, & Dynastiis Castri novi, Calatabiani, ac Tavis decoratus, qui Guidonis fratris filio *Didaco* reliquit. Ex *Didaco*, pecunia numerata, *Jacobus Alliata* Castri Maris Dominus, Messanæ Strategus, a Rationibus Regii Ærarii Magister, Regni Cancellarius, ac Supremi Justitiarii Legatus, assequitur per annum; *Henricus* enim *Squillacius* jure luendi a Cajetanis comparato, XVI. sæculo ineunte, opido potitus est. Henricum *Joannes Aloysius* excepit filius, a quo *Salvator Bardi* XIII. m. florenis emit. Sed hunc *Violante Alliata & Talamanca* jus, caussamque a suis habens, repulit, ac *Francisco Bosehio* Baydæ Baroni nupta, dotis nomine assignavit. Fuit hic Misilmeris opidi author, Siciliæ Justitiarii vices gessit, ac *Vincentium* progenuit, primum *Vicaris* Comitem, Senatus Panormitani ad Philippum II. Legatum, Prætorem, XII. Regni Virum, & Magistrum Justitiarium, *Sardiniæ* demum Proregem designatum, quod munus morte præventus non obtinuit. Ejus cum laude, ob edita Poesis Etruscæ & Siculæ specimina, meminere Mongitore, Invegius, Galeanus, & alii. Ex uxore Beatrice Aragonia *Franciscum* suscepit, cujus successores ad hanc nostram ætatem de Catholica & Misilmerio loquentes, dedimus.

De Agri fœcunditate, quæ nulli alteri decedit, jam dixi. In eo fluvius sub Pritio ortum habens ex rapiditate, aquarumque copia hiberno tempore de-

currit,

currit, ut nonnisi pontis ope sub *Vicari* trahjici possit. De hoc ponte jam dixi, ubi de Thermitano amne.

VILLA FRANCA Opidum cadente sæculo xv. ab *Antonio Alliata* conditum, in S. Georgii de Triocala agro, quem vulgus *Troccolim* appellat. Hunc Messanensis Archimandrita cum Monasterio ordinis S. Basilii & celebri Ecclesia ab Rogerio Comite anno mxcviii. constructis, ex dono Rogerii Regis accepit, uti ejus constat privilegiis, in quorum uno de Villicis cum Sarracenis, tum Christianis, ejusdem agri incolis fit mentio, & de Casali *Rachalfadal* terris Monasterii de *Troccolis* confine. Concessit porro Lucas de Busalis Archimandrita pro unciis xlii. *Antonio de Peralta* Calatabellottæ Comiti, a qua non procul distabat, Alphonso Rege volente, ex literis mccccxlviii. mox Leontio Chrisaphio, Archimandrita etiam assentiente, atque ex Regis Ferdinandi voluntate *Carolus* Antonii filius *Petro Alliata* cum eodem onere agrum attribuit. *Antonio & Andreottæ* Petri filiis facta est facultas homines in illo congregandi, arcemque extruendi, itaut opidum *Villa Franca* haberet vocabulum, cum Baronali tessera, juribusque ad eam dignitatem spectantibus, ex Proregis literis xxvii. Septembris mccccxcix. *Antonio* sine filiis decedenti *Andreotta* frater successit Apolloniæ Adjuvame-Christe conjugii vinculis copulatus, unde *Antonius* II. Contissæ Brancifortiæ maritus. Ex his *Joseph*, qui ex Flammetta Paruta uxore Salæ dominium est assecutus. Horum filius *Franciscus* primus *Villæ Francæ* Princeps Philippi III. rescripto, est nuncupatus, cum mero, & mixto imperio, uti dicunt, ac voto in Comitiis viii. De hujus successoribus mox dicam.

Sedet igitur *Villafranca* in æquo solo ad op-

tum

tum ac meridiem, & tumulum occupat contra Calatabellottam haud procul a Burgio ad sinistram Isburi amnis, quem suis aquis auget. Major Ecclesia elegantissima S. Dionysio Martyri dicata, cum suffraganeis VI. Archipresbytero commendatur. Pirrus tutelarem ejusdem Parochiæ B. Virginem de *Catena* evulgat, & S. Rosaliæ Virg: in ea sacra ossa asservari tradit. Ex Monachorum cœtibus S. Mariæ de Monte Carmelo fratres ab anno MDLXXX. inductos affirmat, qui hodie nulli sunt; necnon olim Dominicanos Virginis Annunciatæ Ecclesiam circa MDLXXXVII. coluisse scribit, qui & ipsi hodie defecerunt. S. Augustini demum Eremitas Prædicatoribus Fratribus successisse, sed non diu, MDCXXV. recessere. Hac nostra vero ætate Minoritanis de Observantia Æmiliç Lanceæ & Alliatæ divitiis fundatum, sub S. Mariæ de Jesu titulo cœnobium cessit. Tertii Ordinis asceræ in S. Joannis Baptistæ ædem, Francisco Alliata stipem suppeditante, anno MDCX. recepti sunt, & satis amplo Conventu fruuntur. Augustiani denique Centuripinæ, seu S. Adriani reformationis, Deiparæ de *Mortillis* Ecclesiam Cœnobio nunc adjunctam habent, quam veluti singularem Patronam opidani religiose colunt. S. Mariæ de Adriano dudum hi Monasterium incolebant, ex laudato Pirro, de quo suo loco nonnulla recensui. Celebratur hodie inter filiales Virginis Annunciatæ, cujus memini, ædes, ob S. Rosarii Sacellum. Medio pene opido, a principe templo haud procul, magnificentissimum publicum palatium assurgit, quod auctum certatim dynastæ voluerunt.

Clauditur nostrum opidum Agrigentina Ecclesiastica provincia; Clerus hinc ejusdem Episcopi Vicario

cario subditur, Corilionensis Comarchiæ pars est, & Saccę militarē Pręfecturam recognoscit, sub qua equites IV. pedites vero XXXII. ex ejus incolis merebant. Magistratus electio penes Principem est; Census sub Carolo V. focos 350. animas 1269. computavit. Pirrus ex laribus 543. & opidanis 2264. constare affirmat; sed Regii libri in laribus 507. incolas 2218. describunt. Anno hujus sæculi XIII. lares 703. incolas 2722. & novissime 3597. numeravit. Peperit egregios viros Antonium Cascium III. Ordinis Minorum S. T. Mag: qui publicas Italiæ Academias per annos XX. illustravit; Siculam Provinciam optime rexit, ac Cęnobii sui, nennon Ecclesiæ ædificia strenue promovit, novisque ornamentis auxit, vivit hodie. Joan: Thomam Torculese ejusdem instituti Theologum & Oratorem pręcipuum, cujus extant typis editi sermones. Ager pascuis felix, armentis, gregibusque nutriendis aptissimus; sed vinetis vel maxime consitus, atque a frugibus, oleribus, ac leguminibus commendatus cum Dynastis, tum colonis fructus non leves parit.

Alliata gens Pisis oriunda anno MCCCXXX. primum in Siciliam trajecit, Philippo authore, ac stipite, præcipuisque mox muniis decorari meruit, & *Villæ Francæ* Principatu MDCIX. uti innui, augeri, necnon Salæ Ducatu MDCXXVI. Hos enim titulos *Franciscus Alliata* assecutus, & Panormi Prætura insuper functus, ex Francisca Gravina conjuge *Josephum* suscepit, qui Calatravæ Eques, patriæ Prætor, & Generalis Proregis Vicarius pluries fulsit. Genuit cum Joanna Lancea *Franciscum*, Margaritæ Columnæ sacris vinculis adjunctum; unde *Josephus*. Hic Victorii Amedei, Sabaudiæ Ducis Aulicus, ejusque corporis custodum Dux; Caroli VI. Cęsaris insuper Campi *Marescallus*,

& ex Magnatibus Hispanis, duxit primis nuptiis Joannam Bonanno, qua mortua, Annam Mariam de Joanne & Morra Trium Castanearum, Bucherii, & Castrirai Principem ad thalamum vocavit. *Villæ Francæ* obiit MDCCXXVIII. Habuit ex secunda conjuge *Dominicum*, qui patris jure Montregalis, & Salæ de Paruta dynastias etiam est assecutus; Ob ductam uxorem vero Victoriam de Joanne Ucriæ, & Saponaræ; ex matris denique hæreditate, Castrirai; Tricastaneæ, Viægrandis, & Pedaræ Dominatus expectat. Bucherii enim Princeps ex aviæ donatione Joseph *Dominici* filius audit, Felici Columnæ Magno *Comestabulo* progenitæ, matrimonio copulatus. Et porro *Dominicus* ex Magnatibus Hispaniarum, S. Januarii Eques, & S. Joannis Jerosolymitani cruce insignitus, a Regio Cubiculo, Exercitus *Marescallus*, & urbis Messanæ Moderator, sive, uti appellant, Generalis.

VILLA FRATRIS novissimæ fundationis opidulum in via occurrit publica, qua Panormum itur. Diœcesi adscribitur Panormitanæ, atque ad Filingerios spectat proceres, S. Marci Comites; *Petrus* enim ab anno MDCIII. Comes, MDC. agrum comparavit *Villæfratris*, ac *Vincentio* filio cum aliis dynastiis reliquit. Nunc ejusdem nominis vivens Comes possidet ex *Josepho Filingerio* & Catarina Cottone natus. Huic porro Vici prima adscribitur fundatio, qui tutelari suo S. Josepho ab se extructam Parochiam dedicavit. Novissimus ejus census fuit incolarum 319.

VILLANOVA Casale olim cum Callisio, & Xilinda juris erat *Josephi de Amato*.

VILLARIS Casale dudum, in agro Pergolæ, Ditionis Caccabensis, hodie jacens.

VIL-

VILLIENA Casale olim sub Partenico, alteri Casali de Mirto confine, cujus meminit Rogerius Rex in diplomate ad Abbatis Liparensis favorem MCXXXIII. signato.

VINTIMILLIA Opidum elapsi sęculi anno XXV. in agro *Colamigna* fundatum, inter Barcinam, Caccabum, & Ciminnam sedet, ac Panormitana Diœcesi, Thermarumque Comarchia comprehenditur. Ager cum opido nomen communicat, quod *Colamigna* idcirco vulgari voce dicitur, sed *Vintimilliæ* a *Beatrice Joannis Carrelli* uxore vocabulum invenit. Hanc Principatus tessera Philippus IV. anno MDCXXVII. donavit, gladii etiam potestate triennio post illi indulcta. Opidi porro situs amœnissimus in leviter inclinato ad australem oram solo extenditur. Rectæ ac planæ viæ idcirco illud distinguunt, ac major sacra ædes Immaculati Deiparæ Conceptus titulo pene in centro, magnifico selteinate, ære publico, ac Principis stipe extructa, insigniter exornat. Præest huic Archipresbyter, & VII. aliis minoribus simul Ecclesiis. Virginis de Rosario Opidanorum Patronæ elegans sacellum in ea fulget, cujus cultui sodalitium addicitur. *Joannes Carrello* Rabahnutis Comes primus habuit sub clientela, ejusque uxor *Beatrix Vigintimillia* Regio diplomate Princeps appellata, de quibus supra. Hi in *Hieronymum* filium jura transtulere, cujus & successorum elogia consule, ubi de *Rabalnuto*. Ex *Carrellis* ultimus *Josephus* uxorem duxit Brigittam Schittini ex Marchionibus S. Eliç, quę, conjuge mortuo, ob dotis bona dilapidata, illius sibi dynastias occupavit, & *Vintimilliæ* domina MDCCXVI. evasit, eique e vivis sublatæ, *Oliva* soror successit, Octavio Principi Lanceæ dudum matrimonio conjuncta.

cta. Unde *Antonius Lancea* eorum filius Princeps *Vintimilliæ*, & *Calamignæ* Baro MDCCXXXIX. renunciatur, & locum habet in Comitiis XXV.

Lares *Vintimilliæ* in hujus sæculi Censu; in illo enim de anno MDCLII. ejus nulla fit mentio, quod nondum adhuc Opidi nomine veniret, describuntur 444. cum incolis 1774. qui hodie 2035. computantur. Horum excrescit numerus in dies, feraces enim Campi circumpositi colonorum industriæ quum abunde respondeant, & pascua, fructus, vina, messes, oleum, mella, aliaque rustica bona præbeant, mortalibus eò conveniendi aditum aperiunt. Aer aliunde salubris aquæ purissimæ, clyma temperatum illi inest, cui XXXVIII. latitudinis, & XXXVII. longitudinis gradum contingit. Memoratur in Minorum Fratrum Annalibus Petrus Guillelmus Vintimilliensis, qui inter Observantes vitam traduxit innocentissimam, ac virtutibus, signisque refertam, eam sancto fine Panormi clausit.

VITA Opidum Viti Siconi, eximii Juris-Consulti, ac inter Siculos Consulares suo ævo antesignani opera conditum, primis elapsi sæculi annis, sive, uti scribit Pirrus, XV. prope Salemis territorium, quà æstivum respicit occasum, & in ejus comarchia; collis radices occupat australes, amplis, ac rectis viis descriptum, S. Viti Mart: auspiciis dicata gaudet Parochia, cum filialibus II. & Conventualium Minorum Coenobio a fundatore congrua dote aucto, Intemeratæ Conceptioni Virginis sacro instruitur. Censi sunt *Vitæ* lares anno MDCLII. 222. incolæ 779. Anno vero MDCCXIII. foci 342. animæ 1356. & novissime 1741. computantur. Longitudo gradum XXXVI. XXX. latitudo XXXVII. L. habet. Primus ejus Toparcha, & author

author *Vitus Sicomus* patria Calatafimensis, Caussarum Patronus integerrimus, Regii Ærarii & Magnæ Curiæ Fisci Promotor, Sac: Regiæ Conscientiæ Præses, Regni bis XII. Vir. Hic ex Bartholomæa N. uxore filium suscepit, quem infantiæ annos agentem amisit. Hinc *Nicolao* fratri MDCXL. in clientelam opidum cessit; Mox *Josepho*, & *Gaspari*, tandemque *Jacobo*, Nicolai hæredibus. *Jacobum Vincentius* filius MDCCXXXVI excepit, Baro hodie *Vitæ* in publico Regni consessu votum proferens XXVIII.

S. VITI CAPUT Veteribus *Ægitarsum* & *Ægitallum* promontorium, uti, contra Cluverium Fazello adhærens, ostendi. Vide *Ægitallum* & *Caput S. Viti*, ubi de Ecclesia, Nemore, & Monte ejusdem Divi nomine insignitis multa protuli.

VITUS SOLDANUS Tumulus est inter Candicattinum, & Castrum Philippi, in quo veteris ædificii, sive ignoti omnino opidi peritant vestigia, & ingentia.


URSINA Vetus Casale jacens hodie.

USTICA Insula, nostra ætate deserta, ad longitudinis gradum XXXVII. & latitudinis XXXVII. XLV. contra Siciliæ aquilonare latus objacet, circa Thermas Himerenses. Memoratur Ptolemæo, Straboni, & Plinio; & in Itinerario Insulari *Ægina*, & *Ægilta* nominatur. Fazellus *Usticam* cum *Evonymo* altera insula perperam confundit. Ptolemęus enim omnino duas esse diversas insulas clarissime affirmat: *Evonymus Insula, Strongyle, Ustica insula cum opido*. Plinius Æolicas describens. *Septima*, ait, *Evonymos in alto mari sita, atque deserta*, mox: *Contra Paropinos Ustica*. Prosequitur Fazellus: *Ibi olim ejusdem nominis opidum. Templum præterea Mariæ Virgini sacrum*, & Mo-

& Monachorum Cœnobium illi adjunctum non multis ab hinc annis erat .... Porro hac tempestate & oppidum & templum prostrata, sola antiquitatis vestigia reliquerunt. Quamque omnino deserta sit, commodam piratis stationem praebet. Huic stationi mons imminet *Falconara* appellatus, cujus verticem arx occupabat, hodie ex ruderibus agnita. Aquarum tota est indiga, dumetis & virgultis consita, herbisque & pascuis abundans, sylvestres hinc alit capras. Deiparae denique aedes ipsis Barbaris venerationi est.

Monasterium porro Benedictini fuisse creditur instituti; sed Archiepiscopo Panormitano suffragabatur, ad cujus Dioecesim *Ustica* spectabat. Ejus extat memoria anno MCCLXXXIV. quo Cirinus quidam instituitur ab Ecclesiae Panormitanae Capitulo *ad bona mobilia & stabilia procuranda Ecclesiarum S. Mariae de Insula Ustica, S. Michaelis de Campogrosso, & S. Honophrii*. Anno MCCCXII. Clemens V. Rom. Pont. suis literis praecipit, *ut multiplici dilapidatione collapsa S. Mariae de Ustica Ecclesia, & tum in spiritualibus, tum in temporalibus deformata, in pristinum statum restituatur, & Panormitanae Ecclesiae in perpetuum adnexa, & unita censeatur. Prior, seu Rector vitae necessaria de ipsius Ecclesiae proventibus recipiat; debitis ipsa non fraudetur obsequiis, & animarum cura nullatenus negligatur*. Subinde Fridericus II. praecepit MCCCXXVI. ut in illius possessionem Joannes Ursinus Archiepiscopus inducatur. Quum alia exinde non extet, aut Cœnobii, aut Priorum notitia, ob Turcarum excursiones locum deinceps omnino derelictum putaverim.




ACCA Civitas, hodie *Secca*, de qua dixi.

XADIDDIS Turris in mediterraneis inter Marsalam & Drepanum, sub qua uberrimæ aquarum venæ in Lilybæum urbem deducebantur.

XARA Opidulum recentis fundationis, post elapsi sæculi medium, ad Euraci montis radices, inclinato parumper solo ad orientem impositum, cum Parochia Christo Domino e Cruce pendenti sacra, in Panormitana Diœcesi. Author *Philippus Notarbartolo*, qui Principatus tesseram MDCLXXI. a Carolo II. exoravit. Animarum Rector Archipresbyteri dignitate gaudet, & minoribus Ecclesiis duabus moderatur. Xaræ ager ad Brucati dynastiam pertinebat, unde disjuncta Vincentio Pilo Marinei Marchione, ejusdemque Brucati domino, estque frugum culturæ maxime idoneus; saltibus & nemoribus scatet, venationi idcirco aptissimus audit; Torto flumine abluitur, nec aliis fontibus caret. *Petrus Notarbartolus* dotis nomine cum Carcacis feudo, ob ductam *Eleonoram Cipollam* in uxorem habuit, cui *Philippus* successit. Hic ex XII. Regni viris fulsit, & Annæ Sandovaliæ sacris vinculis adjunctus, *Gasparem* genuit, Ex quo & Francisca Grimaldi *Philippus* hodie *Xaræ* Princeps, Ursulę Pilo conjux. Sedet in Comitiis loco LIV. gladii potestate gaudet, habetque sub clientela 353. mortales, in laribus 93. degentes. Spectat *Xara* ad Thermitanam Comarchiam, ab ea urbe pass. M. VIII. dissidens.

XARABUS Fons in agro Panormitano, Arettio, Adriæ, & Invegio; nomen a *Saracenis* accepit, quod

aquas

aquas ingenti copia, vividasque emittat; *Xarabut* enim Sarracenis est *Vivus*. Oritur circa aquilonares Orethi fluminis ripas, & in ejus illabitur alveum.

XARRIA Mons, unde Tortus Fluvius originem recognoscit, Fazello notus. Sub eo ad orientem Roccacolumba opidulum.

XIACA Scopulus insularis ad passus circiter VIII. extans, ambitus vero CL. in Leocatę mari jacet, a continenti angustissimo unius passus euripo dissitus.

XILINDA Casale in Calatabellottæ olim territorio, quod in unum cum Callisio & Villanova coaluit. Vide *Callisium*.

XILLATUM Vicus, de quo dictum in vocabulo *Scillatum*. Aquarum ibi uberrimi fontes, quorum præcipuus amplissimo ex antro ortum ducit, ubi innumeris pene stillicidiis insigni spectaculo, tanta illarum exundat copia, ut in amnem statim coalescant.

XITTA S. *Laurentius* opidulum in Drepanensi territorio. Vide *S. Laurentius*. Dicitur aliter *Scitta*.



YHA:

Y HABICA Casale in Suterensi agro. Thomas de Michaele anno MCCCC-VIII. ejus erat dominus.

YHADIDIS Fons, ex quo aquæ in Lilybæum urbem per aqueductus derivabantur. Aliter *Xadiddis*.

YHALCA Spatium erat inter Regii Panormitani palatii atrium, & urbis privatas ædes, muro cinctum, Sarracenico ore ita appellatum, quasi circumseptus locus. Portam olim in rectum urbis vicum habebat, & arcis custodibus, quibus Vicecomes præerat, hospitandis destinabatur, uti ad repentinas necessitates præsto essent. Consule Fazellum lib: 8. Dec: 1. Alia est Panormi *Thalcia* cum S. Nicolai Parochia, arcem maritimam & Hosteriam concludens, de qua idem Fazellus.

YHALFANUS Mons in agro Panormitano. *Alfanus* aliter & *Calatalfanus*, cujus descriptum habes situm suo loco.

YHALICIS Stagnum post Belicis amnis ostium in occasum. Refunditur ex Pelagi fluctibus, æstate idcirco incolis perniciosum evadit. De eo Fazellus lib: 6. cap: 4.


YHAMMET Fons aquæ sulphureæ, *Calameth* hodie ubi Balneæ Segestanæ, quas alibi descripsi.

YHARAFFUS Fons in urbe Panormitana. Vide *Garaffus*.

YHASIS Turris in Leocatæ littore, cui Castellacius mons succedit.

YPSA Fluvius. Vide *Hypsa*.




ABUT Casale olim, nunc opidum, Marchionatus titulo clarum, Sabuca.

ZAFFARANA Promontorium in Panormitano ortivo & meridiano litiore x. pass: m. ab urbe dissitum sub Solocento veteri opido, cujus in colle proximo videntur ruinæ. In eo turris specula. Excipit in austrum, S. Nicolai parvi vicum cum cetaria Solocenti.

ZEZEBUT S. Pantaleonis insula, de qua actum, quæ & Zizeret etiam in Rogerii Regis diplomate nominatur.

ZISA Castellum, *Azisa* & *Sisa* aliis, in agro occiduo Panormitano ad pass: m. dissitum, Sarracenorum Regum egregium opus, amplitudine, & ędificiorum mole spectandum. Circa ipsum amœnissimi horti, & irrigua vireta, necnon hodie vineę, oleta, & prata frugum culturæ maxime idonea; olim vero Piscina, sive stagnum etiam videbatur, de quo Arabs Beniamin Tudolensis. *Ornatur*, ait, *Stagnum Regiis naviculis argento, & auro exornatis, his Rex cum uxoribus suis, relaxandi animi caussa non raro. utitur. In Regiis etiam hortis magnum Palatium est, cuius parietes auro atque argento obstructi nitent; pavimentum vero variis marmorum generibus vermiculato opere depictum, omnium orbis terrarum imagines refert.* Describit exactissime Castellum (ita appellant palatium, quod in arcis modum quadrato schemate consurgit) Leander Alberti cap: 47. de Sicilia loquens, & deliciarum locum Sarracenorum Regum fuisse cum Fazello non diffitetur.

De Nomine traduntur complura. Uulgus *Zisam* & Cubam

& Cubam duas fuisse sorores, Amiræ illius filias, qui utrumque ædificium jussit, unde his nomen obvenit, constanter affirmat. Et Fazellus id Sarracenos rerum veterum peritiores asserere scribit. *Sed penes eos*, subdit, *ejus rei sit fides*. Auria Cererem *Zisam* appellatam antiquis testatur, a qua cognomentum desumpsit regio frugum feracissima. Ceres aliunde numen Panormitanis propitium & tutelare, uti illorum numismata declarant. Verum Sarracenis Palatii, seu Castelli, & Pomœrii authoribus *Azisa* idem sonat ac *Florida & Jucunda*, sive *Flos erumpens*, ac regioni præ cæteris circumjacentibus amœnissimæ optime congruit. Cubam cætero idem Auria, vocabulum a [illegible] qua veteris superstitionis Dea accepisse dicit; quum aliunde Sarracenicum esse abunde constet, & variis per Siciliam regionibus, aquarum venis abunde refertis appictum.

Quod spectat vero ad molis magnificentiam, ea tanta est, ut verbis hujusmodi a Fazello exprimatur: *Hortus alter Regius, cui Sarracenicè Zisa nomen adhuc est, domesticarum arborum, fructibus, & aquarum etiam perpetuis scaturiginibus irriguus, quo loco ædes etiamnum Regia, lapide quadrato, candidoque marmore & porphyrite, vermiculatoque & musivo superbo nimis opere sumtuosa; & Sarracenorum opus quantum ex ipsa structura judicari potest; ad Regum secessus, latebrasque voluptuarias extructum, omnibus, quæ in Italia hodie sunt, Regiis structuris facile comparandum*. Supremus fornicum ordo, ubi amplissima Specula, præ omnibus aliis Panormi ædificiis in altum assurgit, circumpositis regionibus, ipsique urbi longe lateque dominatur. Prope est Minoritarum Tertii ordinis Monasterium insigne, educan-

dis ejusdem instituti tyronibus, & ad fovendam incolarum regionis pietatem destinatam; justum enim ibi suburbium coalescit sub S. Crucis Parochia.

Zisam Castellum *Thomæ de Jeremia* MCCCLXVII. Fridericus III. concessit. Martinus vero ejusdem Præfectum, Hispanis *Alcaiden*, Gillinum de Gillino MCCCXCVIII. designavit. *Antonius de Bononia*, celebris Panormita, Poeta Laureatus, durante vita ab Alphonso *Zisæ* jura, censusque est assecutus, mox favore *Antonii* junioris, ejusdem filii Regia donatio ampliatur. *Antonio* cedente *Ferdinandus* a Cuña Prorex obtinuit, qui in grati animi signum auri uncias centum illi persolvit, remque Ferdinandus Rex probavit MCCCCLXXXIX. *Maria* Proregis uxor ab hujus morte ad annum MDXII. tenuit. Quibus subinde addictum fuerit non habeo, sed MDCLXXII. Caroli II. Regis privilegio *Joannes Sandoval* Castelli Realis Princeps renunciatur, & *Zisæ* dominus, hæreditario jure ad suos transmisso, dicitur. Hunc cum Agnete Platamone *Joannes* alter, qui primus ex Hispania in Siciliam venit, genuerat. *Joanni* & *Isabellæ Sandoval Didacus* successit sæculi XVII. anno LXXX. & post eum *Antoninus* filius ex Antonia Filingeri exortus, sufficitur MDCCIV. Fuit ex Regni XII. Viris, fulgetque hodie a Regiis Rationibus Magister. Ejus uxor Rosalia Mira, unde Didacus S. Joannis Marchio, & jure conjugis Josephæ Joppulo Sinagræ Dux, & Nasi Comes.

FINIS II. PARTIS

TOMI II.

Addenda in I. Parte.

Fol. 8. lin. 15. *post* posse, *adde*: ab artis nautic; ex peritis, advenisque passim creditur, quod

Addenda in II. Parte.

Fol. 23. lin. 4. *post* sedet, *adde*: Quod hodie S. Mariæ de Mercede Cœnobitis concessum.

Fol. 30 9. *post* cœptum, *adde*: cui Nobilium Ephebium hodie adhæret, *Borbonium* appellatum.

Fol. 36. lin. 7. *post* incolunt, *adde*: Ibi tabula eximia ejusdem Virginis cognominis in majori sacello dudum extabat, quæ in Hispanias deportata.

Fol. 98. lin. 11. *post* decoratur, *adde*: sub Clericorum Regularium Teatinorum disciplina.


Fol. 99. lin. 17. *post* Tyrocinium, *adde*: quod ob aeris intemperiem hodie derelictum.

Fol. 211. lin. 15. *post* Claverius, *adde*: In Itinerario etiam præcipuæ urbis signo adnotatur.

Fol. 231. lin. 16. *post* Sacca, adde: *Thermæ* ab aquis Calidis appellantur, a *Selinunte* haud procul; Duridi apud Stephanum, ac Philisto penes eumdem: *Thermæ oppidulum Siciliæ, auctore Philisto lib: 3. Gentilitium est Thermæus... Ait quippe Duris plerasque Siculorum urbium a fluminibus nomina accepisse: Syracusas scilicet, Gelam, Himeram, Selinuntem, Erycem, Camicum, Halycum, Thermum, Camarinam.* Ut Syracusæ porro & Camarina, observat Cluverius, non a fluminibus, sed a paludibus proximis nominatæ, sic oppidum quoque *Thermum*, non ab amne, sed aqua calida, quæ hic est, appellationem accepit. Plinius lib: 3. cap: 8. *Agrigentum, Thermas Coloniæ*; hanc quippe Augu-

Augustum cum aliis in Sicilia deduxisse autumantur. Mela lib: 3. cap: 8. *Inter Pachynum, & Lilybæum Acragas est, Heraclea & Thermæ*. Diodorus denique lib: 18. *Carcinus Rheginus e patria relegatus Thermis Siciliæ habitabat, quæ urbi Carthaginiensibus erat subjecta*. Ars figulina professio illi erat, quæ adhuc Saccæ viget ob cretæ præstantiam; Filium habuit celebrem illum Agathoclem Syracusarum Regem, de quo in Historiis.

Fol. 238. lin. 26. *post* exhibent, *adde*: TURRIS INICI ab agro cognomine in Erycis ditione dicta, Caroli V. Cæsaris hospitio, dum ex Africa redux Panormum tenderet, nobilitata; Hujus per amœnissima vireta deambulans ille sub oleæ vetustissimæ umbra consedit, quæ perstat adhuc inter cæteras trunci crassitie spectanda. Nec procul inde latex limpidissimus profluit ab Imperatore appellatus.



Cor-

Fol.	lin.	Correctiones.	
16.	1.	ramis	armis
24.	14.	*Roccapalumbo*	*Rocca Columbo.*
32.	24.	Pharet	Baich
37.	21.	laxiores	laxioris ambitus
48.	12.	levanten	lavantem
65.	[redacted]	auctas	auctam
66.	13.	hos	has
68.	16.	Rabiba	Rebiba
69.	11.	hedaracea	hederacea
71.	32.	MCCCCMIII.	MCCCCXIII.
72.	26.	condiendo	condendo
89.	32.	gubernantur	gubernatur
90.	22.	*Sitom*	*Sitan*
109.	6.	focis	foci
	27.	Neapolis	Neapoli
114.	24.	abunduntia	abundantia
117.	6.	confmupta	consumpta
118.	6.	fructibus	fruticibus
141.	32.	Apparatum	Apparatus
170.	32.	regulari	regularis
161.	1.	tenditur	tendit
165.	22.	Sancio	Sancii
170.	23.	magnifientiam	magnificentiam
375.	9.	ederacea	hederacea
	31.	exscriptora vocabulea	exscriptore vocabula
177.	20.	incentia	ingentia
189.	18.	*cernuntnr*	*cernuntur,*
196.	18.	llorum	illorum
204.	32.	creditnr	creditur



